CHR. G. HEYNII ... OPUSCULA ACADEMICA COLLECTA ET...

Digitized by Google

7. 5. 199

7.1 5. 199

Digitized by Google

Digitized by Google

CHR. G. HEYNII

PROFESSORIS ELOQV. ET POES. GEORGIAE AVGVSTAE M. BRITANN. R. A CONSIL. AVL.

OPVSCVLA ACADEMICA

COLLECTA

ET

ANIMADVERSIONIBVS

LOCVPLETATA.

VOLVMEN IV.

GOTTINGAE

APVD IO. CHRIST. DIETERICH.

1796.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Quod ſit Commentationum harum academicarum conſilium, quas habeat vtilitates, quibus legibus teneatur, quibus difficultatibus prematur, olim in praefatione ad volumen primum expoſitum eſt. Sunt eae ſaltem pro genere annalium academicorum habendae. Legent poſteri et cum voluptate cognoſcent virorum clariſſimorum nomina et laudes, qui quibusque annis inter academiae noſtrae ornamenta floruerint; et, ſi poſt nos erunt, qui ſimilem operam et ſcribendis et colligendis ſuis proluſionibus adhibeant, habebit Georgia Auguſta poſt Gesneri meumque ſtudium, ſi Viri Ill. Pütteri *hiſtoriam Georgiae Auguſtae*, et *Recenſus litterarios* noſtros adiunxeris, *Faſtos Academicos*, quales nulli facile academiae contigerint. Videtur autem hoc ad virorum doctorum, qui in academiis viuunt,

)(2 officium

officium pertinere, vt non modo de ſuis quisque laudibus laboret, verum etiam communem omnium laudem, memoriam et famam, in luce poſitam eſſe velit. Idque non modo aequum iuſtumque eſſe iudicabit, verum etiam pulcrum honeſtumque; nec tam meritis aliorum offuſcatis putabit eminere laudem ſuam, quam, ſi in virorum clarorum ſocietate et lumine nominum vixerit, ex eorum claritate nominis lucem ſibi mutuari; eſt enim haec tacita commendatio, ſi virorum laudatorum conſortio et contubernio vſus fueris; quem ad modum non vltima laus eſt, clariſſimos praeceptores habuiſſe; vt adeo nemo facile ingenuae et generoſae indolis homo in ſimilem errorem incidat, vt nullis magiſtris, nulla praeceptione, ſuas litteras addidiciſſe videri malit: qua ſane iactantia multo plus ſuae laudi detrahat, quam adiiciat; nam et iuuenilibus ſtudiis parum ſedulam ſe operam nauaſſe ipſe palam profitetur, cumque iis, quae aliunde accipere potuerat, multo plura et faciliore opera de ſuis adiicere potuiſſet, nunc in iis ſe cum aetatis viriumque diſpendio elaboraſſe fatetur, quae alii facili opera e vulgari inſtitutione parata habere ſolent. Equidem, vt mihi

Digitized by Google

mihi ſummae duco laudi, quod Erneſtii, Chriſtii, Bachii diſciplina olim imbutus ſum, nunc ingenue profiteor, niſi cum his viris, in quorum collegium et conſortium in Georgia Auguſta adoptatus ſum, his maxime temporibus, vixiſſem, nunquam me in his litteris profectus aliquos meo loco dignos facturum fuiſſe; neque eſt facile ex meis collegis aliquis, e cuius litteris ſcriptisque non conuerterim aliquid in vtilitates meas. Tantum intereſt ad propriam virtutem, ſint ne viri laudati, quibuscum vixeris! vti contra perſuaſum mihi habeo, haud facile in Academia noſtra inter viros tam clari nominis, tam multarum litterarum, viuere aliquem poſſe, quin ad ſimilis laudis cupiditatem incendatur. Si itaque a communi academiae laude haud alienum eſſe, hoc ſcriptionum genus ſparſim editum colligere, recte putaui: volumen hoc nouiſſimum habet aliud quid, quo ſe, ſaltem iis, qui poſt nos viuent, commendet, cum annos reputabunt, quibus hae proluſiones ſcriptae ſunt; cum enim fama ſcriptisque traditum accipient, quantae per hos annos de hominum populorumque iuribus contentiones fuerint, quae inde natae irae, odia et certamina inter homines diuer-

ſorum ordinum mutua, quam iniqua multis in terris nobilium de litteris, virisque litteratis, academiisque iudicia: inſpicient forte illi commentationes has iisdem annis et inter maximos animorum terrores publice ſcriptas, et mirabuntur, ſi hac cum libertate perſcriptas illas viderint; quo facto intelligent, Georgiam Auguſtam, etſi erant, qui famam eius calumniis contaminarent, ſuum decus, ſuamque dignitatem integram ſeruaſſe. Quaeſita enim ſunt ipſis commentationibus eiusmodi argumenta, quibus tractandis hoc ipſum intelligi poſſet, libertatem dicendi ſcribendique, quam ante XXX, et quod excurrit, annos, modo prudenter et ingenue ea vteremur, tanquam certiſſimum Academiae noſtrae Palladium, tantis laudibus efferebam *), nunquam manibus extortam fuiſſe.

Prodit in hoc libello nouum Proluſionum genus indicendis certaminibus litterariis, inde ab a. LXXXV. quo Regis noſtri Aug. munificentia praemia ſingulis annis quaterna propoſuit eorum, qui litteras in hac academia colunt, ingeniis ad maiora tendentibus. Iucundum forte erit multis, cognoſcere iudicia ordi-

*) v. Opuſc. Tom. I. p. 42 ſq.

Digitized by Google

ordinum, nam haec diligenter ipſis iudicum verbis enuntiata inſerui, et victorum nomina; gratumque erit aliquando ad recordandum iis ipſis, qui iisdem annis in hac academia vixerunt; incitabunturque alii, ſi eos, qui praemia olim reportauerant, virtutis ſuae documento notos, mox aliis laudibus inclaruiſſe, aut ad dignitates et honores perueniſſe, cognouerint. Quid vero? ii ipſi, qui in concertationes deſcenderant, ſi iudicia olim de ingeniis ſuis litterisque ea aetate, qua tirocinia nondum depoſuerant, facta, recognoſcent, in praeteritorum annorum recordatione qua voluptate ſe affectos ſentient! Quae quidem eo a me expoſita ſunt conſilio, ne operam noſtram in proluſionum harum recenſu collocatam vtilitate ſua carituram eſſe aliquis exiſtimet.

Cum in iis, quae, ſuperioribus maxime voluminibus, per XXX, et quod excurrit, annos a me expoſita ſunt, ſint haud pauca, quae ab aliis viris doctis poſthaec copioſius et doctius fuere elaborata: conſtitutum habebam, additamentorum loco potiora ex iis commemorare; vidi tamen nonnulla ex his ſine noua diſputatione vix expediri poſſe.

 Contra

Digitized by Google

Contra vero voluptatem hanc, humanitate et ingenua mente dignam, quam vita inter litteras aliquantum producta afferre ſolet, haud raro percepi, vt notitias vel iudicia vel ſuſpiciones, quas timide et, ne nouitate offenderent, circumſpecte, obſcure quoque, protuliſſem, poſtea ab aliis confidenter ac diſerte expoſitas et ornatas viderem. Atque in haec litterarum incrementa aetatem meam incidiſſe, id in iis ponere ſoleo, quae me permoueant, ne me vixiſſe poeniteat.

Scr. Gottingae M. Decembri cIↄIↄccxcv.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTVS PROLVSIONVM VOLVMINIS QVARTI

A. 1788 — 1795.

I. *Morbus ingenii humani, alios ad conſenſum in opiniones ſuas pertrahendi, ſignis ſuis, cauſſis, effectisque notabilis.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Ge. Henr. Federum d. II. Ianuarii 1788. Pag. 1

II. *Ad promulganda nomina eorum, qui praemia, in IV. Iunii 1788 propoſita, Ordinum Academicorum iudicio reportarunt, nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis.* M. Iunio 1788. 12

III. *Longinquarum in barbaros expeditionum, et barbarorum in Europam incurſionis, conſilia noſtris aetatibus pariter ſublata.* Ad commendandum nouum Prorectorem Theoph. Iac. Planck d. II. Iulii 1788. 32

IV. *De iudiciorum publicorum ratione et ordine apud Romanos et Graecos* Commentatio I. Ad indicenda anniuerſaria ſacra LI. d. XVIII. Sept. 1788. 49

V. —— Commentatio II. Ad commendandum nouum Prorectorem Iuſtum Frid. Runde d. II. Ian. 1789. 63

Epimetrum, *de iudiciorum publicorum ratione et ordine apud Graecos.* 76

VI. *Ad indicendas ſollennes ob recuperatam regis valetudinem gratulationes.* d. XXVII. April 1789. 91

VII.

Digitized by Google

VII. *Ad promulganda nomina eorum, qui praemia, in IV. Iunii 1789 propoſita, Ordinum Academicorum iudicio reportarunt; nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis.* M. Iunio 1789. 101

VIII. *E quibus terris mancipia in Graecorum et Romanorum fora aducta fuerint.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Andr. Murray d. II. Iulii 1789. 120

IX. *Libertas populorum raro cum exſpectato ab iis fructu recuperata.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra LII. d. XVII. Sept. 1789. 140

X. *Opum regni Macedonici auctarum, attritarum et euerſarum, cauſſae probabiles.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Chph. Gatterer. d. II. Ian. 1790. 159

XI. *Ad promulganda nomina eorum, qui praemia, in IV. Iunii 1790 propoſita, Ordinum Academicorum iudicio reportarunt; nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis.* M. Iunio 1790. 178

XII. *Iacobi Bruce, clari per Abeſſiniam peregrinatoris, de primarum aetatum commerciis et nauigationibus in Indiam narratio propoſita et excuſſa.* Ad commendandum nouum Prorectorem Gothofredum Leſs d. II. Iulii 1790. 194

XIII. *Honores Iuriſconſultis habiti ab Imperatoribus Romanis quibusque de cauſſis:* ad indicenda anniverſaria LIII. ſacra XVII. Sept. 1790, ſimulque vt Anteceſſori in Iure primario, *Ge. Lud. Boehmero*, ſacrum ſemiſaeculare muneris profeſſorii gratularetur academia. 211

Adiecta eſt *Oratio* in hac ipſa ſollenni panegyri *habita.* 231

Digitized by Google

XIV. *Bona vota in diſceſſu Ser. M. Britanniae Principum facta.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Steph. Pütter. III. Ian. 1791. 242

XV. *Ad promulganda nomina eorum, qui praemia, in IV. Iunii 1791 propoſita, Ordinum Academicorum iudicio reportarunt, nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis.* M. Iunio 1791. 249

XVI. *Comparatur deportatio in nouam Cambriam auſtralem cum deportatione Romanorum in inſulam.* Ad commendandum nouum Prorectorem Henr. Aug. Wrisberg d. II. Iul. 1791. 268

XVII. *Reges a ſuis fugati, externa ope in regnum reducti.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra LIV. d. XVII. Sept. 1791. 286

XVIII. *Iudiciorum de vniuerſitatibus litterariis recognitio.* Ad commendandum nouum Prorectorem Luder. Kulenkamp d. II. Ianuar 1792. 302

XIX. *Ad promulganda nomina eorum, qui praemia, in IV. Iunii 1792 propoſita, Ordinum Academicorum iudicio reportarunt, nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis.* M. Iunio 1792. 318

XX. *Vani Senatus Romani conatus ſub imperatoribus reſtituendi libertatem reipublicae.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra LV. et commendandum nouum Prorectorem Theoph. Iac. Planck. Kal. Sept. 1792. 331

XXI. *Leges agrariae peſtiferae et execrabiles.* Ad commendandum nouum Prorectorem Iuſt. Frid. Runde Kal. Mart. 1792. 350

XXII. *Ad promulganda nomina eorum, qui praemia, in IV. Iunii 1793 propoſita, Ordinum Academicorum iudicio reportarunt, propoſitis ſimul nouis in annum ſequentem quaeſtionibus. Tranquilla ſine armis otia Muſarum.* M. Iunio 1793 374

XXIII.

XXIII. *Libertatis et aequalitatis ciuilis in Athenienſium rep. delineatio ex Ariſtophane.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra LVI. et commendandum nouum Prorectorem Aug. Gottl. Richter d. II. Sept. 1793. 392

XXIV. *Litterarum bonarum ſtudia, tanquam imperiis infeſta, perperam proſcripta.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Ge. Henr. Feder. Kal. Martiis 1794. 416

XXV. *Ad promulganda nomina eorum, qui praemia, in IV. Iunii 1794 propoſita, Ordinum Academicorum iudicio reportarunt, nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis.* M. Iunio 1794. 443

XXVI. *De bellis internecinis eorumque cauſſis et euentis.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra LVII. et ad commendandum nouum Prorectorem Io. Fr. Schleusner. Kal. Septembr. 1794. 460

XXVII. *Exulum reditus in patriam ex Graecis Romaniſque hiſtoriis enotati.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Petr. Waldeck d. II. Mart. 1795. 485

XXVIII. *Ad promulganda nomina eorum, qui praemia, in IV. Iunii 1795 propoſita, Ordinum academicorum iudicio reportarunt, nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis.* M. Iunio 1795. 509

XXIX. *Romanorum prudentia in finiendis bellis.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra LVIII. et ad commendandum nouum Prorectorem Io. Fr. Gmelin. Kal. Sept. 1795. 524

Digitized by Google

I.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
AVGVST. GOTTL. RICHTER
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IO. GEORG. HENR. FEDER
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS
IN A. D. II. IANVARII cIↄIↄCCLXXXVIII.

Morbus ingenii humani, alios ad conſenſum in opiniones ſuas pertrahendi, ſignis ſuis cauſſis effectisque notabilis.

Anni ineuntis auſpiciis, Ciues, quae vt vobis omnique huic reip. litterariae fauſta ac felicia ſint, ex animo precamur, accedunt nunc alia Magiſtratus academici auſpicia, quae inter bona bonorum omnium vota et omina faciet

IO. GE. HENR. FEDER

Collega coniunctiſſimus, fide in vos, Ciues, officiis, beneuolentia, humanitate, conſpicuus, vt,

Digitized by Google

ſi quem vnquam bene de vobis merentem amari diligique credidimus, hunc eſſe putemus, quem parentis loco ametis et colatis; quo ipſo adducti perſuaſum nobis habemus, vos obſequio fide ac pietate in remp., legum obſeruantia, recti ac decori cura, certaturos eſſe cum eius religione, iuſti aequique ſtudio, dumque ſingulorum commodis conſultum eſſe vult, vtilitatis publicae reſpectu, et cum affectus paterni lenitate coniuncta magiſtratus ſeueritate et integritate. Ita demum remp. habebimus bene conſtitutam ac florentem, rerumque ſtatum certum, cui ſatis fidere poſſimus; nam indulgentia a moleſtiae metu profecta, et diſſimulatio eorum quae adverſus legem moremque fiunt, quaeque publice priuatimque improbantur, ipſam reip. ſalutem occulte ſubruit et euertit. Etenim, quae diu caecis meatibus cuniculos egerant, in apertum erumpunt vitia repente et ex improuiſo, ita vt multis retro annis malorum cauſſae et ſemina repetenda ſint, ab eo plerumque rerum ſtatu, quo florere reſpublica et opibus copiisque abundare viſa erat. Adeo prouidam curam prudentium hominum proſperae res multo magis expetunt quam aduerſae, quae animos ſponte ad ſollicitudinem erigunt. Conſtitutus autem eſt nouo Prorectori ſolita pompa deducendo dies II. Ianuarii; vt igitur nouo magiſtratui officium praeſtare et in verba legum iurantem audire velitis, Ciues, rogamus humaniter et amanter.

Hactenus ſummae quidem officii noſtri ſatisfactum eſt, dum ea, quae modo dicta ſunt, praeconio noſtro publice ediximus; vtendum tamen ex more

eſt

Digitized by Google

eſt opportunitate, agendumque vobiscum, Ciues, de re aliqua ad communia litterarum ſtudia et ad curas liberali ingenio dignas ſpectante, e temporum hominum rerumque rationibus cauſſisque ducta. Afferunt autem ipſa tempora circumſpicienti argumentum vere populare, quod nec doctrinam magnam nec ſubtilitatem deſiderat, dignum tamen, in quo conſumatur horulae confabulatio, cum eius pertractatio ad acuendam iudicii vim in iis, quae vulgo facta videmus, iudicandis valere poſſit ac debeat.

Mirum et incredibile eſt hominum ſtudium pertrahendi alios ad aſſenſum perſuaſionemque opinionum quas ipſi fouemus; certat illud cum quouis alio animi humani affectu, abitque interdum in furorem inſaniamque; ita vt vere pro morbo animi haberi poſſit, eo que inſanabili et exitioſo. Inſidet autem morbus ille tanto grauior et perículoſior, quo leuius eſt animi iudicium, quo magis temere ſuſcepta eſt opinio, quoque minus veritatis notas habet id, quod nobis pro certiſſima veritate perſuaſimus; cum contra, quo magis res ipſas perſpectas habemus, intelleximusque, quae in iis ſint parum firma nec ſatis explorata, a quibus principiis illa ſint profecta, et quae ad conſenſum in haec principia requirantur, eo magis ſimus aequi et faciles in diſſenſu aliorum ferendo. Quid? quod, quo magis imbecillitatem ingenii humani, inſtitutionis a pueris inde acceptae vim, opinionum popularium alte actas radices, rerum naturas, et notionum iudiciorumque de iis cauſſas et rationes, tenemus, eo minus aut ſperamus aut in votis habemus, vt iisdem iudiciis opinionibusque

 teneamur

teneamur omnes; atque etiam perſuaſum nobis habere poſſumus, ne tum quidem, ſi repente diuino aliquo beneficio omnium omnino hominum animis, totique generi humano inſtillata fuerit veritas rerum ipſa; fac etiam acceptam eam perſpectamque eſſe omnibus; ne tum quidem, inquam, animos hominum diu in eodem ſenſu iudicioque perſtituros eſſe. Nihil itaque eſſe poteſt, quod imbecillitatem iudicii humani magis arguat, quam ſi philoſophos videmus poſtulantes, aut expectantes fore, vt placitis et opinionibus promulgatis, tanquam legibus, omne humanum genus parendi neceſſitatem ſibi impoſitam eſſe putet; quam quidem expectationem tanto magis vanam et inanem eſſe neceſſe eſt, quanto ſubtilior ſit et abſtruſior doctrina, quanto obſcurior et a vulgi notione et vſu remotior ſermo. Ipſi inter ſe philoſophi de quo omnes conueniant, quid tandem habent? aut quomodo, vt idem ſentiant, adigi potuerunt *a*)? quanto minus vulgus, quod aliorum iudicia ſua facere ſolet, non rationum, ſed auctoritatis pondere et grauitate permotum. Tum vero ea, quae vniuerſe dicta ab omnibus admitti et concedi ſolent, vbi ad ſingulas res diſputatio deducta eſt, in manifeſtum diſſenſum deduci videmus.

Iam

a) Subit animum recordatio Gellii apud Cic. de LL. I, 20. "qui cum proconſule ex praetura in Graeciam veniſſet, Athenis philoſophos, qui tum erant, in locum vnum conuocarat, ipſisque auctor magnopere erat, vt aliquando controuerſiarum aliquem facerent modum; quod ſi eſſent eo animo, vt nollent aetatem in litibus conterere, poſſe rem conuenire; et ſimul operam ſuam illis eſt pollicitus, ſi poſſet inter eos aliquid conuenire."

Digitized by Google

Iam autem, vti neceſſarium, ita et ſalubre ſtatuimus eſſe, vt in ſummis iuxta ac minimis diſſideant inter ſe homines; nihilque fore pernicioſius et exitioſius, quam ſi eadem perſuaſa ſibi habere videri velint omnes. Quod enim ex humanae naturae ratione fieri nullo modo poteſt, (qua enim vi, quibus machinis, in tanta ingeniorum, mentis virium, inſtitutionis, omnium rerum ſiue a naturae vi ſiue a voluntatis humanae varietate proficiſcentium, diverſitate ad eandem opinandi et iudicandi normam adigantur omnes?) id ſi tamen extorqueatur et cogatur, aut ad mendacium et ſpeciem commentitiam falſamque redire neceſſe eſt; aut illud ſtuporis et ignorantiae tanquam caliginem animis inductam arguit, ita vt omnino nihil intelligant, nihil iudicent. Nihil adeo eſſe poteſt quod paullo ſapientior quisque ac prudentior minus in votis habeat, quam vt iisdem opinionibus religioſis, eodem doctrinae ſyſtemate, eadem perſuaſione de rebus, quae ab infinitis cauſſis in idem concurrentibus pendet, vtamur omnes. Vix vlla euenire poſſit maior calamitas omniumque bonorum, quibus in hoc rerum ſtatu tolerabili fruimur, euerſio, quam ſi, quod multi in votis habent, eueniat, vt, verbi cauſſa, omnes et vniuerſi in placita noſtra religioſa conſentiant. Non enim, niſi omni ſentiendi ex animo iudicandique facultate e medio ſublata fieri id poſſet. Quin ſapientiſſimus quisque et optimus id potius aget ſedulo, vt, quae ſcitu iudicatuque ipſe viderit eſſe meliora, perſpicue, candide, ſine ſtudio et ira, tradat et publice exponat; rerumque adeo argumentis, non partium ſtudio, alios in ſententiam ſuam

 pertrahet,

Digitized by Google

pretrahet, relicto cuique libero animi iudicio, quippe in cauſſis opinabilibus, quae ad liberum animi iudicium vnice redeunt.

Cum itaque rerum hominumque ratio vnum quemque ſana mente valentem ſatis doceat, fieri poſſe nullo modo, vt, ſi quid pro vero et explorato habemus, alii, qui non ab iisdem notionibus, ſenſibus, euentis, experimentis, obſeruatis, proficiſcuntur, neque eadem cogitandi, meditandi, commentandi via ac modo progreſſi ſunt, idem illud perſpectum pariter, verum exploratumque, habeant: labentem et infirmum aegrotantemque iudicii habitum animique morbum imminentem aut iam inualeſcentem hoc arguit, ſi alios, etiam renuentes recuſantesque, cogere velis vt idem tecum ſentiant ſtatuantque. Quod ni mature ſuccurratur, praeuideri praedicique poteſt, morbum in febrem periculoſam tandemque in inſaniam eſſe abiturum.

Inter ſigna morbi occulti aut manifeſti ſunt multa ac varia ab ipſa natura mali profecta, morbique incrementum conſtituentia. Obuium et apertum eſt illud, ſi aliter ſentientes ferre nequeas, ſi pallore ac rubore varietur facies, et reſpiratio ſit crebra ac difficilis; ſi, pulſu venarum praecipitato, modo conuellatur corpus modo horrore cuticula corripiatur; ſi, dicente altero, riſus Sardonius os intorqueat, aut oſcitatio crebra vel tuſſis pulmones quatiat, ſi tremor ac palpitatio membra inuadat, lingua balbutiat, et oculi aut torui rigeant, aut vertigine vrgeantur; grauiora ſunt, ſi in eos, qui in tuam ſententiam concedere nolunt, ira et odio exacerberis,

Digitized by Google

beris, ſi inimicitias in eos ſuſcipias, aliorum odia in eos conſles, et clam palamque multa in eos machineris; in his ipſis eſt tanquam pathognomicum ſi nec reliqua, quae in eo homine, qui iudicio tuo ſubſcribere recuſat, bona ſunt, laudabilia eſſe velis, contra omnia in malam partem interpreteris, ingenium doctrinamque iudicio tuo ei eripias, nihilque ipſi relinquas praeterquam vt eum plorare iubeas, deteſtabilem et abominandum omnibus bonis eſſe cupias. Eſt quoque ingeniorum corporumque diverſitas in his, vt alii clamoribus ac vociferationibus, alii diſſimulanter clandeſtinis artibus ac molitionibus graſſentur; vultu itaque ad beneuolentiam compoſito occulta obtrectatione arrodunt, infamiam adſpergunt calumniando, ſuſpiciones diſſeminant: ita vt repente bona ciuium ſuorum fama et exiſtimatione, ignarus omnium rerum, exciderit is, qui, quae alter opinato ſtatuerat, nec ipſe eodem modo ſtatuere voluit. Extremi furoris et inſaniae ſunt haec: ſi religioſis hominum ſenſibus et iudiciis eam ad rem vtaris, et ſuſpectam reddideris eius, qui a te quacunque in re diſſenſerit, pietatem in deum, de iis, quae in religioſis controuerſiis habentur, iudicium, ſacrorumque celebrandorum curam et aſſiduitatem. Nam tam beatis paucis eſſe licet, vt vi aperta inſectari diſſentientes, tormentis et carnificinis in eos ſaeuire, poſſint.

Si ſigna haec ſunt tam manifeſta et obuia, vt nullius oculum fallere poſſint: ſunt alia diagnoſtica et prognoſtica occultiora nec niſi peritiori medico cognitu facilia; incredibile enim eſt, in quot vultus

hic Proteus mutetur, quotque formis figuriſque et ſibi ipſi ille mentiatur et vero alios fallat. Eſt inter haec ſollenne illud, vt aliorum, quibus aliter videtur, iudicium eleues, acumen obtuſum, doctrinam litterarum nullam, accuſes. Clementius eſt, ſi hominis doctrinam in ceteris rebus concedas eſſe inſignem, aut etiam ad caelum efferas laudibus; doleas tamen, in nonnullis, vt naturae humanae imbecillitas fert, aut vna in re, eum caecutire, ſcilicet in eo, quod a tuis partibus ſtare renuit. Sunt qui quaeſtionem, in qua ſe aliorum ſuffragia obtinere non poſſe vident, tanquam vanam et inanem eleuent: melius vtique et prudentius, quam illi, qui quaeſtionem vere vanam et inanem pro capite et arce omnis ſapientiae conſtituunt, proque ea defendenda exercitus conducunt, machinas et tormenta in muris collocant, ignes accendunt, metu ac terrore omnia replent. Scilicet magna res agitur: diſceptatur enim, feſtuca a vento impulſa num in auerſam an in aduerſam ſui partem ſolo alliſa ſit. Ita infinitis modis ſuperbiam, faſtidium, miſerationem, contemtum, iras, odia, miſcent, qui ex hoc animi morbo aegrotant.

Inprimis autem artes multorum et machinationes graſſantur ſcriptis aliorum, qui diuerſa a ſuo ſenſu et iudicio tradunt, in contemtum adducendis aut ex vſu adſpectuque hominum ſubducendis; cum contra ſuae ſectae homines eorumque libros ſummis laudibus extollant. Quod ſi in his quoque ſpes ſuſcepta fefellerit: nouae irae, noua odia erumpunt. Eſt etiam ars aliqua exercendi iras per obliquum, cum

cum eum, qui in tuam ſententiam concedere noluit, alia agendo perſtringas, aut ſententiis vniuerſe explicitis tangas ac vellices, ita vt ille in ſe dictum putet quod in vulgus dictum eſt; Vti contra ad morbi in praecordiis ſaeuientis ſigna referendum eſt, ſi, quicquid ab altero vsquam dictum ſcriptumue ſit, ad te ſpectare, te peti ac laceſſi putes. Ita occaecatus morbo animus modo alterum, modo ſe ipſum, ab omnibus deſignari petique, laedi et exagitari, putat.

Iam morbi cauſſas nemo tam latentes aut occultas dixerit, quin ad cognoſcendum facillimae ſint. Ipſe naturae noſtrae et ingenii impetus ita fert, vt noſtra probemus, vtque eadem aliis cupiamus probari: nihil in hoc eſt quod improbandum dixeris; ipſe amor noſter aliorum, propenſio voluntatis in eos et affectus, ipſa prima ſtamina ſtudii naturalis quo ad ſocietatem vitae trahimur, eo ducunt. Conſultum nunc eſſet, iudicium et conſilium adhibere, num fieri per rerum hominumque naturam poſſit, vt probentur eadem omnibus, vtque conſentiant alii in idem quod ipſi ſentimus; quod ſi diſſentiunt, videndum eſſet, an non ipſi melius iudicent, vt tibi ipſi in eorum ſententiam transeundum ſit; aut, ſi aliter, quibus argumentis, quibus rationibus adducti. Fieri enim poteſt, partim vt alii rem penitius perſpectam habeant, partim vt, ab aliis rei contemplandae rationibus, cauſſis principiisque profecti, et ipſi recte iudicent: vt adeo vtrinque veritatis aliquantum inſit iudiciis, dummodo conſtituatur candide, quo fine illud circumſcribatur. Enim vero ita vulgo facimus omnes, vt, non quid ſentiat

aduerſarius, et recte an male, diſpiciamus, verum vt tantum circumſpiciamus ea, quae contra eum dici poſſint. Ita contentioni noſtrae non veritas propoſita eſt, etſi eius ſtudium cum maxime iactatur, verum opinionis noſtrae pondus et auctoritas. Secundum haec cauſſas morbi cognoſcere in promtu eſt. Subeſt prima mali labes ignorantia veri: cuius tanquam fomite aluntur prauus noſtri amor, vanitas et arrogantia, ſuperbia et iactantia, pertinacia et importunitas, inuidia et malignitas, et quae alia ſunt animorum vitia.

Verum poſt haec omnia ſupereſt genus huius morbi ſingulare ac mirum, a mira aliqua ingenii vanitate et animi ſtupore profectum, cum ii, qui alios in ſuam ſententiam et opinionem pertrahere cupierant, ſibi perſuadent, eos in ſuam ſententiam iam conceſſiſſe, ſecum ad amuſſim conſentire: ad concordiam ſcilicet rediiſſe eos qui diuerſiſſima ſentiebant. Eueniſſe hoc vidimus interdum iis, qui omnium hominum ſenſus et opiniones de religionibus, doctrina et cultu diuino, ad eandem normam exactas eſſe vellent. Qua quidem ſpe et expectatione etſi nihil eſſe poſſit vanius et inanius, et naturae humanae repugnantius, tum ad generis humani exitium valiturum vel maxime, vt ſupra diximus; non enim, niſi aut dominationis intolerabilis oppreſſi iugo, aut ad ſtuporem depreſſi, in easdem opiniones conſentire videbuntur homines; Verum tamen bardi illi ſibi perſuadent, non multum abeſſe, quin omnium ſectarum homines paullo poſt in eandem

dem

dem opinionum formulam iurent *b*). — Adeo procliues ſumus omnes, vt in iis, quae cupimus et appetimus, nobis imponamus ipſi. Videndum tamen erat, ne publica res detrimentum inde caperet. Verum ſatis de his. Redeundum eſt ad bona vota precesque publice ſuſcipiendas, quae vt bonum numen ratas eſſe iubeat ex animo precamur.

P. P. in Georg. Aug. Cal. Ian. cIↃ IↃ CCLXXXVIII.

*) Reliqua, quae his ſubiecta erant, ſpectabant ad rumorem per iſtos dies temere vulgatum de recepto a plerisque e noſtratibus *Caluini* placito *de coena dominica.* Quo cum in ſuſpiciones infeſtas adducta eſſet Academia noſtra, officii noſtri eſſe viſum erat, illam ſermonum vanitatem paucis verbis retundere. Quarum rerum cum dudum memoria euanuerit: nunc ea, quae iam elapſa ſunt animis, in memoriam reuocare, et parum iucundum et meo loco parum dignum, a meo autem more abhorrens eſſe ſentiebam. Veniam itaque dabunt qui iſta eliminata ex hoc loco et excluſa animaduerterint.

II.

Digitized by Google

II.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. GE. HENR. FEDER
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV IVNII
REGIS NOSTRI AVGVSTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO ABSTVLERVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IVNII IV. ANNI cIↄ Iↄ CCLXXXIX HABENDVM
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE NOSTRAE ORDINIBVS
PROPOSITA
PROMVLGAT
M. IVNIO cIↄ Iↄ CCLXXXVIII.

De certaminibus ſeu ingeniorum ſeu corporum, iisque conſtitutorum praemiorum vtilitate, in vtramque partem diſputari multa et poſſunt et ſolent. Nam

Nam quid eſt quod ab ingenio humano proficiſcatur, quod non in diuerſas partes trahi, non in vtilitatem noxamue verti poſſit! quod eſt ſocietatis humanae inſtitutum, quod non laudis pariter ac reprehenſionis materiam idoneam praebeat, pro tanta hominum, ingeniorum, voluntatum, conſiliorumque varietate, vſibusque diuerſis contrariisque quibus eadem res adhibetur! Itaque optima quaeque et vtiliſſima ab improbiſſimo quoque ad exitioſa conſilia deflecti poſſunt. Quo fit, vt etiam inſtituta, multorum temporum vſu probata, modo cum temporum progreſſu, modo repente, corrumpantur noxamque contrahant. Verum nimis nota haec ſunt, quam vt in iis vniuerſim memorandis laborandum ſit. Maneamus in genere hoc rerum in quo cum maxime verſamur. Certamina inter veteres cum corporum tum ingeniorum viguerunt. Quanta eorum bona fuere ingenti laude et praedicatione magnifice celebrata! at eadem certamina quot quantisque noxis fuere obnoxia! Corporum quidem exercitatione, cuius neglectum nos multis magnisque malis ſaepe luimus, quid eſſe potuit vtilius, illis inprimis aetatibus, in quibus virium robur, membrorum agilitas, velocitas pedum, ad rem militarem tantum momenti haberet. Abiit poſtea res ad morem inanem et ad ludum ſpectaculumque, inuenta ſunt noua ac mira certaminum genera, quibus corporum vires non augerentur ſed frangerentur, habitusque membrorum non fingeretur et emendaretur, verum, victu adeo certo praeſcripto, obeſitatem ac pinguedinem cum vaſtitate corporum et tarditate ingeniorumque

ſtupore

ſtupore contraheret *). Ingeniorum autem certamina quantum oſtentationis ac vanitatis habuere! acclama-

*) In re gymnaſtica, vt res paullo accuratius declaretur, non vnius generis exercitatio erat propoſita, nec conſilio vno ac fine. Alia erat exercitatio gymnica puerorum ingenuorum quae ad inſtitutionem liberalem ſpectabat, cui propoſitum erat, vt membra ad bonum habitum arte fingerentur, corporisque pararetur agilitas ac robur: deffueret cum pinguedine albicante inutilis humor in ſudorem collectus, iuncturae autem articulorum facilem motum, tendines firmitatem ac robur haberent. Ne autem corpus nudum aeris impulſu febrile frigus contraheret, aut nimis exhauſtum viribus langueſceret: oleo cutis inuncta, poris oppilatis, mox balneo laxata, ad aeris intemperiem tolerandam habilior erat. Iam ipſa res docere debuit, a vigore corporis animorum vigorem proficiſci, membrorum torpore excuſſo torporem mentis abſtergi: id quod agreſtium noſtrorum e diuerſis terris comparatione facta intelligas; vt ſit magnopere optandum, vt in pagis cum ſaltatione, mimo ac motu corporum omnis generis, propoſita ſint curſus luctaeque certamina; tantum abeſt, vt interdicendum ſit plebi ruſticae a ludis et choreis: quod vnicum genus inflectendi corporis ad omnem motum rigentis vita noſtra habet. Itaque olim factum legimus, vt, ipſo corporis habitu, motu, inceſſu, inter barbaros Graecus homo, ſtatim ex quo adſpexeras. conſpicuus eſſet; habitaque inter cultus vitae cauſſas et initia palaeſtra, et idem vtriusque rei auctor proditus Mercurius apud Horat. *feros cultus hominum recentum voce* formauit et *decorae more palaeſtrae.* Didicerant quoque feri homines ipſo gymnaſticae vſu vires temperare ac moderari, nec belluino more vno impetu effundere. Ad certum tamen inſtitutionis puerilis praeceptum et in artis formam res non redacta niſi paullo ante Platonis tempora, Herodico, vt probabile ſit, auctore: Plat. de Rep. III. p. 406. (p. 301. T. VI. ed. Bip.) Maturius alia exercitationum gymnicarum vtilitas in armis tractandis, tum in bellis eſt animaduerſa, ſeu perferendo labore, tolerando aeſtu ac frigore, aliaue aeris intemperie, qua noſtrorum militum corpora affici ſolent, etiam

acclamatum eſt non iis, quae vtiliter et grauiter eſſent dicta; verum verborum cincinnis ac calamiſtris, nugis canoris

etiam in itinerum aerumnis ferendis; ſeu in pugna committenda. Nec illud intelligi non potuit, ad refrenandas et coercendas aetatis iuuenilis libidines nihil eſſe potentius, quam ſi corpora labore defatigentur, vt viribus exhauſtis ſuccedat ſomni neceſſitas, ſomnum excipiat labor continuus. Eſſe quidem corporibus puerorum plus operae impendendum, quam memoriae opinionibus aliorum et doctrinis onerandae, virtutem vero exemplis eſſe docendam non verbis, noſtra et ipſa aetas perſpexit. Facit quoque corporum durandorum neceſſitatem tanto maiorem inter nos caeli noſtri tempeſtatumque inconſtantia et febrium cohors ab ea in corpora noſtra immiſſa, nec minus numeroſa alia ex vitae mollitie et luxu. Nec omittenda laudis cupido per illas exercitationes in corona ſpectantium factas mirifice inflammata: quam inprimis in tuenda gymnaſtices vtilitate memorat Lucianus de Gymnaſiis, vbi Solon Anacharſidem huius inſtituti conſilium et vtilitatem edocet.

Ab his gymnicis exercitationibus puerorum ingenuorum, quae diſciplinae et inſtitutionis puerilis caput haud extremum conſtituerant, (v. Plat. de Rep. III. p. 310. ed. Bip. et Lucian. de Gymnaſ. I. 21 ſq.) valde diuerſa erant ſtudia eorum, qui adire certamina et virium ſuarum artisque experimentum dare conſtituerant. Alterum hoc genus ab iſta ſane vtilitate enatum, per multa tempora magno honore habitum, inſtitutis quoque, cum ſemel ad feſtorum ac religioſorum rituum celebritatem ſpectarent ludi, feſtis, ſacris ac ſollennibus: quorum manſit honos ac celebritas etiam per ea tempora, quibus gymnaſtica exercitatio priuata inſtitutione tantum non exoleuerat, et, ſublata libertate, reliqua etiam ſtudia, virtutis quoque bellicae, refrixerant; vt ſolent religioſi ritus retineri in populis, etſi nullam nunc ad religiones vtilitatem habeant et dudum prudentiores intelligant, melius factum fore, ſi ſublati ſint. Iam in his ludis publicis, vt nouitate tenerentur ſpectantium oculi, aut, vt fit, cum ipſi athletae maiorem ſui admirationem facere vellent, noua certaminum genera ſunt inuenta. Curſus in ſtadio factus

Digitized by Google

canoris et inanibus clamoribus. Apud Athenienſes ipſa dramata, quae in ſcenam inducebantur, ad certamen ſunt reuocata: eaque re inprimis effectum eſt, vt Graeci inter omnes populos dramate excellerent. Verum idem certandi mos quam inſana Athenienſium

factus eſt diaulus, dolichus, hoplites; Etiam curules curſus bigarum, quadrigarum, mularum iugalium, (ἀπήνης) tum equorum ſine ſeſſore, (celetum) deſultorum (κάλπης). Lucta fuit alia ſimplex ſtantium (ὀρθοπάλη), alia iam proſtratis (ἀνακλινοπάλη). Pugilatui mature acceſſio facta ceſtus, tum lucta et pugilatu pancratium. Qui his certaminibus palmam affectabant, eos totos ſe athleticae dare, vitam ac vires impendere neceſſe erat: ita vt ad alia vitae munera idonei ne eſſent, mentisque expolitione neglecta ſtuporis et inſcitiae notam haberent. In certamina haec publica et in eos, qui in his ludis prodire ſolebant, cadunt reprehenſiones, quas cum olim fecere homines, tum nuper de Pauw, vir acutiſſimus; Praeiuerant iam Hippocrates (v. Galen. Protrept. c. 11.) et Euripides ap. Galen. verſibus ex Autolyco ſeruatis vt ex Athen. conſtat. v. inter Fragmenta Eurip. Bello inutilem artem athleticam recte quoque iudicauiſſe Philopoemenem legimus: Plut. in ei. Vita p. 357. C. D. et iam olim Solon parum magnifice de ea ſenſerat: Diog. Laert. I., 55. 56. Add. Anacharſidem ap. Lucian. et quae dudum ante nos docuerat Mercurialis de arte gymnaſtica, quam ille triplicem conſtituit, bellicam, medicam ſeu legitimam (vix ab iſta ſeparandam) et athleticam ſeu vitioſam: vid. lib. I. c. 13. Galeni autem loca, quibus rem athleticam damnat tanquam pernicioſam corporis bono habitui (de optima ſecta, de bono habitu corp. de pilae exerc. inprimis in Protrept.) ad pugilatum et pancratium et ad homines, qui ei tanquam arti et vitae generi ſe addixerant, tantum non vnice ſpectant; vt adeo illud genus eo, quo ſcripſit tempore, vnum ſuperfuerit, dignum vtique cenſura, quam in illud egit. (Conf. ad haec Commentationem Collegae noſtri C. *Meiners* a. XCI. recitatam, *de Graecorum gymnaſiorum vtilitate et damnis.* Vol. XI. Commentat. Soc. Reg. Gotting. prelo excuſam).

Digitized by Google

ſium ſtudia peperit, vt inter reip. Athenienſium euerſae cauſſas res ſcenica merito ſit referenda! Videndum itaque erit, ne de rerum inſtitutorumque bonitate et vtilitate iniquum iudicium feramus, ratione tantum habita eorum, quae temporum et hominum vitio in illa ſe inſinuarunt. Contra vero id agendum, vt, quae bene inſtituta ſunt, bonis conſiliis curisque aſſiduis muniamus ac ſtabiliamus, vitiisque ac deprauationibus prouide ac mature occurramus.

Hoc idem eſt, in quod vel maxime Patres reip. noſtrae academicae ſibi incumbendum eſſe dudum intellexere, vt rem ab Rege indulgentiſſimo ſapienter inſtitutam ita adminiſtrarent ac moderarentur, vt vtilitatis, quam nunc quidem nemo facile inficietur, eximiae laus et commendatio ei maneat perpetua. Conſequemur autem hoc, ſi eodem, quo adhuc factum eſt, modo vtilitates, quas ipſe vſus et experientia probauit, curemus ac cupiamus eſſe quam maximas, ita vt, commendando inſtituti conſilium et rationes, ſtimulos calcarque addamus ingeniis, inflammemusque doctrinae noſtrae alumnos laudis cupiditate, ſine qua nullum vnquam ingenium ad magna ac praeclara eniti vidimus. Nec vero facile iuniores aetate eleuant ea quae a maioribus natu honore et laude haberi viderint; auctoritate itaque noſtra huic concertationis generi exiſtimationem et dignationem perennem parabimus. Vtemur ſtudio et circumſpectione in quaeſtionibus inueniendis, diligentia ac ſeueritate in ſcriptis iudicandis et inter ſe comparandis, integritate ac religione in ſententiis

 feren-

ferendis. Prouidebimus porro ac curabimus, ne accingant ſe ad hoc certamen ciues noſtri niſi ingeniis animisque ſatis firmatis, litterarumque ſtadio non inito ſed curſu fere ad metam peracto. Omnino autem conſiliorum ſumma ponenda eſt in eo, vt ne in ipſo praemio auferendo aut in ſcriptionum, quae oblatae ſunt, virtutibus et laudibus omnis certaminis huius ſcopus et vtilitas quaeratur: verum inſtituti huius praeſtantia et excellentia conſtituenda eſt in eo, vt multi ex iuuentute academica excitentur et inſtigentur ad vires ingenii ſui experiendas, ad meditandum et commentandum, ad orationis et ſcriptionis vſum et exercitationem. Ita ad victos iuxta ac victores vtilitates non vnius generis manare, ipſa diſciplinarum ſtudia incendi, audiendi ac legendi ardorem inflammari, laudis ex rerum honeſtarum ſtudiis petendae auiditatem inſtillari neceſſe eſt.

Quae cum adhuc a nobis curata ac ſollicite prouiſa ſint, nunc quam praeclaros ea euentus habeant, etiam nupero certamine manifeſtum factum eſt. Nulla fuit quaeſtionum ab Ordinibus academiae noſtrae propoſitarum quae non nacta eſſet ingenia idonea, quae illis expediendis et explicandis operam probabilem adhiberent. De quibus vt ab iis, qui nos legunt, ipſis iudicium fieri poſſit, agedum, exponamus cum quaeſtiones in diem ſolennem propoſitas, tum quae ſcripta in certamen prodierint, et quaenam ex iis Ordinis quaeque ſui arbitrio laude ac praemio digna viſa ſint.

Conſti-

Digitized by Google

Conſtituta erat ab *Ordine Theologorum* quaeſtio haec:

Quae voce luxus vulgari loquendi modo comprehendi ſolent, num licita ſint e legibus diuinis, praeſertim in libris ſacris promulgatis an illicita?

„Duo redditi Ordini Theologorum libelli, quorum alter dicto Paullino:

ουχ ὁτι ηδη ελαβον η ηδη τετελειωμαι, διωκω δε, ει και καταλαβω,

inſignitus eſt, alter ſententiam in fronte fert:

ταμειον της αρετης εστιν ἡ σωφροσυνη μονη.

„Prior commentatio ſtatim ab initio prodere viſa eſt, quaeſtionis propoſitae vim ac momentum, reſpectu praeſertim ad noſtram aetatem habito, probe auctorem perſpexiſſe. Quae porro ſententiarum ſuper hoc argumento varietas ac diuerſitas fuerit, quae de luxus effectibus, et de luxus origine ac progreſſibus diſputantur: in his multam ac multiplicem et cum dilectu adhibitam, e claſſicis inprimis hiſtoricis ac theologicis ſcriptis hauſtam eruditionem, eamque iudicio ſubacto temperatam, magna cum voluptate deprehendit Ordo venerabilis. In conſtituenda porro luxus definitione, praecipue vero in conquirendis elucidandisque argumentis, auctor iis, quae ab illo praeſcripta erant, ſatisfecit. Haud aeque bene mentem Ordinis in aſſequendo luxus ad ſingulos homines integrasque res publicas reſpectu ille aſſequutus eſt. Quae enim ad definiendos luxus limites tantum adhibenda fuiſſent, ea declarandis luxus effectibus fundamenti loco ſubiecit: qui quidem error tractandi quoque ordinem turbauit atque repetitionibus inutilibus locum fecit. Neque illud

ſe Ordini theologico approbauit, quod, quamuis de luxus ratione ethica ſeu moralitate vniuerſim recte ſit pronunciatum, non ſatis tamen accurate ſtatuatur, *quatenus ille illicitus ſit;* ipſa quoque ſententia manca eſſe viſa eſt et imperfecta, quum inter αδιαφορα referatur luxus, quem leges diuinae in ſacris litteris promulgatae in officiorum quoque numero collocare iubent. Cum tamen in plurimis partibus commentatio haec Ordinis theologici expectationi reſponderit, ſtilo etiam puro illa ſcripta ſit ac lucido: hanc ipſam commentationem dicto Paullino ουχ ότι ηδη ελαβον notatam praemio Regio dignam eſſe iudicauit Theologorum Ordo. „

Scheda reſignata nomen recitatum eſt victoris:

IOANNES HENRICVS HEINRICHS
Seminarii philologici ſodalis et inſtituti hiſtorici Gottingenſis Aſſeſſor;

qui idem iam in certamine LXXXVI. palmam Theologici Ordinis arbitrio reportauerat: ſtudio ille et fauore omnium bonorum tanto dignior, quod inter fortunae anguſtias nec animum nec ingenium frangi paſſus eſt.

Ordo Iureconſultorum poſtulauerat:

Vt et moribus Germanorum, iure communi legibusque imperii, exponeretur, vtrum ciui S. R. I. in exteras oras, vel ciui certi territorii Germaniae in aliud territorium emigrare fas ſit, atque an et quatenus facultas emigrandi ratione perſonarum aut bonorum circumſcripta ſit?

„Exhibitae Ordini ſunt quinque commentationes hiſce ſymbolis inſignitae:

I. *Apis matinae more modoque.*

II.

II. *Nos patriae fines et dulcia linquimus arua.* Virg.
III. *Nonum prematur in annum.*
IV. *Licentia abeundi fons erat ciuitatum opulentiae.* Hert. *de ſuperiorit. territ.* §. 55. n. 2.
V. *Neque Germanica natio vnquam totam ſeruitutem potuit pati.* Monzambano.

„Harum commentationum tertia non ſolum rerum copia atque fontium ſubſidiorumque adparatu adhibito reliquas antecellit, ſed eo etiam ordine tantaque diligentia et doctrina argumentum expoſuit, vt mereri praemium Ordini omnino videretur. Etiamſi enim omnibus ac ſingulis eius ſententiis Ordo calculum adiicere non potuerit, neque dubium ſit, quod ipſe commentationis auctor praeſcripto ſymbolo innuiſſe videtur, opus longe perfectius, ſi nonum illud premere in annum licuiſſet, exſpectari ab eo potuiſſe; tamen temporis praeſcripti ratione habita non potuit non probari eximia auctoris, qua hoc argumentum enucleauit, doctrina, ſummaque in conquirendis ordinandisque legibus Germaniae prouincialibus, quae ad hanc rem ſpectant, ſollertia. Quare vnanimi Ordinis ſuffragio decretum eſt praemium commentationi, cui inſcriptum:

III. *Nonum prematur in annum.*

Scheda reſignata nomen prodiit:

Io. Ant. Lvd. Seidensticker, *Hannoueranus.*

„Non multo tamen minorem in conquirendis digerendisque legibus, quae hic in conſilium vocandae erant, adhibuiſſe viſus eſt diligentiam, nec impari iudicii acumine quaeſtionem enodauiſſe auctor commentationis V., cui inſcripta dictio Mon-

Digitized by Google

ZAMBANI: *Neque Germania natio vnquam totam ſeruitutem potuit pati.* Quam propterea *proxime priori accedere* ſtatuit Ordo. Auctorem ſe eius commentationis poſthaec profeſſus eſt

EHRHARDVS LETH, *Gankoſio Bauarus.*

Quumque et ſecunda commentatio, inſcripta: *Nos patriae fines et dulcia linquimus arua*, non doctrina ſolum inſigni ſed et ſtili cultioris elegantia ſe commendet: *tertio* loco eam laudandam eſſe iudicauit Ordo; qui nec *quarto* loco deeſſe potuit probandae diligentiae atque eruditioni, qua conſcriptus eſt libellus num. IV. commemoratus, praemiſſo ſymbolo: *Licentia abeundi fons erat ciuitatum opulentiae.* Prioris iſtius auctor in notitiam venit

ERNESTVS HENRICVS OELRICHS, *Hannoueranus.*

Quaeſtio *Ordinis Medici* erat haec:

Quum interſit medicorum plurimum, noſſe calculi principia, quumque ea ſine dubio non raro a deprauata vrinae mixtione pendeat: optat Ordo medicus, vt ex iuſta vrinae ſanae, propriis experimentis ſuffulta, analyſi, quantum licet, determinetur, quaenam vrinae vitia, hanc eius partium mixtionem ſpectantia, ſabulo renum calculoque originem praebeant, et, quaenam exinde conſectaria tum in praecauendo tum in ſanando hoc malo proficua, fluant.

„Medicorum Ordini ad quaeſtionem propoſitam duo ſcripta reddita ſunt; vtrumque diligentiae et ingenii documentum irrefragabile, ſcriptione concinna et ordinata, lectionis atque experimentorum copia, egregias laudes promeritum:

alterum, inſignitum dicto: *Felix cui hominum leuare mala contigit,*

alterum,

alterum, ſignatum emblemate: *Praeſtat naturae voce doceri, quam ingenio ſuo ſapere.*

Quod poſterius quum ingenii fertilitate et experimentorum copia atque varietate praecellat, *praemio dignum* reputauit Ordo medicus; *alteri*, veterum lectione aſſidua et dicendi genere conciſo terſoque eminenti palmam *ſecundariam* adiudicauit."

Compertum inde eſt, chartula reſciſſa, victricis commentationis auctorem eſſe

HENRICVM FRIDERICVM LINK, *Hildeſienſem.*

Alterius autem altero loco memoratae cum ſymbolo: *Felix cui hominum leuare mala contigit!* CAROLVM HENRICVM DE OLNHAVSEN, *Hohenloicum.*

Cum ſingulari aliqua Regis noſtri Indulgentiſſimi munificentia *Ordini philoſophico* facultas oblata eſſet duplex praemium conſtituendi et adiudicandi: propoſita erat ſtudiis veſtris, Commilitones, *quaeſtio alia ordinaria, alia extraordinaria.*

Ordinaria quaeſtio erat:

Geographia Africae Herodotea, h. e. *notitia Africae geographica ex Herodoto conſtituta; ita vt populi ac regiones ab eo commemoratae probabiliter geographico more finiantur ac deſcribantur; adiunctis ex aliis ſcriptoribus non niſi iis, quae ad illuſtrationem facere poſſunt; Aegypti ſummatim tantum ratione habita.*

Proceſſerunt in arenam pugnatores *tres* nec tirones aut nouitii; pro inſignibus adſcripta ſymbola:

I. quidem *Niſi vtile eſt quod fecimus, ſtulta eſt gloria:* adiecta huic Commentationi eſt Tabula geographica.

II. *Age, ſi ventum fuerit? Non renuntiabo.* ex VALER. MAX. (III, 8, 3.)

III. Μητε τι μοι ψευδεσσι χαριζεο, μητε τι θελγε.

 Nulla

Nulla eſt harum Commentationum quae non laudibus ſuis ſe commendet. Priore loco memorata operae ſedulitatem in conquirendo approbauit Ordini affatim; haud aeque ſollertiam et acumen in rebus diſpiciendis et iudicandis, aut in iis eloquendis curam. Magna commentationis pars Aegypti deſcriptione conſumitur. Atqui in ipſa quaeſtione praeſcriptum erat, Aegypti ſummatim tantum rationem eſſe habendam. Inſunt tamen haud pauca, quae, ſi maior ſubtilitas acceſſerit, nitere poſſint. Ita fines Africae et maria, partim ſaltem, melius conſtituta quam in ceteris.

Quae loco tertio memorata fuit commentatio, habet auctorem, qui exquiſito cum iudicio ea, quae appoſuit, ſelegit ac digeſſit; acute vidit pleraque; ſcripſit docte et latine, etſi non vbique perſpicue ſatis ac luculente. Quod vero ad ſummam argumenti ſpectat, hiſtorice magis quam geographice quaeſtionem expoſuit et enodauit.

Supereſt media cum lemmate: *Age, ſi ventum fuerit?* Ad geographicam rationem, rerum digerendarum ordinem, ipſam orationem, quam geographica diſputatio poſtulat, quod attinet, haud dubie ea praeſtat ceteris. Nec deſideramus diligentiam et induſtriam ſiue in verbis ſiue in rebus. Aequabile porro ſibique conſtans ſtudium eluceſcit in partibus ſingulis et in toto colore. De Aegypto ſane plura dicta ſunt quam neceſſe erat; nec tamen ſtudium ingeniique vigor ad cetera accurate perſequenda refrixit. Viſus itaque eſt auctor poſtulatis et votis noſtris inprimis ſatisfeciſſe, et praemio digna ab Ordine philoſophico

declarata

Digitized by Google

declarata eſt Commentatio verbis inſcripta *Age, ſi ventum ſuerit.* Proximo tamen loco acceſſiſſe iudicata commenttaio graecis verbis inſcripta: Μητε τι μοι ψευδεσσιν.

Inſpecta membranula appoſita nomen lectum eſt

IOANNES FRIDERICVS HENNICKE
Gottingenſis, Seminarii philologici Sodalis;

et qui proxime ad laudem palmamque acceſſerat,

CAR. TRAVGOTT SCHOENEMANN
Islebienſis, Seminarii philologici Sodalis, Inſtituti hiſt. R. G. Aſſeſſor.

idem ille, qui ſuperiore anno victricem Commentationem ſuper Geographia Homeri perſcripſerat.

Supererat nunc altera

Quaeſtio extraordinaria:

Fabuloſam Argonautarum Geographiam ex veterum, tam integris, quae ſuperſunt, monimentis, quam deperditorum fragminibus, eruere: diuerſas, ex diuerſorum mente, itineris vias proſequi: regiones denique et vrbes, quas in expeditione acceſſiſſe dicuntur Argonautae, accurate determinare, et ad hodiernam iſtius tractus faciem reuocare.

Non ſine voluptate, quod profiteri licet, eorum, qui ad arbitrium ferendum conſederant, perlecta eſt Commentatio inſcripta verbis: πανυστατος ηλυθεν αλλων. Iudicii ſubtilitate et litterarum antiquarum copia ac doctrinae elegantia mirifice illa ſe commendat. Ingenium priſcarum aetatum auctor ita induit, ſe que inſinuauit, vt, cum ſemel ad certas cauſſas et principia res deducta eſſet, ex iſtorum hominum ſenſibus ac notionibus feliciter expediret quaeſtio-

nem obſcuram ac difficilem, primasque adeo orbis terrarum notitias, quibus tot auctus et incrementa ſucceſſerunt, ex mythorum inuolucris euolueret et explicaret. Ordine proceſſit eo, vt in priore parte Orphicorum narrationem praemitteret et illuſtraret, reliquos auctores cum iis compararet; in reditu autem Argonautarum, a ſimplicitate Homeri et mythorum in Heſiodo exorſus, ornamenta et commenta ſequiorum ſcriptorum, ſagaciter appoſitis et critico acumine exploratis eorum locis, perſequeretur. Nec eſt quod deſideremus praeterquam quod ſcribendi genus interdum eſt impeditum ac ſalebroſum, adeoque perſpicuitate et ſuauitate deſtitutum; et quod in nonnullis aliquantum properatum eſt. Cum paucis his naeuis palmam tamen vno ore detulit Ordo philoſophicus dictae commentationi; cumque ſigillum auulſum et inſpectum eſſet, exiit nomen idem, quod in ſuperiore quaeſtione altero loco victoriae adſperſum fuit:

CAR. TRAVGOTT GOTTLOB SCHOENEMANN
Islebienſis, Seminarii philologici Sodalis et Inſtituti hiſt. R. Aſſeſſor.

In pronuntiatis his victorum primo et ſecundo loco nominibus pergratum et iucundum auditu fuit illud, quod inter eos *tres* ſunt e terris *Hannoueranis* oriundi, et *quarto* loco *Gottingenſis*, qui adeo huic ipſi vrbi, litterarum ac diſciplinarum hoſpitio, tandem aliquando hoc ipſum decus pararet, et nobile illud Maronis: *Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas:* aemularetur.

Proſpero

Digitized by Google

Proſpero hoc certaminis propoſiti ſucceſſu recreati et erecti bona cum ſpe Quaeſtiones in proximum annum ſimili concertationi propoſitas promulgamus.

„Edicitur itaque quaeſtio

a THEOLOGORVM quidem ORDINE haec:

Vt nihil ad ſenſum communem planius eſt, quam: Ieſu Chriſti in ſancienda propagandaque ſenſim per orbem terrarum noua religione ac diſciplina hoc conſilium fuiſſe, vt generis humani veram, eamdemque ampliſſimam perennemque, felicitatem vni puriſſimo virtutis, Dei ipſius, et propter hunc, mutui inter ſe hominum et gentium amori, ſuperſtrueret:

Ita oſtendatur in ſpecie, *praeceptum illud grauiſſimum de diligendis inimicis, et in officiis erga eos ex diſciplina chriſtiana obſeruandis, neque naturae humanae, neque ſaluti ſingulorum priuatae, neque, quod ad ius belli attinet, ſaluti publicae integrarum gentium, repugnare.*

Quem in finem explicetur vera natura, vis et ambitus praecepti huius euangelici, non modo ex ſententiis ipſius Chriſti et Apoſtolorum, ſed ex indole religionis, ſanctimoniae ac felicitatis chriſtianae, vt vanitas obiectionum tam antiquiorum, quam recentiorum per ſe appareat.

„ORDO IVRECONSVLTORVM proponit quaeſtionem:

Quaenam ſint genuina fundamenta iuris ſupremae poteſtatis circa adeſpota, quibusque ex rationibus alia tamquam

Digitized by Google

quam ſpuria reiicienda ſint? Eamque quaeſtionem non ſolum ex principiis iuris publici vniuerſalis, verum etiam ex principiis iuris Romani et iuris publici Germanici enodari deſiderat.

„Ab ORDINE MEDICO quaeritur:

Quinam ſunt effectus opii in corpus animale ſanum, maxime reſpectu habito ad eius analogiam cum vino: et quomodo necat? Experimenta fiant in animantibus calidi ſanguinis; amphibia nonniſi ad comparationem inſtituendam adhibentor.

Ab ORDINE PHILOSOPHICO

iubentur ii, qui de praemio concertaturi ſunt,

Quibusnam rationibus ac momentis virtus nullo religionis praeſidio munita ſeſe commendare ac tueri poſſit, ex ipſa rei natura declarare, Stoicorumque atque Epicureorum praeceptis illuſtrare.

Indictum eſt certamen in diem IV. Iunii anni, vt diximus, proximi LXXXIX. praemium ſingulis e liberalitate Regia conſtitutum eſt numus aureus XXV. aureorum ducatorum pondo. Scriptiones, quae admitti volent, ante Kalendas Apriles anni redditae ſunto. Ceteras leges certaminis ex ſuperiorum annorum edictis nondum animis exciderunt, aut, ſi de iis dubitetur, edicta illa inſpicienda ſunt. Interea tamen conſultum eſſe videtur monere nonnulla, quae, parum recte curata aut obſeruata, hoc quoque certamine committendo moleſtias creare vidimus. Primo breuitati ſtudendum eſſe putatote, Commilitones, vel maxime, memoresque eſtote, alienum eſſe a toto hoc conſilio, vt, quae lectionis

diligentia

Digitized by Google

diligentia et aſſiduitate conquiſiuiſtis, eadem pugillis plenis in noſtrum gremium effundatis. Non niſi iudicium veſtrum de rebus propoſitis eiusque rationes et probationes deſideramus; non niſi ea, quae ex iis opibus congeſtis ad cauſſam faciunt, eamque firmant aut infringunt, ſunt apponenda; eritque veſtrarum commentationum laus tanto maior, quo plurima paucis complexi fueritis. Non facile itaque quatuor vel ſex quaternionum numerum excedere licebit in poſterum iis, qui ad concertationem admitti volent. Porro flagitamus et poſtulamus iure noſtro, vt ii qui in commiſſionem deſcenſuri ſunt, mature cogitent de exemplari ſcripturae et apographo nitide et diligenter facto, vt lectio ne ſit tam impedita et moleſta, qualem experti ſumus in nonnullis; plagulae rite iungendae et ſuis numeris notandae ſunt. Etiam ſchedae, quibus nomina inſcripta ſunt, diligenter ſunt complicandae et obſignandae, ne cera defluat aut fatiſcat; maxime vbi ipſi libello affixae illae ſchedae et applicitae fuerint.

Nunc, cum hac ipſa ingeniorum ac ſtudiorum iudicatione facta victorum frontes ad hilaritatem explicitae et mentes ad maiores ſpes ac laudes per futuram vitam accenſae eſſent, progreſſus factus eſt ad hilaritatem laetitiamque huius diei publicam. Sollennibus ille natalitiis Regis noſtri Auguſtiſſimi et Indulgentiſſimi celebrandis erat indictus. Inter haec bona autem, quibus fruimur, in hac litterarum luce, hac libertate ciuili, religioſa ac litteraria, publica priuataque rerum noſtrarum incolumitate,

quam ſpuria reiicienda ſint? Eamque quaeſtionem non ſolum ex principiis iuris publici vniuerſalis, verum etiam ex principiis iuris Romani et iuris publici Germanici enodari deſiderat.

„Ab ORDINE MEDICO quaeritur:

Quinam ſunt effectus opii in corpus animale ſanum, maxime reſpectu habito ad eius analogiam cum vino: et quomodo necat? Experimenta fiant in animantibus calidi ſanguinis; amphibia nonniſi ad comparationem inſtituendam adhibentor.

Ab ORDINE PHILOSOPHICO iubentur ii, qui de praemio concertaturi ſunt,

Quibusnam rationibus ac momentis virtus nullo religionis praeſidio munita ſeſe commendare ac tueri poſſit, ex ipſa rei natura declarare, Stoïcorumque atque Epicureorum praeceptis illuſtrare.

Indictum eſt certamen in diem IV. Iunii anni, vt diximus, proximi LXXXIX. praemium ſingulis e liberalitate Regia conſtitutum eſt numus aureus XXV. aureorum ducatorum pondo. Scriptiones, quae admitti volent, ante Kalendas Apriles anni redditae ſunto. Ceteras leges certaminis ex ſuperiorum annorum edictis nondum animis exciderunt, aut, ſi de iis dubitetur, edicta illa inſpicienda ſunt. Interea tamen conſultum eſſe videtur monere nonnulla, quae, parum recte curata aut obſeruata, hoc quoque certamine committendo moleſtias creare vidimus. Primo breuitati ſtudendum eſſe putatote, Commilitones, vel maxime, memoresque eſtote, alienum eſſe a toto hoc conſilio, vt, quae lectionis

diligentia

Digitized by Google

diligentia et aſſiduitate conquiſiuiſtis, eadem pugillis plenis in noſtrum gremium effundatis. Non niſi iudicium veſtrum de rebus propoſitis eiusque rationes et probationes deſideramus; non niſi ea, quae ex iis opibus congeſtis ad cauſſam faciunt, eamque firmant aut infringunt, ſunt apponenda; eritque veſtrarum commentationum laus tanto maior, quo plurima paucis complexi fueritis. Non facile itaque quatuor vel ſex quaternionum numerum excedere licebit in poſterum iis, qui ad concertationem admitti volent. Porro flagitamus et poſtulamus iure noſtro, vt ii qui in commiſſionem deſcenſuri ſunt, mature cogitent de exemplari ſcripturae et apographo nitide et diligenter facto, vt lectio ne ſit tam impedita et moleſta, qualem experti ſumus in nonnullis; plagulae rite iungendae et ſuis numeris notandae ſunt. Etiam ſchedae, quibus nomina inſcripta ſunt, diligenter ſunt complicandae et obſignandae, ne cera defluat aut fatiſcat; maxime vbi ipſi libello affixae illae ſchedae et applicitae fuerint.

Nunc, cum hac ipſa ingeniorum ac ſtudiorum iudicatione facta victorum frontes ad hilaritatem explicitae et mentes ad maiores ſpes ac laudes per futuram vitam accenſae eſſent, progreſſus factus eſt ad hilaritatem laetitiamque huius diei publicam. Sollennibus ille natalitiis Regis noſtri Auguſtiſſimi et Indulgentiſſimi celebrandis erat indictus. Inter haec bona autem, quibus fruimur, in hac litterarum luce, hac libertate ciuili, religioſa ac litteraria, publica priuataque rerum noſtrarum incolumitate,

mitate, quae tandem commemoratio animum erigere, quod nomen carius poteſt eſſe quam *Georgii tertii*, quo Nutritore et auſpice, *vtilium litterarum*, artium et ſcientiarum, ſtudia tam laete inter nos effloreſcunt, vt memorabili aliquo beneficio Orbi terrarum Ille his ipſis maxime temporibus obtigiſſe videri poſſit, quibus luxu eneruata multis in terris ingenia ipſaeque litterae fractae aut delicias faciunt et meretricio fuco placere volunt, aut ab iis, quae ſciri poſſunt nec tenentur, ad rerum portenta et miracula, quae ſciri nequeunt, deerrantes inſaniunt. At hoc Rege moderatore conſtat honos ſuus litterarum ſaniorum ac ſeueriorum diſciplinis, prouiſumque eſt adhuc, vt in Georgia Auguſta diuinas humanasque diſciplinas nec fanaticus error, nec inſipiens ſapientia, nec ſectarum furor, nec aſſeclarum ſtupor ſeu turbet ſeu obſcuret. Libere et ex ſuo iudicio ſapere licet omnibus; ne quis ſibi ſoli ſapere ceteris deſipientibus videatur, ſenſu communi, iudicioque omnium intacto, nec in partes diſtracto, ſed ad rerum hominumque naturas et rationes attemperato, prouidetur. Quae noſtra bona, vt Numen O. M. perennia eſſe iubeat, precamur, eique ſupplicamus vt Regem noſtrum incolumem ad rei publicae felicitatem et domus Auguſtae ſplendorem res gerere, conſiliorum vtilium proſperos euentus habere, Eumque, vt *patris patriae* titulo, ſic, raro in purpura exemplo, *patris familias* numeroſa prole in domo fauſta florentis nomine, inter reges Europae ad omne aeuum memorabilem eſſe iubeat. Cumulata ſit bonis omnibus Auguſta domus; adoleſcantque ad magnas virtutes et ad magna-

magnarum rerum gerendarum conſilia artibus bonis litteriſque innutriti Principes Sereniſſimi, Georgiae Auguſtae fidei ac tutelae crediti. Salua ſit reſp. noſtra litteraria et partam laudem tuendo maiora indies capiat incrementa. Quae vt rata ſint, precamini nobiscum, quotquot, legendo haec, nobis praeeuntibus vota nuncupatis, vniuerſi ac ſinguli.

P. P. in Georgia Auguſta menſ. Iunio cIↃ IↃ CCLXXXVIII.

Digitized by Google

III.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. GE. HENR. FEDER
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
THEOPHIL. IACOB. PLANCK D.
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS
IN A. D. II. IVLII cIↃ IↃ CCLXXXVIII.

Longinquarum in barbaros expeditionum, et barbarorum in Europam incurſionis, conſilia noſtris aetatibus pariter ſublata.

Exacto, quod bene vertat, per fauſtos ac ſecundos rerum et curarum ſucceſſus ſemeſtri, ſummo rerum auctori, aeterno numini, cum vota pie facta perſoluimus, tum noua vota ſuſcipimus pro nouo magiſtratu ſemeſtri, quem initurus eſt Collega noſter coniunctiſſimus,

THEOPHILVS IACOBVS PLANCK, D.

vir vt iudicii doctrinaeque ſubtilitate, ita conſilio-

rum

Digitized by Google

rum honeſtate, animi candore ac reip. ſtudio, et nobis probatus, et veſtris, Commilitones, ſuffragiis, veſtra laude veſtroque amore, ita ſpectatus, vt de proſpero rerum academicarum ſtatu, de veſtris in eum ſtudiis, et de obſequio veſtro fauſtiſſima quaeque ominemur, auguremurque inprimis diſciplinam academicam per hoc ſemeſtre bonis conſiliis exemplisque tam bene fundatam, cura et auctoritate huius viri, integritate, et comitate, quae ſeueritatem temperet, fore incorruptam ac perpetuam. Faxit deus O. M. ſeruetque reip. ſtatum inconcuſſum et incolumem. Hac enim rerum noſtrarum aequabilitate quid eſſe poteſt optabilius nobis *Quietem tanquam ſalutarem deam colentibus*?

Dictis his, Commilitones, tanquam ſenatorio loco, egredimur ſententiam, et, tametſi non, vt ille Cato, adiicimus, "Ita cenſeo, et praeterea cenſeo Carthaginem eſſe delendam", ex rerum tamen, quae nunc cum maxime ad Iſtri ripas et Ponti Euxini littora geruntur, opportunitate, quandoquidem, dum haec ſcribimus, ad otioſum ſermonem deducta res videri debet, excurrere liceat in vota multorum de delenda Conſtantinopoli, et in ſpem a multis conceptam de Turcorum imperio noſtris armis euertendo; temerariam forte illam, quandoquidem talis rerum conuerſio totius facile Europae ſtatum labefactare poſſet; aut potius, cum haec ad ariolationem a loco noſtro ac conſilio alienam delabi poſſint, maneamus in temporibus praeteritis et hiſtoriarum fide de iis accepta, vnde peti ac conſtitui poſſint illa, quae ſpem nimis laetam ac vanam incidant; et *de longinquarum in barbaros expeditionum*

difficultatibus ita agamus, vt antiquiora tempora comparemus; quo facto coniungamus cum illa quaeſtione alteram tanquam affinem: *metuendumne ſit, ne vnquam nouae barbarorum incurſiones in Europam fiant.* Quae tota diſputatio, in rebus futuris conſtituta, cum in probabilitate ſe contineat: nolumus ſane ea, quae memorabuntur, aliter quam ad acuendum ingenium et ad delectandum propoſita accipi aut iudicari.

Sunt in vetere rerum memoria *expeditiones in barbaras gentes, terrarum interuallis diſſitas*, ex Europa quoque, plures, quae ſucceſſum habuere memorabilem; eoque modo conſtituta ſunt magna imperia, quae in generis humani annalibus memorantur, non modo illa, quorum origines multis fabuloſe narratis inuolutae ſunt, vt Aſſyriorum, Nino ac Semiramide agmen in extrema Aſiae quoquouerſus ducentibus; ne Seſoſtridem memoremus aut Achiuorum aduerſus Troianos mota arma; verum ex vera et annalibus tradita rerum geſtarum memoria. Quis enim, vel nobis non monentibus, Alexandri non meminerit? qui traiecto in Aſiam exercitu Perſis victis vsque ad Indos debellandos proceſſit? Quod iſtis temporibus, Macedonum diſciplina, melius quam Perſarum re militari conſtituta, corporum virtute, ducis ingenio animoque ſummo, factum eſt, quidni noſtris quoque aut futuris aetatibus expectari poſſit? Inertia regum et luxuria, ad adminiſtros impotentes apud Perſas ſumma rerum redierat; omnique licentiae ac libidinis genere praefecti in prouinciis graſſantes ad ſeruitutis nouiſſima detruſerant populos, ipſi in foedas adulationes potentio-

tentiorum, vt ſit, prolapſi. An in imperiis Othmanorum ac Perſarum, an in aulis meliora nunc ſe offerunt? Cum agmine modico Alexander profectus innumeras, ſed ad barbaricum faſtum potius quam ad habitum militarem compoſitas copias, etſi in his numeris ferociſſimae et aſperrimae gentes habebantur, vicit et regno Darium exuit. Quidni tanto maior adſit probabilitas, cum e vicinis locis duo valentiſſima imperia coniunctis armis fines Othmanici imperii aggrediantur, fore vt illud omnium malorum, quibus dominatio impotens laborare poteſt, mole a multo inde tempore fatiſcens, vno ictu corruat?

Verumtamen nec minus potentium populorum ac regum expeditiones longinquae infeliciter ſuſceptae in rerum memoria proſtant: vt Perſarum in Scythas cum Aſiae tum Europae, in Aethiopes porro, et in ipſam Graeciam; etſi ſucceſſus intercepti cauſſae in medio ſunt poſitae, cum conſilium et militaris artis prudentiaeque moderatio abeſſet, nec fraudes et inſidiae ſatis cauerentur, et pugnaretur cum fortioribus. Pyrrhi quidem in Italiam ac Siciliam, et ſimiles alias minoris momenti expeditiones excitare nolumus. Vnum eſt maxime memorabile exemplum expeditionis ad recuperandam terram ſanctam ſuſceptae inde a ſaeculo XII. etſi haec quoque ſucceſſu expectato non caritura fuiſſet, ſi meliora conſilia placuiſſent ducibus, nec ipſi inter ſe acrius, quam cum hoſtibus, pugnaſſent; quod ſi enim fortuna vti noniſſent illi in rerum principiis ſatis proſpera: haberemus nunc Aſiam a nullis Othmanis vexatam; et quantas rerum mutationes, quam

 diuer-

diuerſum euentorum ordinem, quam diſcrepantem Europae ſtatum et cultum habituri fuiſſemus, ſi Aegyptus iam tum in Europae ditionem veniſſet et commercium Indiarum et Europae per Aegyptum reſtitutum fuiſſet!

Sunt alia exempla armorum in longinquas terras motorum, verum ex finitimis prouinciis imperiorum latos fines habentium. Romanos ſane ipſa bellorum tanquam contagio ex alia ad aliam prouinciam ſubiugandam traxit, ita vt, quae magnorum imperiorum peſtis et labes eſt, proferendi eſſent fines tanto latius, quo latiores eſſent facti; bellabant itaque cum barbaris in terris remotiſſimis; verum tamen armis ex proximo motis. Populos claſſibus vſos, ad longinquas terras arma ferentes, noua imperia facile condere, nemo mirabitur; disiunctas enim terras facit contiguas nauigatio; ſuntque ſucceſſus tanto feliciores, ſi bellicoſi et validi magnis viribus magnoque apparatu inuadunt imbelles et imparatos; ſpoliatis autem populis magnas opes accedere victori, non magis mirabimur, quam, quod nulla talis dominatio diuturna eſt; nouae enim opes cum aliorum iniuriis et miſeriis partae ad luxuriem et nouam ex ea ipſa natam praedarum cupiditatem adducunt, nouis conatibus aliena inuadendi attritae vires langueſcunt, tandemque ſaeuus dominus vna cum ſeruientibus praeda fit nouo victori. Ita Poeni creuerunt Africa et inſulis expilatis; iisque inſulis amiſſis ſuam fecere Iberiam. Ita Hiſpanorum et Luſitanorum in vtraque India opes conflatae ſunt; vti nec minus ad intelligendum obuium eſt, qui factum ſit, vt aliarum ex Europa gentium

gentium in illis terris dominatio iſtorum libidini, auaritiae et ſocordiae, ſucceſſerit, habitura illa fortunam ſimilem ſimilibus in moribus, quando exhauſtis prouinciis aut ex deſperata ſalute audacia, aut ſibi ſtudens alienae iniuriae vindex, obtigerit. Ex his igitur vtriusque Indiae, dominatione e longinquo tam facile habitae, exemplis parum praeſidii peti poteſt ad iudicium faciendum de Othmanorum imperio euertendo, proferendisque aut Germanorum aut Ruſſorum armis in mediam Aſiam.

Cum his ſunt alia, quibus melior de coeptorum ſucceſſu concepta ſpes ſi non infringi, labefactari tamen haud leuiter poteſt; adeo enim noſtro aeuo facies rerum eſt mutata, vt de ſimili conſilio, quale Alexandri in Perſas ſuſcepta expeditio fuit, ne cogitari quidem poſſit. Omnino prudentia, ſi non optima, aut talis qualem ſapientia cum honeſtate et humanitate probet, diuerſa tamen ac melior, regum conſilia temperat, vt vtilitates ſpectent in medio poſitas, non e longinquo petendas. Vicina igitur ac finitima imperia, quicquid eſt curarum et conſiliorum, in ſe conuertunt; nec, niſi in cauſſis commerciorum et nauigationis, ad exterorum regum ac populorum conſilia ac fata animos admouent reges, aut palatia regum, conſilia et aulae, quas nunc pro regibus nominare ſolemus. Habet etiam in his locum, quod noſtris aetatibus non minus quam antiquis, animaduertere licet, vt intra recepta nonnulla rerum et negotiorum capita, intra certa conſilia longo hominum vſu recepta, interdum caſu nata aut e re praeſenti ducta, (*ſyſtema politicum* vocant,

vſum politicum hodiernum verius dixeris,) contineat ſe prudentia, nec ea, quae in hoc comprehenſa non ſunt, etiamſi multo vtiliora et fructuoſiora, amplectatur. Quid enim? De Africae ora maritima boreali occupanda et extirpanda barbarorum praedantium immanitate quis, niſi qui deridendum ſe propinet, conſilia ineunda eſſe dixerit? quis de ſubiuganda Aegypto cogitandum eſſe? Ad Europae tamen vtilitates commerciorum que ſecuritatem et incolumitatem haud facile aliud quid magis exoptandum dixeris. Pro hoc conſumuntur vires aemulorum in opibus non tam ſuis augendis quam aliorum minuendis, dum creſcere ſe quisque putat rebus aliorum acciſis. Omnino ingenia olim, cum equeſtria ſtudia vigerent, ad calida et interdum ad veſana conſilia abrepta, nunc deferbuerunt et ad ſollennia communiaque depreſſa ſunt, in quibus multa moliendo parum proficimus, et viribus fruſtra conſumtis in priſtinis acquieſcimus, in quibus antea melius et tutius fuiſſet acquieſcere. De communibus autem Europae vtilitatibus diſpicere quis tandem in animum induxerit? pro ſe quisque conſilia agitat aut ſuis vtilitatibus proſpicit. Non itaque eſt locus expeditioni Europaeorum longinquae; quam, ſi alia admitterent, mutua regum odia et inuida conſilia tollerent. Quid? quod poſt illa, quae ab iis iam occupata ſunt aut ab Othmanis aliisque validis imperiis tenentur, nec habet terrarum orbis, quae appetant Europaei; niſi forſitan interiora Africae et Indiae; ad quae ne adſpiret auaritia et libido noſtra, caeli et ſoli natura intercedit. Ruſſi et Auſtriaci tanquam in finibus Europae excubantes magna

imperia

imperia ſibi obiecta eſſe vident, quae impetum ſuſtinent, locorum quoque ſitu aut ſolitudine, fluminibus, montiumque iugis et munimentis a natura factis tuta. Nec vero noſtra belli gerendi ratio bellis in terris admodum diſſitis gerendis eſt accommodata. Profectiones longinquas quo minus facere liceat, vetant impedimentorum et tormentorum bellicorum longi ordines, quibus ſtipata ſunt agmina noſtra, multoque magis commeatuum difficultas, quae vel in bello cum Turcis gerendo copias in finibus conſidere iubet, nec longius procurrere: et, ne omnino fortuna experiundo laceſſatur, Caroli XII. R. Suec. clades Pultauienſis monet. Sunt porro ipſi barbari noſtri aeui non comparandi cum iis quos Graeci et Romani hoc nomine appellarunt. Didicere multa melius inſtituere exemplo, monitu et auctoritate, Europaeorum; habent munitas vrbes et caſtella in finibus, conſtituta partim ab Europae populis per ſuperiora tempora, quum illas terras hi ipſi armis vindicarent. Tum vero barbarorum imperia ad bellum gerendum facultates rerum habent, quibus regna ad meliorem formam conſtituta deſtituuntur: primo quidem, id quod ſummum eſt, quod magnae hominum multitudinis iacturam aequiſſimis animis illa ferunt; cum contra ex Europaeis copiis vel vnius militis in numeris militaribus ſcripti et diſciplina militari imbuti detractio grauis et moleſta habeatur. Centum itaque militum iacturam non exaequant multa millia barbarorum internecione deleta. Praeterea barbari ingentes vires, quibus, etiam peſſime conſtituta, imperia, inſtructa ſunt, vndique ex omnibus terris verſus

vnum locum cogunt ac dirigunt; per ſuas prouincias faciunt ſolitudines, abſtrahunt capita ac pecora, nulloque humanitatis reſpectu ex iis terris abigunt, in quibus hoſti iter faciendum eſt. Porro praedae licentia barbarorum ingenia incendit, ſtimulo incredibili animis ſubiecto, quo ad audaciam inflammandam potentiſſimo diſciplina militaris noſtra vti vetat: qua etſi reſiſti barbarorum furori melius et duci bellum in longius tempus facile poteſt; quae vna eſt tutior ac certior ratio, qua barbarorum ingenia et conſilia conuelli ac profligari poſſint *); furori tamen iſti belluino ſaepe vix aut male reſiſtitur. Ad primos enim impetus, repentinas incurſiones et tentandos variis vndique impreſſionibus fines, barbarorum aptiora ſunt inſtituta et longo vſu probata. In prouinciis per praeſidum vexationes direptis ipſa rerum inopia ad raptum et praedam alit homines; roborantur in ſiluis et montibus corpora; coacta vndique ad pugnam ac praedam turba caeco in diſcrimen ruit impetu; ita numero ac ferocia ſua diſciplinam et ſcientiam Europaeorum facile exaequant. Niſi itaque repentino incurſu oppreſſi fuerint, antequam ipſi ad arma conuenere, non, niſi producendo bello, vinci facile poſſunt. Iam regna Europae ita comparata ſunt, vt ad bella diu ſuſtinenda nec viri nec copiae ſuppetant; quid quod nec otii ſatis eſt aut ſecuritatis ab aemulorum conſiliis regno imminentium. Fac enim Ruſſorum et Auſtriaco-

*) Polyb. II. 35. firmat Graecorum animos exemplis Gallorum a Romanis victorum, tum Perſarum et Gallorum in Graeciam impreſſionem facientium ſub Brenno barbarorum; primos tantum impetus eſſe ſuſtinendos, nec terroribus cedendum.

ſtriacorum arma ſecunda fortuna vti: quo magis proſpera fortuna illis arriſerit, eo maturius ad eorum opes minuendas conuolabunt alia Europae imperia. Etiamſi vero Europaei noſtri in longinquas terras armis infeſtis excurrere poſſent: longo tamen caeli ac victus noſtri vſu ac more illi inhabiles facti ſunt ad tolerandam caeli ac ſoli diuerſam naturam; maiores etiam difficultates obiiciunt hominum, qui illa loca incolunt, ingenia, inſtituta, vita et religiones: quae, ſi reliqua omnia virtute et conſtantia victa eſſent, victoriae fructum eriperent; inprimis cum noſtri homines in nouis prouinciis nihil prius antiquiusque habituri eſſent, quam vt incolentibus ſua ſacra ac religiones, ſuas ſuperſtitiones et opiniones, obtruderent. Erit enim hoc inter nouiſſima, quae in animum inducant ſibique perſuaſa habeant, Europaei: ſi Aſiae, Africae et Americae populis vtilia et ſalutaria conſilia et arma admouere voluerint: litteris, legibus, moribus inſtitutisque bonis ingenia eorum ante omnia eſſe imbuenda, religiones autem ac ſacra relinquenda; quae ipſi meliora edocti melius erunt emendaturi, quam aliena, ab eorum ingeniis notionibusque abhorrentia, quaeque nec animis nec ſenſibus percipere et aſſequi poſſint, admiſſuri. Etſi itaque, quod ſperare vix licet, ſecundos omnium rerum ſucceſſus annueret propitia aliqua fortuna: vix tamen cum armis victricibus progredi longius victores et ad Bosporum Thracicum caſtra ponere, multo minus caput regni expugnare, omnium minime vrbem captam in poteſtate retinere poſſent. Aduenturum eſſe tempus, quod imperio Othmanico diſſolutionem et disiunctio-

nem partium afferat, dubitare haud licet ex praeſenti habitu ac fortuna; rerum tamen et hiſtoriarum vſu edoctus augurari poteſt aliquis, per multos adhuc annos illud in ſumma virorum copiarumque penuria eſſe duraturum, donec corpore magno tanquam tabe conſumto putreſcant membra extrema, et in interioribus prouinciis exoriantur, qui noua regna numero plura conſtituant, meliora an deteriora quis praedicere auſit? Meliora ſperare liceret, ſi artium et litterarum meliorum increbeſcerent inter Mohammedanos ſtudia, inprimis philoſophiae, *quae in populorum inſtitutis et legum ſcribendarum ſcientia verſatur;* haec enim diuinior ſapientia niſi acceſſerit, quae per omnem Aſiam, omninoque longe maximam terrarum hominumque partem ignoratur, felicitas publica populorum nihil habet quo ſuſtentetur aut excitetur.

Videamus adhuc paucis de altero: *Sublatusne ſit omnis metus, ne barbarorum in Europam incurſiones fiant.* Si exemplis agitur res: ſunt vtique ab omni inde humani generis origine tot exempla profectionum barbarorum populorum ad extremas terrarum oras, vt, quod tam ſaepe factum legas, etiam in rerum temporumque conditione, quae nullum talis caſus metum admitteret, id futuro tempore nunquam fieri poſſe vix aſſeuerare audeas. Quot ac quanta regna et imperia, alia condita meminimus a barbaris longinquas terras incurſantibus, alia euerſa ac proſtrata! Nolumus annumerare, quae ſub generis humani vitaeque moribus et artibus excultae initia, omninoque antiquioribus aetatibus, rebus nondum ſatis

conſtitutis,

Digitized by Google

conſtitutis, mutationes ſedium ac viciſſitudines, migrationesque quas vocant, gentium, in hiſtoriis ſint litteris conſignatae. Notae ſunt Cimmeriorum et Scytharum in Aſiam incurſiones, Gallorum ac Germanorum in Europam. Magis in cenſum veniunt eae, quae, vita hominum commerciis, artibus et litteris, aliquantum polita, euenerunt. Potuit Etruria, quis hoc expectaſſet, iam viribus aucta, a Gallis Alpium iugo transmiſſo et Italia ſuperiore ſubiugata coloniis agrisque ſuis exui. Potuere Galli victis ſecundum Danubium populis in Macedoniam et Graeciam, rei bellicae ſcientia et vſu tum inſigniter praeſtantem, penetrare tamen armis, moxque in ipſa Aſia Graecis exturbatis nouum regnum Gallograecorum condere. Obſcurae plerumque ſunt cauſſae, quibus impulſi barbari ſedibus ſuis relictis longinqua petunt. Probabile fit, id quod hiſtoriarum fides firmat, vix vnquam eos eo cum conſilio excitos finibus exiiſſe, vt ad vltimas oras tenderent; verum, dum aut diſcordiis mutuis vexati aut hoſtium aduentu exterriti aut acie victi ad vicina pergunt, aliae ex aliis cauſſae ad vlteriora eos ducunt. Hunnos ab extremis Orientis borealis oris profectos, non tam certum conſilium longinqua loca petendi, quam neceſſitas et victus inopia ex facta terrarum, quas alias poſt alias occupauerant, deuaſtatione, ad remotiora tendere et vsque ad occidentem Europae procedere coegiſſe videtur. Arabes, continuis victoriis quaqua verſus ad noua bella tentanda vocantibus, progreſſi ad extremum occidentem Africae, in Europam hinc traiectu facto, errorum terminum habuere Francorum virtutem. Mogoli

goli autem ſaec. XIII. ineunte ſub Dſchengiskano, victis et ſubiugatis imperiis variis in vicinia ſitis, inque his Chowaraſmienſi, ad vlteriora progreſſi quaqua verſus arma circumtulere; enatum aliud Mogolorum imperium ſub Timure: qui e Bucharia profectus vicinas terras adortus mox Aſiam verſus occidentem et orientem ſubiugauit inde a ſaeculo XIV. exeunte. Barbari hi a paruis initiis profecti, primis victoriis ad maiora tentanda erecti, vix a principio mente praeceperant faſtigium quo opes ſuas eduxerunt. Hactenus nullus ex iis comparandus eſt cum Alexandro, qui ad euertendum Perſarum imperium in Aſiam traiecit; niſi forte etiam ille victoriis primis ad reliqua perductus fuit. Orae forte maritimae Aſiae minoris inhians, de omni Aſia in ditionem redigenda non cogitabat, cum ad Granicum pugnaret. Vt plures populos Germanos, Gothos, Herulos, per maria nauibus volitantes, ſic Normannos praedationis ſtudium ad Galliae et Italiae oras, nec diſſimilis ſpes praedae Anglos et Saxones in Britanniam, auxilio etſi vocatos, adduxit. Expeditiones hae barbarorum nequaquam cum profectionibus noſtris militaribus comparari poſſunt; corpora inermia et nuda agmina rerum omnium inopia et fame vrgente ſtimulabat praedae auiditas. Nec vero omnes barbarorum profectiones ſecundos ſucceſſus habuere. Saepe illi cladibus afflicti, fame, ferro, peſte attriti, eorum, quibus imperare voluerant, ſeruitium acceperunt. Cimbrorum modo ſtrages factas meminerimus. Vires aut dabat aut augebat terror, quem intulerat incondita turba, horridus adſpectus, immanitas et truculentia; docuere tamen Romani ſuo

exemplo,

Digitized by Google

exemplo, virtute et diſciplinae ſeueritate etiam iſtos terrores ſuperari. Sane durata aerumnis vitae et feritate corpora, animorum ſeruili metu ad belluinam ſocordiam proiectorum ſtupor, tolerabilis in vilitate magnae multitudinis iactura, haec inquam, ſi dux idoneus fuerat, virtutem interdum numeroſorum exercituum ſuperarunt aut exaequarunt; ſuperior tamen, iterum iterumque tentato Marte, facta animorum virtus ac fortitudo per diſciplinam firmata. Nec, niſi cum haec ipſa abeſſet, et praua imperatorum dominatione ipſa militaris diſciplina eſſet ſoluta, barbarorum agminibus reſiſti nequiit. Saepe enim his nulla, niſi quae natura fecerat munimenta, montes vel amnes, erant ſuperanda; nullo fere praeſidio in finibus in quos incurrebant conſtituto, quod expugnandum eſſet, nullis copiis obiectis, quas loco depellere neceſſe eſſet, nec exercitu occurrente, niſi, quae fere conſiliorum ſtultitia fuit, interioribus in terris; cum aduena, late omnia tenens, certas iam ſedes haberet, metu etiam vlteriora peruagante. Ita victoriam habuerunt facilem ac paratam. Factae porro plerumque incurſiones in terras lata planitie patentes, nullis in medio propugnaculis aut caſtellis loco opportuno interceptas. Aggrediuntur barbari repente et ex improuiſo: atqui illis aetatibus prudentia nulla aſſuefecerat homines, etiam longinquorum populorum motus et conſilia inſpicere. Habitabantur quoque plerumque terrae barbarorum impetum excipientes a multis modicis populis, diuerſae ſtirpis et nullo communi conſilio in publicam vtilitatem conſpirantibus; modo magnis imperiis erant obnoxiae, quae luxu et libidine dominantium dudum

fracta

fracta ac ſoluta tanquam tabe diffluebant, ita vt nec animus nec voluntas ſupereſſet populis, vt capita obiicerent nouo hoſti pro vetere domino, quem in ſe ſaeuire tam ſuperbe et impotenter meminerant, vt grauiora ab hoſte quae metuerent haud haberent.

Iam ſi praeterita ad noſtra tempora transferimus: de quaeſtione ſupra propoſita in quam partem ſtatuendum ſit, facile iudicari poteſt. Ita nunc exculta eſt vita Europaeorum, artium et ſcientiarum inuentis ita locupletata et munita, ea rerum temporumque facta eſt immutatio, vt, niſi mutuis odiis ac diſcordiis ipſi ſe atterant, aut luxu ac mollitie confecti viribusque exhauſti deficiant, ab externo hoſte ſatis videantur eſſe tuti. Incurſiones ſane barbarorum, quales Mogolorum fuere ac Turcorum, vel Arabum, fieri neceſſe eſſet ſiue ex propinquo ſiue e remotis terris. A propioribus barbarorum regnis nihil metuendum eſſe Europae, manifeſtis rerum argumentis conſtat. Non enim Turcorum imperium ita conſtitutum eſt, vt ſiue Auſtriae ſiue Ruſſiae fines mouere et ſuae ditioni aliquid inde adiicere poſſit; quid? quod ne ſpes quidem iis vlla ſupereſt, vt ereptas ſibi terras recuperent. Perſae autem, domeſticis diſcordiis ſeditionibusque attriti, in ſe ipſos etiamnum ita ſaeuiunt, vt per multas aetates vires illi ſatis magnas haud ſint recuperaturi, ita vt ne verendum quidem ſit, ne terrarum vicinarum fines incurſent. Caucaſios populos vicinosque alios barbaros Ruſſorum arma facile compeſcunt. Reliquae continentis partes faciem habent omnino immutatam, ſi cum iis temporibus compares, quibus populo-

Digitized by Google

populorum, quas vocant, migrationes factae ſunt. Saeculis proximis a C. N. cum verſus Danubium confluerent barbari, iique non modo ex oriente Aſiae, verum etiam ex ſeptentrione Europae, remotiſſimis a partibus, exciti, nullum erat Imperium Ruſſicum, quod primum barbarorum impetum frangere poſſet; Romanum autem imperium multis ſuis malis labefactatum, etſi vel ſic per duo ſaecula et quod excurrit barbaros incurſantes retudit, cum a pluribus partibus eſſet tentatum, imperatorum ſuorum prauis conſiliis et reip. vitiis tandem, multo magis quam hoſtili vi et impetu, fractum barbaris ſuccubuit eosque intra fines ſuos admiſit. Mogolorum porro in Aſiam erumpentium impetus ſuſtineri nequibat, quoniam omnes, quos aggreſſi erant, populos ipſi virtute, arte et vſu rei bellicae, excellebant: quae res quam diuerſo modo nunc ſe habeat, monitu vix opus eſt.

Accedunt his multa alia, quae omnem opinionem ac metum tollunt, ne vnquam ſimilis barbarorum incurſio locum habere poſſit: mutata omnis res militaris, tormenta in muris, loca in finibus munita, et in his perpetua praeſidia cum copiis nunquam non vna habitis: quas nos ſolemus ſub militis perpetui nomine innuere. Quamdiu diſciplina et ſcientia militaris inter Romanos viguit, numeroſiſſimae barbarorum copiae fuere repreſſae ac deletae: nec, niſi Romanorum ſtipendiis et ſub eorum vexillis belli gerendi arte imbuti et longo vſu exercitati, barbari in fines Romani imperii penetrauere *).

*) Attigerunt haec et alii, vt nuper Gibbon, ſcriptorum politiſſimus et perſpicaciſſimus c. 38. f.

A barbaris itaque nihil eſt, quod metuamus: niſi longa ſaeculorum ſeries mala, quibus premimur, ita exaſperauerit, vt, exhauſtis imperiis et regnis noſtris profuſione ac luxu, ſolitudine agrorum per dilectus facta, ciuibus in milites, aratris in enſes verſis, nobilitate faſtu et luxu attrita et ad ſeruile obſequium erga potentiores prolapſa, ad barbariem ipſi redierint poſteri; vtque tum exiſtant, in alio continente, populi opulentiores et potentiores, qui arma Europae inferant. Verum de his viderint poſteri. Nos interea rebus noſtris ita vtemur, vt vitam litteris et artibus multo magis excultam illis relinquamus: qua ſi recte vti nouerint, nulla vnquam poterit exiſtere rerum conuerſio paullo memorabilior.

P.P. in Georgia Auguſta Kal. Iul. cIↄ Iↄ CCLXXXVIII.

Digitized by Google

IV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
THEOPH. IAC. PLANCK D.
CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
L I.

IN A. D. XVIII. SEPTEMBR. CIↃ IↃ CCLXXXVIII.

CELEBRANDA

RITE INDICIT.

De iudiciorum publicorum ratione et ordine apud Romanos et Graecos.

Commentatio I.

Warren Haſtings, ex India redux repetundarum reus factus, direptaeque et expilatae Bengaliae crimine in Magnae Britanniae Senatu accuſatus, et in iudicium publicum a viris grauiſſimis et eloquentiſſimis adductus, eam malo ſuo nominis celebritatem per omnem Europam eſt conſequutus, vt hac quoque parte Verrem illum, Tullianae eloquentiae fulmine proſtratum, exaequauerit. Contigerunt enim ipſi et alia, quae cum Verris fortuna comparari poſſint, inprimisque hoc, quod viros popularium ſuorum eloquentiſſimos accuſatores nactus

 eſt,

eſt, qui ingenii ſui ſuaeque orationis documenta edidere hac ipſa accuſatione longe clariſſima, vt audientes omnes in admirationem ſui raperent. Quo ipſo conſtitit verum eſſe, quod Cicero et Quinctilianus non vno loco prodiderunt, ad eloquentiae copias explicandas nihil eſſe tam accommodatum quam iudicia publica et accuſationes ac defenſiones. Obſeruata quoque ſunt in hoc Senatus M. Britanniae iudicio multa, quae veterem iudiciorum publicorum apud Romanos formam et ordinem in animum reuocarent. Interea dum adhuc expectatione ſuſpenſi ſunt animi, quinam huius memorabilis iudicii futurus ſit exitus, dumque in apparatu et ipſo peruigilio ſollennium anniuerſariorum Academiae noſtrae Georgiae Auguſtae verſamur; eſtque adeo ſeu diſputationi ſeu confabulationi non nimis graui locus: agedum, Ciues, capta ex famoſo hoc quod in *Haſtings* illum exercetur, iudicio opportunitate, excurramus paulliſper in *iudiciorum publicorum apud Romanos formam*, inprimis *veterem*, *eiusque cauſſas ac rationes;* rem quidem, etiam vulgari inſtitutione tractatam, quam tamen multorum, qui de iis egere, obſcurauit diligentia, non illuſtrauit; cum neque ea, quae priuatis actionibus propria eſſent, a iudiciis publicis, neque temporum rationes inter ſe admodum diuerſas, diſcreuiſſent. Neque vero haec, cum praefanda ſint ſollennibus academicis in craſtinum diem indicendis, aut argumento aut omine aliena ab iis videri debent. Nihil enim infauſti ac ſiniſtri ineſſe poteſt ei, quod a iuſtitia, omnis ſalutis reip. cuſtode ac parente, proficiſcitur. Contra omnium bonorum fructum, ſaltem eius ſecuritatem, intercipit

intercipit criminum et flagitiorum impunitas; multo magis ſi homines potentes ac nobiles, a quorum exemplis mala pleraque in remp. manant, raro a plebe ad nobilitatem, ſibi ius fecere quod cupiditas et lubido ſuaſit. Impune ab iis committuntur nimis multa, quae in iudicium vocari nequeunt, quia ſpecie, more, auctoritate, licentia temporum ſe tuentur. In hos itaque inſurgere, hos adoriri, impellere, de ſtatu deiicere, profligare, verbis et factis hoc agere, ne illi remp. euertant, ciuibus ſuis impune inſultent, omnium bonorum ſuffragia et laudes meretur. Quid enim eſſe poteſt generoſius, quid bono ciui glorioſius, quam hominem exitioſum vel cum tuo periculo in diſcrimen capitis adducere! Vtique maioris eſt virtutis et fortitudinis, *inimicitias pro rep. ſuſcipere*, quam beneficiis de ea bene mereri. Facile enim optimus quisque ad commodorum publicorum ſtudia eſt paratiſſimus; at idem recuſat ac refugit ſubire odia et ſimultates malorum ciuium: in quem cenſum omnes ii veniunt, qui ſuae vtilitatis cauſſa reip. vtilitates intercipiunt. Nihil itaque in commentatione hac noſtra eſſe poteſt, quod aut ab auctoritate noſtra aut a ſtudiis veſtris, Commilitones, aut a religione diei craſtini abhorreat, quo auſpiciorum Academiae noſtrae memoria ſollenni ritu recoletur; redibit ſimul cum ea in animum recordatio ſollennium anniuerſariorum ſuperioris anni et ſemiſaecularis celebritatis. Quod ſi cum ea non certabit pompa feſta hoc die in templum academicum ducenda: non tamen remiſſior erit pietas noſtra ac grata commemoratio bonorum, quibus per hunc quoque annum cumulauit nos di-

vina indulgentia. Salua enim eſt reſpublica; ſaluus et incolumis Rex noſter Aug. cum Domo Regia, cumque trino illo beneuolentiae Regiae pignore Georgiae Auguſtae penetralibus credito, Principibus Regiis Sereniſſimis, inque his Te, *Auguſte Friderice*, ad priſtinam valetudinem votis noſtris conceſſam reſtituto. Publicae religioni ac pietati in votis perſoluendis ac ſuſcipiendis praeibit verba Collega coniunctiſſimus, Ordinis medici h. t. Decanus,

JO. ANDR. MURRAY D.

expoſitis breui oratione *ſtricturis in experimenta medica per mortes.* Conferet idem Ordinis ſui auctoritate ſummos honores in Candidatos quatuor digniſſimos: *Chriſtianum Frid. Witting*, Einbecca-Hannoveranum, *Theophilum Frid. Gründeler*, Hannoueranum, *Frid. Guil. Hartel*, Hildeſienſem, *Hectorem Burcardum Mithoff*, Hannoueranum. Quibus ſollennibus vt praeſentia veſtra dignitatem et ſplendorem addere dignemini, Principes Regii Magnae Britanniae Sereniſſimi, vosque, Comites Illuſtriſſimi, cum omni Iuuentute florentiſſima, quae hanc academiam noſtram ornat, ita precamur et flagitamus, vt haud obſcure ſignificemus, fore in officio hoc, et academiae et nobis praeſtando, locum nouis cauſſis prouocandi amorem noſtrum ac ſtudium bene de vobis merendi vniuerſis ac ſingulis.

Quae *crimina* fuerint *publica* apud Romanos, in quae adeo *iudicium publicum* conſtitui poſſet, etſi fuere plures, qui de iudiciis publicis egere diligenter, a viris doctis tamen non ita expeditum eſt, vt cauſſas ac rationes ſatis teneamus. Crimina vulgo dicuntur

Digitized by Google

dicuntur fuiſſe publica, de quibus *lege* quaeri licuit quaeſtionesque fuere inſtitutae perpetuae. Enimvero nunc iterum quaeri poteſt, de legum cauſſis, et ad quod principium commune leges illae reuocandae ſint. Qui enim factum eſt, vt alia crimina lege ad iudicium publicum retracta ſint, alia iſtis ſimillima ad delicta et actiones? Nihilne in his a certo aliquo hominum iudicio, a certis cauſſis eſt profectum? temere et caſu alia alio modo eueniſſe putabimus?

Niſi fallimur, res eo modo exſequenda eſt, vt in conſtituendis quaeſtionibus et iudiciis publicis non quidem a certo aliquo iudicio iam ab vrbe condita animis informato profectos, verumtamen partim *more*, partim *rerum ipſarum ordine* ductos, ad certam aliquam normam ſerius perueniſſe Romanos dicamus. Cum enim ab initio apud reges tum apud conſules omnis eſſet iurisdictio: nullum habebatur diſcrimen inter crimina ac iudicia publica et priuata; vt nec cauſſarum publicarum ac priuatarum diſcrimen erat. Vanum eſt Dionyſii Halic. iudicium, qui ea, quae ſerius conſtituta aut a Graecis ſapientibus ſuper rep. diſputata fuerant, ad reges Romanorum reuocat, iisque auctoribus omnia reip. inſtituta tanquam a ſubtili eorum ingenio et ſagacitate profecta tribuit *); in quibus illud quoque eſt,

*) Concidunt adeo pleraque, quae de iudiciis a regibus exercitis viri docti argutantur; vt *Adrianus van der Hoop* in diſſ. *de iis, quae antiqu. de criminibus iudicarint*, c. I. et II. in Supplem. Theſ. Meermann. Sufficit tenere, poteſtatem regiam more, non legibus fuiſſe conſtitutam, adeoque legibus idoneis circumſcriptam multo

quod Seruium Tullium iudicia publica a priuatis ſeiunxiſſe ait, (lib. IV, 25.) ita tamen vt a Tarquinio II. mox leges illae iterum ſublatae ſint (ibid. 43. cf. c. 13.). Idem etiam in Mettium Fuffetium eiusque ſocios ac proditionis conſcios iudicia ex lege conſtituta eſſe narrat: quae vnde in tanto omnium monumentorum ex priſca aetate defectu homo reſciuerit, haud facile aſſequi licet. Vnum eſt exemplum iudicii fama paullo certiore ad poſteritatis memoriam propagatum, cauſſa Horatii, *perduellionis*, hoc eſt parricidii, caede ſororis facta *a*). Narratur rex (Liv. I, 26.) *ne ipſe tam triſtis iudicii, aut ſecundum iudicium ſupplicii auctor eſſet*, ſtatim conuocato populo duumviros perduellionis iudicandae conſtituiſſe; quo ipſo intelligitur, lege ac more *iudicium hoc ad regem pertinuiſſe*. Idem *prouocationem* ad populum *aut* primo tum dedit *aut* reliquit *b*). Alterum exemplum eſt Conſulis Bruti iudicis in cauſſa capitali, cum proditionis reos nobiles iuuenes, inque his filios ſuos, ſecuri percuti iuſſit. In regis itaque ius et locum is ſucceſſerat.

Iam

multo minus in iure dicundo. Quae itaque de conſilio regum et coſſ. ſubtilius anquiruntur, fundum idoneum non habent nec habere poſſunt.

a) Cum rationibus ſermonis Romani magis conſentaneum eſt hoc, quam cum aliis, vt Raeuardo ad XII. tabb. c. 27. ſtatuere, omnem ciuem reum, vt capitale iudicium de eo fieri poſſet, primo hoſtem patriae ac perduellem proprie ita dictum renuntiatum fuiſſe.

b) Adeo incerta, in his quoque, ſunt omnia. *Duumuiri perduellionem iudicent. Si a duumuiris prouocarit, prouocatione certato. — Ita de prouocatione certatum ad populum eſt.* Nihil de his Dionyſ. III, 23. qui tantum *tum primum populo Romano poteſtatem factam eſſe* ait *capitalis iudicii.*

Digitized by Google

Iam L. Tarquinius, vt metum pluribus iniiceret, *cognitiones rerum capitalium ſine conſilio per ſe ſolus* exercuerat, *perque eam cauſſam occidere, in exilium agere, bonis multare, non ſuſpectos modo aut inuiſos, ſed vnde nihil aliud, quam praedam ſperare poſſet,* ſolitus erat (Liv. I, 46.). Conſtituta itaque mox eodem anno, quo Conſules in iura regum tantum non ſucceſſerant, *prouocatio* ad populum; qua omnis cauſſa capitalis a conſulum ſententia ad populi iudicium reuocari potuiſſe videtur *c*); credere tamen licet, in cauſſis iam lege ſatis definitis et criminibus manifeſtis haud facile a Conſulum ſententia prouocatum eſſe; quorſum enim prouocarent ad populum manifeſte rei? Neque eius rei exempla occurrunt. Verum prouocationem locum habuiſſe in cauſſis tantum ambiguis, aut ſeu excuſationi ſeu miſerationi locum relinquentibus. At lege conſtituta erant tum iura inter Romanos pauciſſima, ita vt relinque-

 rentur

c) Ea quae ex prouocatione ſequi neceſſe erat, ſtatim coniunxit Pomponius O. I. l. 2. §. 19. *lege lata factum eſt, vt a coſſ. prouocatio eſſet, neue poſſent in caput ciuis Romani animaduertere,* iniuſſu populi; *ſolum relictum eſt iis, vt coercere poſſent et in vincula publica duci iuberent.* Atqui manſere iudicia apud conſules, et potuere illi animaduertere, modo non ab eorum ſententiis ad populum eſſet prouocatum. Nec vero in criminibus manifeſtis, vbi nulla nec excuſationis, nec miſerationis cauſſa eſſet, eſſe potuit ratio iuſta aut probabilis ad populum prouocandi, cum nulla iniuria facta eſſet. Cauſſae itaque inſeruit, et ex parte tantum vera pronuntiat, T. Quinctius apud Liuium IV, 13. *Coſſ. co ſtrictos eſſe legibus de prouocatione, ad diſſoluendum imperium latis.* Non diſſolutum eſt Coſſ. imperium, verum, ne arbitrio ac lubidine in ciues ſaeuirent, coercitum. Hoc tamen ipſum nobiles pro iniuria aduerſus leges ſibi facta habere ſolent.

Digitized by Google

rentur tantum non omnia arbitratui Conſulum, quorum adeo aut cupiditas aut ſtudium ſaepe ſententiarum aequitatem in ſuſpicionem adducere potuit. Sine accuſatore iudicium nullum haberi mox videbimus; deficit nos auctoritas certa, eodemne modo iam tum res ſe habuerit, an reges et conſules ad officium ſuum pertinere id putauerint, vt reum vocarent *d*). Probabilior tamen et ad veterum hominum ingenia accommodatior eſt prior illa ratio.

Etſi vero populo prouocatio eſſet data: *non* tamen *erat, qui iudicium populi conſtitueret, niſi magiſtratus idem qui iudicauerat.* Vnde intelligitur, prouocationis fructum non ſatis magnum ad reos fuiſſe. Haud facile enim is, qui ſententiam tulerat, ad eam populi ſuffragiis infirmandam, operam admodum promtam attuliſſe videri poteſt. Neceſſe adeo videri debuit, vt eſſent, qui, ne prouocatio inane nomen eſſet, perficerent. Creati ſunt ſedecim annis poſt (V. C. 261.) Tribuni plebis, vt auxilium ferrent plebi, vtque appellati intercederent. Effectum ita erat, vt, qui Coſſ. ſententia iniqua condemnatus eſſet, ad ſupplicium duci nequiret. Verum, vt populus de cauſſa cognoſceret, non niſi a Conſulum opera ac voluntate expectares. Nam ad populum ferre, adeoque concionem et comitia habere, non niſi magiſtratui licebat. Ita plebis auxilium iterum ad inane nomen redierat; tam callidum erat patrum ad cauillandum ingenium in vita ceteroqui rudi

d) De Horatio ap. Liuium eſt: *tamen raptus in ius ad regem* et ap. Dionyſ. III, 22. Regi *προσέρχονται τῶν πολιτικῶν ἄνδρες οὐκ ἀφανεῖς τὸν Ὁράτιον ἄγοντες ὑπὸ δίκην.* quo auctore hoc ſcripſerit, ignoratur.

rudi et indocta. Reliquum itaque erat, vt et ipſi Tribuni pl. cum populo agere et ad eum ferre poſſent. Nihil de hoc eſt memoratum; a Patribus tamen ſeu tunc ſeu paullo poſt poteſtas ea eſt facta *e*), ſine qua vtique nullum effectum habuiſſet auxilium plebis.

Cum ab initio, vt ſententiis Conſulum in cauſſa capitali intercederent, Tribuni creati eſſent: altero anno poſt (263. al. 265.) ipſi ad populum accuſare et reo diem dicere coepere Marcio Coriolano. Quo iure hoc audere potuerint, ſi quaeras: in promtu eſt videre, ad auxilium plebis ferendum ſpectaſſe et hoc, vt ei, qui plebi infeſta conſilia agitaret, ad populum diem dicerent; tenendum porro, quod paullo poſt memorandum veniet, magiſtratuum illo tempore partes fuiſſe has, vt diem reis ad populum dicerent, hoc eſt, vt accuſarent. Quo crimine Marcius accuſatus fuerit, e Liuio haud apparet; e Dionyſio autem compertum eſt, cum et atroces ille in Senatu ſententias dixiſſet, et Aediles pl. pulſaſſet, placuiſſe, vt, affectati regni, propoſita exilii poena, accuſaretur (c. 58.). Ad idem hoc iudicium comitia tributa habuere Tribb. pl. quae in ipſorum poteſtate eſſent (c. 59. cf. c. 38.). Conſtituta ſunt itaque hoc exemplo *iudicia populi*, etiam de patriciis, *in*

D 5 *comitiis*

e) Dionyſius quidem et hic iam ab initio ſagaciter ordinat ac diſponit Tribunorum pl. iura et negotia, et, modo creatos, concione conuocata leges ad populum ferre narrat lib. VI, 89 ſqq. Idem paullo poſt legem pertuliſſe L. Iunium Brutum Trib. pl. memorat, Tribunum pl. cum populo agentem ne quis interpellaret lib. VII, 17. poſtquam paullo ante eundem Tribunum pl. poteſtatem dicendi a Coſſ. petiiſſe narrauerat.

Digitized by Google

comitiis tributis, magiſtratu plebis diem dicente; haud dubie ab initio non niſi in cauſſis plebis. Diſerte Dionyſius et hoc addit, in M. Valerii ſententiam SCtum eſſe factum, vt *ad populum dies diceretur* ei, qui in remp. deliquerit (nam de *populi maieſtate* nondum tum facta memoratio) ſeditionem concitando, regnum affectando, de vrbe prodenda cum hoſtibus agendo, aut huiusmodi aliud ſcelus patrando (VII, 56 extr.): quae poſtea ſub *perduellionis* nomine comprehenſa ſunt.

Inter haec *alia* crimina ac delicta iurisdictioni magiſtratus, hoc eſt Conſulum, ordinariae relicta eſſe debuere, *alia* iudiciis publicis nouo more inſtitutis a populo iudicata, accuſantibus magiſtratibus, Quaeſtoribus, Aedilibus vel Tribunis pl. Ita Sp. Caſſium affectati regni accuſarunt et diem ad populum dixerunt Quaeſtores Caeſo Fabius et L. Valerius, capitis poena inflicta (Liv. II, 41. Dionyſ. VIII, 78.). Videmus quoque a Tribunis pl. ſic rogari, vt populus iubeat quaeſtionem, ſenatus autem decernat, cui quaeſtio mandanda ſit: qualis Petilliorum rogatio (ap. Liv. XXXVIII, 54.) habetur de peculatu in Scipionem. Cum autem iudicia, quae apud Coſſ. fierent, nullis legibus ſcriptis regerentur, verum eorum arbitratu haberentur, adeoque inter patricios et plebem varie ius diceretur: poſtulatum eſt, vt *de iure aequando* leges ſcriberentur. Id quod effectum tandem habuit legibus XII. tabb. ſcriptis. Enumerantur tabula VII. de delictis et tab. II. plura capite ſancita, quae ad ordinariam Conſulum, adeoque poſtea Praetoris vrb. iurisdictionem perti-

Digitized by Google

pertinuiſſe putanda ſunt. Nata hinc *delicta*, et *actiones e delicto*, quae ad ius priuatum referuntur. Sunt inprimis in his furta et iniuriae. At tab. IX. *De capite ciuis niſi per maximum comitiatum ne ferunto.* Debuit hoc non niſi *ad cauſſas iſtis delictis non comprehenſas* ſpectare; tum a comitiis tributis iudicia hac lege ad centuriata translata ſunt. Num intra perduellionis crimen, quod adhuc vnum fuiſſe videtur de quo populus cognoſceret, lex contineretur, non apparet; nec, an *parricidii* nomen, quod late omnem caedem deſignauit, iam tum vſu fuerit receptum. Conſtat ſaltem, poſtea ad plura criminum genera populi iudicia fuiſſe inſtituta, vt parricidii, repetundarum, ambitus, falſi, ſtupri. Ita natus ille *iudiciorum publicorum ordo* ſimulque *publicorum criminum recenſus;* quae difficile eſt ad commune aliquod principium reuocare; cauſſas tamen reperire licet in ſtatu ciuitatis et conditione ciuium mutata: partim Tribunis pl. ad cauſſas plebis referentibus et trahentibus plurima, quae antea patrum decretis adminiſtrabantur: partim ciuium libertate inſigniter aucta et ciuitatis Romanae iuribus, inprimis LL. Poetelia Papiria 428. de nexis ſolutis, et Porcia 557. pro ciuium tergo et capite, egregie amplificatis. Natae itaque *partim* nouae cauſae, cum noua crimina in remp. venirent, inprimis inter corruptelas reip. ingruentes, vt repetundarum, ambitus, peculatus, *partim* ſtatu ciuium mutato a priſcis legibus XII. tabb. receſſum eſt, vt adeo a priuatis iudiciis in publica verterentur compluria quae *ad perſonam ciuis Romani* ſpectarent, cum de eius capite, niſi per comitiatum maximum, ferri non poſſet. Ita etiam iniuriae priuatis

vatis illatae in iudiciorum publicorum numerum reuocatae ſunt, vt, ſi quis hominem telo occidiſſet, ſi veneno necaſſet et ſic alia; falſi quoque et adulterii. Itaque conſtituta ſunt iudicia veneficii, de ſicariis, ſtupri, adulterii; quae, vt mox videbimus, ad quaeſtiones fuere translata, et nata cum his alia, vt de vi publica et priuata. Manſit tamen cum his tanquam proprium populi iudicium perduellionis, regno affectato aut libertate ſeu maieſtate populi imminuta *f*): in qua ſeruatum quoque eſt ſupplicium nouiſſimum vt animaduerteretur more patrio.

Iam haec iudicia antiquitas exercebantur *in comitiis populi*. Subnata autem tanta ſegete criminum, adeoque iudiciorum, vt iis vix vacare poſſet populus, multis quoque cauſſis maiorem forte ſubtilitatem aut induſtriam deſiderantibus quam comitiorum natura et ratio admitteret, mandari coeperunt *quaeſtiones extra ordinem* et dari *quaeſitores* a populo. Si Pomponio (l. 2. §. 23. ff. de O. I.) fides habenda *g*): iam in XII. tabb. quaeſitores conſtituti ſunt, h. e. ius datum populo, vt quaeſitores iuberet, quoties

f) Reuocari eo poſſunt omnia, quae ap. Sigonium de Iudic. III, 2. annumerantur exempla.

g) Pomponii verba notiſſima ſunt: *et quia de capite ciuis Romani iniuſſu populi non erat lege permiſſum Conſulibus ius dicere, propterea Quaeſtores* (immo Quaeſitores) *conſtituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeeſſent; hi appellabantur Quaeſtores* (Quaeſitores) *parricidii: quorum etiam meminit lex XII. tabb.* Vtinam verba adieciſſet! etſi ea diuinando exſculpſere nonnulli, vt *Bouchaud* p. 667. Ex Feſto nihil amplius diſcas, voc. *Parricidi* (vt legendum pro *Parici*) *quaeſtores* (quaeſitores) niſi, Parricidam dictum eſſe, qui qualemcunque hominem occidiſſet.

Digitized by Google

quoties res ita poſtularet. Partes ita populi deferri coepere ſeu magiſtratibus ſeu aliis; et ducere debuit populum haec ipſa res et diuturnior vſus ad *quaeſtiones perpetuas* conſtituendas et *certo magiſtratui annuo* mandandas.

Rebus eo adductis vix verbum addere opus eſt de Praetoribus quaeſtionum cauſſa conſtitutis, *quaeſtionibusque perpetuis lege* populi; prima quidem repetundarum, lege Calpurnia V. C. 605. Nota haec ſunt in vulgus; habitaque nunc iudicia apud *Praetorem quaeſtionis*, aut apud *quaeſtionis Iudicem:* vtrique adeſt *Iudicum* conſeſſus ſeu *conſilium publicum.* Nec tamen interea non euenit, vt ipſe populus iudicia publica vetere more exerceret: partim perduellionis, partim de quibus quaeſtio ordinaria nondum eſſet lege conſtituta, vtque quaeſtiones decerneret et extra ordinem conſtitueret. Etiam *Senatus iudicia rerum capitalium* memorantur; ſcilicet in iis cauſſis quae ad eius curam ſpectarent: nos eas ſub *politiae generalis* nomine comprehendere ſolemus; rep. in magnum diſcrimen adducta, cui occurrendum eſſet praeſentibus conſiliis. Exemplum eſt iam antiquioris aeui, V. C. 568. mandata Coſſ. ambobus quaeſtio de clandeſtinis coniurationibus, (Liv. XXXIX, 8.) moxque de Bacchanalibus ſacrisque nocturnis (c. 14.). Et ſpectat ad has cauſſas locus Polybii VI, 14. Aliud ſequiorum temporum anni V. C. 616. quo Conſulibus extra ordinem decreta eſt e SCto quaeſtio inter ſicarios caede atroci in ſilua Sila in Bruttiis facta. (v. Cic. in Bruto c. 22.). Vnicum eſt exemplum, in quo a publicorum iudiciorum ratione

tione diſceſſum videri poteſt a Sulla, in quaeſtione de iniuriis, quam non publicum, ſed priuatum iudicium eſſe conſtituit *h*).

Videamus nunc id, quod omnino mirationem facit, cum nullum iudicium haberi, nullam quaeſtionem exerceri, adeoque nec reum quamuis nocentiſſimum condemnari potuiſſe audimus, *niſi accuſator exiſteret; ex officio* autem, quod nos dicere ſolemus, magiſtratus non quaereret. Verum de his quae monenda ſunt, vberiorem commentationem deſiderant; perueniendum tum ad ipſum iudicium, conſtituendus orator, peroranda eſt cauſſa.

Verendum tamen eſt, ne teneamus coronam audientium, ad ſacra ſollennia properantem; comperendinatum itaque eſto prolatumque iudicium in alium diem. PP. in Georgia Augu., d. XVII. Sept. cIↄIↄccLXXXVIII.

h) v. Comment. II. ſub nota e).

V.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
THEOPH. IAC. PLANCK D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IVSTVM FRIDER. RVNDE D.
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS
IN A. D. II. IANVARII CIƆIƆCCLXXXIX.

De iudiciorum publicorum ratione et ordine apud Romanos et Graecos.

Commmentatio II.

Prodibit craſtino die, Ciues, inſignibus magiſtratus academici ornatus nouus Prorector

IVSTVS FRIDERICVS RVNDE D.

vir vt integritate et virtute, ita humanitate et beneuolentia erga vos, amore et caritate reip. academicae, conſpicuus. Sperat itaque ille atque confidit, qualem ſibi in manus tradi videt remp. pacatam, bonisque ſtudiis florentem, talem ſe eam, quantum quidem

quidem per vos ſteterit, aliquando ſucceſſori eſſe redditurum; habebitque ille hoc tanquam pignus veſtri erga ſe obſequii et amoris, ſi ad caerimoniam et ritum auſpiciorum iniuncti muneris cras faciendorum frequentes coieritis. Quod ſi inclinatis iam voluntatibus veſtris aliud momentum ſuperaddere fas eſt, eadem hac veſtra in eum humanitate non minus officio vos veſtró erga Senatum academicum, a quo rogamini, quam pietati in almam hanc Academiam, quae vos tanquam nutritio ſinu fouet, ſatisfacturos eſſe putatote. Habebuntur iisdem his ſollennibus auſpicia noui anni, vtinam illa ab omni parte fauſta ac laeta! At enim deſtituta pro dolor! euentu debito vota noſtra et irrita ſunt primaria ſua parte, Regis, inquam, noſtri indulgentiſſimi incolumitate et bona valetudine! pro qua vt priuatim vota quisque facimus numenque pie veneramur, ita nunc religione publica ac conſenſu communi vota ſuſcipientur. Faxit numen O. M. vt vota nuncupata ſint rata, vtque eorum compotes breui in laetas gratulationes effundamur! Ad vota haec, praeeuntibus viris grauiſſimis rite ſuſcipienda, vt indictis ſollennibus intereſſe velitis, Principes Magnae Britanniae Sereniſſimi, Tuque, Princeps de Turre et Taſſis Sereniſſime, Vosque Comites Illuſtriſſimi, omnesque et generis ſplendore et animorum ingeniorumque virtute florentes Academiae noſtrae Ciues, ita rogamus, vt, ab humanitate veſtra facile nos impetraturos, a pietate, officio, fide etiam vltro oblatum accepturos eſſe, haud dubitemus.

Interea noſtro officio ſatisfacere haud grauabimur, quod in eo continetur, vt his ſollennibus indicendis

dicendis

dicendis nonnulla ſeu animorum ac voluntatum veſtrarum detinendarum ſtudio, ſeu boni ominis cauſſa, praemittamus. Ingreſſi eramus ante hos tres quatuorue menſes argumentum graue et difficile *de iudiciorum publicorum apud Romanos cauſſis et rationibus*, ſubnata occaſione per iudicium, quod illo tempore agitabatur in *Warren Haſtings*, cuius nomen ad Magnae Britanniae Senatum delatum eſt, tanquam Indorum praedonis, in quos ille expertus eſſe ferebatur omnia, *quae luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuit.* Expoſita eſt omnis illa quaeſtio de iudiciis publicis a viris doctis copioſe et accurate *a*). Enimuero in ſalebris haerent, dum *iudicia publica, cauſſas publicas, delicta et crimina*, ad *noſtri iuris criminalis principia* exigunt et conſtituunt *b*); tum vix quisquam attigit cauſſas et rationes,

a) Fons et fundus eſt omnium, quae de hoc argumento ſcripta ſunt, *Sigonius de Iudiciis;* e quo ſua deriuarunt quos vidimus omnes, inprimis qui compendiis didacticis haec perſcripſere; etiam *Siccama de Iudic. Cvir.* I, 5. c. not. *Zepernick*, et nuper *Bouchaud Commentaire ſur la Loi des douze Tables* p. 667 ſqq. Subtiliora perſequutus eſt *Adrianus van der Hoop* in Diſſ. *de iis qui antiquitus apud Romanos de criminibus iudicarunt*, in Supplem. Theſ. Meermann. extr.

b) Cum iure quidem noſtro, quod *criminale* vocant, nullo modo conuenit pars illa rei iudiciariae Romanorum; neque quae nos appellamus *delicta publica et priuata* eodem modo apud Romanos dicta. Cauſſae publicae non niſi *e lege* naturam et rationem acceperunt, vt vix ſub alio principio communi, vnde ducantur, quam quod lex facit, comprehendi poſſint. Aliae enim ad remp. aliae ad ciuem eiusque perſonam ſpectabant, aliae ad priuatam iniuriam, vt adulterium, ſtuprum, falſum, plagium.

Digitized by Google

tiones, quibus factum ſit, vt iudicia publica in eum, nec in alium modum eſſent conſtituta, vtque alia, quae in remp. committuntur, *criminum*, alia *delictorum* loco haberentur; cur porro magiſtratus, vt noſtro more loquamur, *ex officio* non inquireret, et cur *vnicuique e populo accuſare* liceret. Ad haec attendere animum coeperamus, nuncque iterum ad ea redire conſtitutum eſt.

Vidimus igitur omnem iudiciorum publicorum rationem repetendam eſſe a reip. R. primordiis, quando, iuribus ciuium adhuc parum ſubtiliter conſtitutis, omnis iuris dicundi poteſtas delata erat, vti antea in reges, ita in Conſules. Ab initio nulla aut fuit aut eſſe potuit cauſſa aut iudicium publicum proprie ita dictum, nullum diſcrimen inter crimina publica et priuata; cognitio omnium delictorum et noxarum erat apud magiſtratum. Prouocatione autem ad populum lege conſtituta

plagium. Neque adeo ſatis definita eſt *cauſſae publicae* notio, ſi eam eſſe dixeris (etiam ap. Bach. et Erneſt.) *quae ſpectat ad remp.* ſed requirebatur praeterea, *primis temporibus*, vt magiſtratus de ea re ad populum ferret vtque ſeu iudicium populi conſtitueretur ſeu quaeſtio haberetur; *mox* autem, quaeſtionibus conſtitutis, vt e lege populi, ad populum vel a quaeſitore, illa ageretur, et vt vnusquisque e populo accuſare poſſet. Primarium, vt diximus, quod iudicii publici notionem conſtituat, eſt, *vt e lege habeatur;* recte adeo §. 1. De publ. iudic. *Non omnia iudicia, in quibus crimen vertitur, publica ſunt, ſed ea tantum, quae legibus iudiciorum publicorum veniant;* de reliquis ſunt *actiones delictorum cauſſa* inſtituendae. Contra erant *delicta publica*, de quibus *nullum iudicium publicum* habebatur, vt annonae flagellatio, ruptio aggerum, collegia et corpora illicita; haec *crimina extraordinaria:* de quibus v. D. lib. XLVII. tit. XI.

ſtituta, primum iudicia publica nata ſunt ex prouocatione. Succeſſere alia aliis temporibus e lege a populo lata. Relictae interea aliae cauſſae iurisdictioni ordinariae magiſtratus, eaque ſunt delicta in XII tabulis enumerata, pleraque capitali poena ſancita. Temporum tamen rerumque mutatione facta, cum alia crimina exiſterent, quibus aut lege proviſum nondum eſſet, aut quibus legum ſanctio non ſatis reſponderet, aut, quod plerumque occurrebat, ſi potentiorum ciuium nomina deferenda eſſent: conſtituta ſunt nouis de cauſſis populi iudicia; aut re ita poſtulante quaeſitoribus mandatae quaeſtiones aliae a populo, aliae a Senatu *c*), aliae plebiscito in Senatus decretum facto. Tandem quaeſtiones perpetuae conſtitutae; *per quas* (in cauſſis ſaltem lege definitis) *populus Rom. omnem ſuam de ciuibus iudicandis poteſtatem iudicibus tradidit d*). Vix vlla eſt harum quaeſtionum, quae non antea exercita eſſet aliquoties ſeu iudicio populi ſeu per quaeſitorem a populo dictum.

Iam non admodum obſcura res eſſe videbitur, ſi quaeritur, quomodo factum ſit, vt inter Romanos

c) Scilicet in cauſſis quae ad Senatus curam ſpectabant, quarum magnam partem nos ſub *politiae generalis* nomine, Romani per *rempublicam ſummam* declarabant. Hoc modo tollendae difficultates, in quibus aeſtuant viri docti, v. c. Ducker ad Liv. XXXIX, 14. van der Hoop c. 3. p. 621 ſq.

d) Cic. p. Flacco 2. An vero a praetore, qui quaeſtionem exercebat, ad populum prouocare licuit? Vix putes, ex eadem ratione. Vnum meminimus exemplum Rabirii ap. Cic. p. Rabirio, add. Sveton. Caeſ. 12. Dio. XXXVII, 27. Sed in cauſſa perduellionis, nec a Praetore, verum a Duumuiris ad populum ea prouocatio facta.

nos pro certo et explorato conſtaret, et, *quemuis e populo accuſare poſſe*, et, *nocentem, niſi accuſatus eſſet, non poſſe condemnari;* (vt Cic. p. Roſcio Amer. 20.) niſi in cauſſa in qua reip. ſtatus periclitaretur; in qua ad Senatum vel ab indice rem deferri ſatis erat, vt indicis opera ad Brutum Coſ. delata fuerat Tarquiniorum coniuratio, vtque in Catilinaria coniuratione indicio facto Senatus decreuit, vt viderent Coſſ. ne quid reſp. detrimenti caperet: quo Sto cum alia, tum *domi militiaeque imperium atque iudicium ſummum habere* permittitur. (Salluſt. c. 29.). Scilicet, vt de altero illo priori loco dicamus, ab initio *ſolitum fuit magiſtratibus, diem priuatis dicere*, (Tacit. An. IV, 19.) aut, quod poſtea inualuit, iis, qui a magiſtratu in concionem producti eſſent. Neque quaeſtionibus perpetuis conſtitutis Praetori aliud quid mandari potuit, quam quod ad populi curam antea ſpectauerat, vt reum ad ſe adductum iudicaret. Vix autem e reipubl. dignitate factum videri potuit, ſi apud Praetorem alius magiſtratus priuato diem diceret; ab hoc igitur more diſcedendum fuit. Neque vero facile eo deueniri potuit, vt ad tam diuerſi generis cauſſas vnus aliquis e ciuibus accuſator conſtitueretur; nec, ſi priuato homini talem poteſtatem crederes, periculum metusque abeſſet. Repetundarum porro cauſſa, quarum quaeſtio prima fuit, non ab ipſis prouincialibus agi poterat; igitur ipſis libertas erat relinquenda, vt patronum adſciſcerent e ciuibus, quem vellent; quaerendus autem aliquis ex iis qui gratia et opibus valerent. Eo itaque ipſa res deducere debuit, *vt accuſare poſſet, qui vellet;* verſa inde res in morem eſt, atque ita ius factum,

vt

Digitized by Google

vt *accuſandi poteſtas eſſet vnicuique e populo e*). Omnino tamen ad ciuitatum nondum ſubtiliter conſtitutarum ac deſcriptarum inſtituta hoc referemus, vt, niſi cauſſa ad magiſtratum ſiue ad populum delata, nulla ſit criminum cognitio et animaduerſio; docent hoc priſcae de populorum originibus hiſtoriae; docent, quae de populis barbaris narrata ſunt; nec, niſi ingeniis aliquantum expolitis, et in ciuitatibus melius conſtitutis, ius crimina perſequendi aliter conſtitutum, aut datum magiſtratibus reperias; nec fere, niſi ad dominationem vnius rerum ſumma delata. Nam in liberis ciuitatibus iudicia apud populum ſunt, et, ſi magiſtratus creantur, qui iudiciis praeſint; iudices tamen e populo leguntur, qui iis pro conſilio ſint. Itaque Athenis fuere tribunalia et dicaſteria, in quibus ciues iudicabant; et Romae poſt iudicia publica in comitiis habita quaeſitoribus conſtitutis lecti ſunt iudices primo e ſenatorio tum ex aliis ordinibus. Eodemque ſpectat, quod firmamentum et Palladium libertatis habetur, ſi non niſi a paribus iudicari poſſis. In libera itaque ciuitate haud facile hoc expectes, vt imperatoria illa iuris conſtitutio locum habeat, qua magiſtratui ius ex officio inquirendi permittitur. Contra, ad priſcum morem, ſi emendatione res egere videtur, accommodari ſolent et inſtitui pleraque. Ita apud Athenienſes oratores conſtitui placuit, qui reos in iudicium adducerent; nec niſi per Piſiſtratidas aut XXX tyrannos quaeſtiones ſponte ſuſceptas et exercitas repereris. Hoc idem ab aliis Graecarum ciuitatum tyrannis tentatum. Apud Spartanos autem, rerum ſumma ad

 pauco-

e) De qua v. Bach. in Traiano p. 77.

paucorum opes reuocata, cum Senatus tum Ephori de criminibus, etiam nullo accuſatore et indice, cognoſcebant. Ad libertatis itaque in ciuitatibus liberis rationes referendum eſt hoc vel maxime, quod magiſtratibus nulla ex officio cognitio defertur. At enim ſub Imperatoribus Romae cum reliqua libertate et ius illud ſublatum eſt, vt, niſi accuſatus, in iudicium adduci et condemnari poſſet e ciuibus nemo; initio facto in maieſtatis crimine, ad indicum et delatorum malitiam iudiciis conſtitutis, tum illatis in iudicia *criminibus extraordinariis;* et *cognoſcentibus Imperatoribus* de criminibus *extra ordinem.* Ita crimina leuiora ad Praefectum vrbis, grauiora, aut ſi reus dignitate et loco emineret, ad Praefectum Praetorio deferri coepere. Quod ſi vrgeas, magiſtratu non ex officio inquirente, multorum criminum impunitatem et flagitiorum licentiam eſſe: reputandum eſt, in libera republica aliis modis cautum fuiſſe; et primo quidem hoc ipſo, quod, vnicuique e populo accuſandi poteſtas erat *f*): quod in tali ciuitate latius patere plusque effectus habere putandum eſt, quandoquidem reipublicae ſalutem a cura ſua nemo alienam eſſe cenſet; et vnus ciuium quisque in iudicio publico tanquam iudex ſedebat et ſuffragium ferebat. Erant porro magiſtratus, qui ad

f) Refertur enim hoc vel maxime inter ea, quae iudicii publici notionem conſtituant, *quod vnusquisque e populo accuſare poteſt.* Diſceſſit in hoc a mente et notione iudicii publici Sulla, qui *quaeſtionem de iniuriis* inſtituit, qua (v. diſputata ap. van der Hoop v. c. p. 626.) non cuique e populo data eſt accuſatio, verum *actio competit ei qui paſſus eſt iniuriam.* Contra in aliis quae ad iniuriam priuatam ſpectabant, vt in adulterio l. Iulia, deferre crimen licebat vnicuique e ciuibus.

Digitized by Google

ad plebem rogationes ferrent, erant Coſſ. Aediles aliique, qui ad Senatum referrent, Senatus autem, qui ſummam rempubl. ad ſe ſpectare cenſebat, de delictis, quae publica animaduerſione digna eſſent, quaeſtionem decernebat (Polyb. VI, 11. 14.) vnde etiam perpetuis quaeſtionibus conſtitutis perſaepe quaeſtiones extra ordinem conſtitutas audimus. Eodem adeo res redit, quo noſtrum illud, quod ex officio inquirere magiſtratus iactantur. Inter haec plerumque illud parum reputatur, quod conſtituti erant Triumuiri capitales, qui inferioris ordinis homines prehenderent, in vincula coniicerent, in eos animaduerterent. Perperam illud, quod de Milone aut Piſone ac ſimilibus potentioribus ciuibus lectum memoria tenemus, per omnium ordinum ciues aequali more ius fuiſſe putamus. Aduerſus potentium autem opes ne in more quidem hoc, vt ex officio inquirant magiſtratus, ſatis eſſe videas praeſidii. Neque noſtra aetate nocentiſſimus reus ex India redux a magiſtratibus ac iudicibus ordinariis in diſcrimen adductus eſt, nec adductus fuiſſet, niſi ciues extitiſſent, viri boni, fortes et conſtantes, reipubl. ſalutem ſuis commodis potiorem habentes, qui eum accuſarent.

Relicta itaque apud Romanos accuſandi poteſtas *omnibus qui vellent;* quae quidem res in libera ciuitate vel maxime cum iuris aequalitate coniuncta eſt; intereſt enim vniuerſorum et ſingulorum, vt resp. ſalua ſit. Verum mature intellectum credere licet, ad accuſandum et defendendum reum facultate dicendi opus eſſe; inde vſus docuit, artem ali-

 quam

quam in dicendo locum habere; deſiderauit quoque cauſſarum nonnullarum ſubtilitas ingenii acumen. Non itaque acceſſerunt ad accuſandum niſi diſerti et eloquentes. Habebat res cum per ſe dignitatem et gratiam; ſi quis officio ac fide adductus homines cupiditate, audacia, ſcelere vnius oppreſſos ſublevaret; tum vero multo magis orator inclaruit, ſi condemnatus eſſet homo ſceleſtus et facinoroſus opibus in rep. praeualens, aut ſi caput, fama, fortunae innocui ciuis aduerſus atrocem aduerſarium eſſent defenſae. Inde commendari populo nomen eius qui malum ciuem in iudicium adduxerat; et iuuenes nobiliſſimi inuolarunt in hanc gratiae ac famae aucupandae artem, vt in accuſatione aliqua illuſtri ingenii ſui et reip. gerendae auſpicia facerent *g*). Prouexit et abripuit alios eloquentiae laus tam praeclara, vt ſimilem famam ſibi pararent non tam in cauſſa iuſta tuenda, quam in cauſſa quacunque, vtque eam laudem quaererent ex ſolo euentu, ſi ingenio et arte effeciſſent, vt aut condemnaretur, quem vellent, aut abſolueretur. Inde creſcere eloquentiae admiratio, et ducere ad id, quo maxime effici poſſet quod vellent, ſcilicet vt ira et miſeratione mouenda expugnarent iudicum voluntates. Quo factum eſt, vt non in cauſſae bonitate praeſidium rei haberent et in innocentia; aut vt in cauſſae expoſitione accurata ſuisque argumentis ſubnixa ſibi oratores confiderent; verum vt in mouendis affectibus eloquentiae ſummam collocarent; non aliter ac ſi in iudicum voluntate poſitum eſſet, quam ſententiam

g) Nota res. Vide ſaltem Cic. Off. II, 14. Quinctil. V, 13, 3. vbi Geſn. XII, 7, 1 ſqq. Dial. de c. c. Eloq. 34.

Digitized by Google

tentiam ferrent; quid quod adeo ab omni iuſti veri rectique ſenſu receſſerant, vt, nulla cauſſae habita ratione, reum aut odio iudicum aut miſerationi tanquam obnoxium et addictum haberent. Eſt hoc inter exempla grauiſſima occaecatae praua opinione mentis humanae. Nec tamen aliter ſtatui videas a ſapientiſſimis hominibus *h*). Etiamnum modo tacitis, modo apertis iudiciis, multi quibus publica auctoritas credita eſt, quicquid agunt aut ſtatuunt, cenſent aut iudicant, non ab officii neceſſitate et iuris freno vel reductanti impoſito profectum id eſſe volunt; verum propenſae ſuae voluntati ac beneuolentiae illud deberi prae ſe ferunt; ita vt in beneficii loco habendum et gratiae cauſſa conceſſum putari velint, quod ius fasque poſtulabat.

Sunt tamen inter haec nonnulla, quibus miratio, quam hoc facit, quod iudicum arbitrio et oratoris arti et calliditati ad illius impulſionem tantum momenti relictum fuit, valde minuitur. Primum cogitandum eſt, multas cauſſas eſſe ita comparatas, vt vtrinque rationes et argumenta adſint idonea, quibus et aggrauatur reus et leuatur vel excuſatur; ita vt externae rationes ſeu perſonae ſeu temporum ſeu aliarum rerum in ſubſidium aduocandae ſint. Tum non latuit viros bonos prauus ille eloquentiae vſus, quin in eum graui increpatione inueherent *i*). Porro viros bonos ac probos

 credere

h) Sunt eiusmodi loca infinita ap. Cicer. v. c. de Or. II, 29. 48. Or. 21. Off. II, 14. ad quem loc. prudenter monuit nonnulla Garbe v. c. Quinctil. VI, 1. IV, 1, 44.

i) V. Quinctil. VI, 1, 7. XII, 10, 52 ſq.

credere licet affectus non mouere voluiſſe niſi in cauſſa bona aut conſilio bono; in quo haberi potuit et illud, ſi reum, etiam nocentem, defenderent: videbatur enim humanitas admittere hoc, vt accuſatoris crudelitati eum ſubducerent. Praeterea ita fert natura ipſa, vt vix ab affectibus libera eſſe poſſit oratio: in ſceleſtum hominem odio inflammamur omnes; hoc odio contactus orator an narrare ſcelus, an accuſare potuit, quo minus iudicum animos moveret vultu, voce, oratione! Quid vero ſi in corruptelis, quales tum fuere, iudiciorum iudices orator nactus erat aut infeſtos aut cupidos, timentes, inuidentes? quid ſi remiſſos, ſupinos, inertes? fas vtique erat, orationem attemperare ad eorum naturas et ingenia.

Nolumus in aliis haerere, quae iam e vulgaribus libellis ſatis nota eſſe poſſunt. Vt ſaltem verbo nonnulla attingamus: Fingamus, Commilitones, diem iudicii adeſſe; et nunc quidem, antiquo more, ad populum accuſatione facta. Egerat ſcilicet magiſtratus ad populum, vellet iuberetne populus Rom. vt quaereretur *k*); diem dixerat, vadibus ab reo datis. Mutata ab reo et ab eius amicis veſtis. Adeſt dies comitiorum *l*); citatur reus, reſpondet, accuſatur

k) Multa ac poena aut iam lege conſtituta, aut in ipſa rogatione propoſita v. c. de Poſtumio Liv. XXV, 3. 4.

l) Secundum loc. Cic. pro domo 17. die ter a magiſtratu prodicta, et per trinundinum lege accuſationis ex albo propoſita; vt fere rem per ſe obſcuram accipit *Sigon.* de Iudic. III, 6 et 9. (nam ex Dionyſ. VII, 58. nihil ad rem) eumque fere alii ſequuntur; vt nuper Bouchaud p. 663.

Digitized by Google

ſatur ad populum. Conſtitutis autem quaeſtionibus perpetuis in populi locum ſucceſſerat magiſtratus: defertur nomen ad Praetorem cuius quaeſtio eſt, etiam libello, cui ſubſcribunt alii tanquam ſecundarum partium actores; recipitur nomen ac perſcribitur. Citatur reus, interrogatur legibus; tum conuicto et confeſſo confeſtim aeſtimatur lis *m*); ſin reus habet quo ſe defendat, iudicium conſtituitur. Nunc reus in reatu conſtitutus, vadibus datis, ſordidatus. A Praetore in diem iudicii conſcribuntur iudices e decuriis; nominibus in vrnam miſſis fit ſortitio, reiectio, ſubſortitio. Iurant iudices in leges. Habet iudicium Praetor, aut conſtituitur ab eo Iudex quaeſtionis, qui vicaria opera quaeſtioni praeſit. Die iudicii accuſator et reus a praecone citantur: ſi accuſator non reſpondet, accuſatus e reis eximitur; ſin reus, abſens condemnatur. Sin vterque reſpondet, datur dicendi poteſtas accuſatori, tum reo, eiusue patrono. Nota haec, vt diximus, ſunt omnia, ex antiquitate Romana. Itaque in his ſubſiſtimus. PP. in Georgia Auguſta Kal. Ianuar. cIↃ IↃ CCLXXXIX.

m) Non enim omnes reos in iudicium adductos credere licet; quorſum enim interrogatos eos a Praetore legibus putabimus? et quid iudicum ſortitione opus fuit, ſi reum confeſſum haberet magiſtratus?

EPIME-

EPIMETRVM.

Cum praeſcriptum eſſet binis his Commentationibus, *de iudiciorum publicorum ratione et ordine* apud Romanos *et Graecos* diſputatum iri: caſu neſcio quo factum eſt, vt ad alia auocarer; forte etiam Graeca minus viſa ſunt accommodata eſſe huic ſcriptionis generi; quod, cum nomine Academiae publico inſtitutum ſit, ad litteras, quibus pauci vacare poſſunt ac debent, haud bene reuocari poteſt; neque oſtentationis facile inſimulationem ac ſuſpicionem effugiat is, qui alieno loco ac tempore vt alia, in quibus ſibi placet, aliis minus curae habita, ita Graeca iactet. Exſpectabam quoque accuratam de his diſputationem ab aliis, qui ſtudiorum ſuorum arcem hoc in genere antiquitatis ponere velle videbantur. Eſt enim magna adhuc et vtilioris doctrinae et laudis exquiſitae ſeges, eaque parata, ex curatiore et doctiore oratorum graecorum tractatione expectanda. Etſi autem ne nunc quidem ſatis otii eſt ad excutienda omnia ea, quae in Atticis oratoribus ad iudiciorum publicorum rationem elucidandam facere poſſint: aliorum tamen commodis me inſeruiturum eſſe puto, ſi, ne promiſſo parum ſtetiſſe videar, ſummas ſaltem lineas commentationis duxero, quibus facile erit et elaboratam ſingularum partium informationem dare et colorum pigmenta addere. Sane in vulgaribus quoque, inprimis antiquitatis Graecae, hoc eſt Atticae, libris multa de his tradi ſolent: verum verſantur viri docti in verbis enarrandis et declarandis, vix vnquam in ipſa re iudiciaria conſtituenda. Nobis non de verbis, ſed de ipſa re laborandum erat, et de notionibus claris et diſtinctis. Quae tamen ſatis nota ſunt, leui tantum

tantum digito attingam; etſi reliquorum quoque non niſi lineas dabo extremas.

Non minus Athenis, quam Romae, nulla inſtituta publica a diſciplinae alicuius ſubtilitate ſunt profecta; adeoque nec *iudicia publica; lege* ea fuerunt conſtituta; plerumque ea, quae more vſuque obtinuerant, poſtea legibus fuere deſcripta; multa tamen ſubtilius apud Graecos, quam apud Romanos; quandoquidem omnino Athenienſes maiorem in re iudiciaria ſubtilitatem ſectatos eſſe conſtat. Et primo quidem criminum accuſationum que genera diuerſa cum *iuditiorum diuerſitate* erant coniuncta; quae mihi a *diuerſa* eorum *origine* profecta eſſe videtur. Prima et *antiquiſſima* fuere *iudicia* φονικὰ, *caedis factae*; quae praeceſſerat antiquior *Areopagus.* Quatuor fuere conſtituta *tribunalia*, βήματα, περὶ τῶν φονικῶν, quorum origines a temporibus heroicis repeti ſolebant; id quod ſaltem vetuſtatem arguere poterat *); appellata a locis, in quibus iudices conueniebant, τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ *de caede non voluntaria*, περὶ ἀκουσίων φόνων· τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ, ἄν τις ὁμολογῇ μὲν κτεῖναι, ἐννόμως δὲ φῇ δεδρακέναι. (quod nos ſolemus dicere *moderamen inculpatae tutelae*) τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ, περὶ τῶν ἀποκτεινάντων, κἂν ὦσιν ἀφανεῖς (*vt inquireretur in caedis auctorem ignotum*), καὶ περὶ τῶν ἀψύχων τῶν ἐμπεσόντων καὶ ἀποκτεινάντων, *ſi res inanimata mortem intuliſſet*, vt ſaxum cui quis incumberet, τὸ ἐν Φρεαττοῖ, ſiue ἐν Πειραιεῖ *ſi quis ob caedem fortuitam exulans peregre* φόνον ἑκούσιον *commiſerat.* Subtilitates hae, ad noſtrum ſenſum futiles et inanes, pro iſtorum hominum ſimplicitate ex eo ſubnatae eſſe, ſi recte video, videntur, quod non quatuor vnius legis capita, ſed quatuor leges, quae ad cauſſas φονικὰς ſpectabant,

*) Videtur dignitas et fama his βήμασιν eſſe quaeſita per tragicos. Nam e inſtituta eſſe videntur non a Dracone niſi.

ſtabant, perſcriptae erant. Cum enim diuerſis caedis generibus diuerſae poenae eſſent conſtitutae, e lege autem ſententiae pronuntiandae: ad diuerſas legum formulas etiam iudiciorum diuerſitatem conſtitutam ſuſpicari licet, vt, cauſſa perorata, iudices ſtatim e lege pronuntiare poſſent reum abſolui vel condemnari: non autem e diuerſis legibus aut legum capitibus deligere quod huic cauſſae conueniret. Nec vero haec iudicia perpetua fuiſſe, ſed putanda ſunt coacta non eſſe, niſi quoties cauſſa, quae id poſtularet, incidiſſet. Ad quodnam autem e quatuor tribunalibus cauſſa deferenda eſſet, eſſe debuit, qui conſtitueret; et is fuit *Archon*, et quidem Βασιλεὺς, ſi recte iudico.

Praeter haec quatuor tribunalia erat *Areopagus*, ad quem φόνος ἑκούσιος, ἐκ προνοίας, *caedes conſulto peracta*, eſſet deferenda, et hoc quidem ex Solonis lege; cum ad Areopagum ab initio omnes cauſſae φονικαὶ pertinuiſſent.

Ab Areopago itaque per Draconem cauſſae φονικαὶ aut omnes aut pleraeque videntur fuiſſe auocatae, ita vt poſtea Solon genus primarium, caedem deliberatam, Areopago redderet: quod quidem factum arbitror *a*); niſi forte Ephetae in Areopago ſederunt; nam, quod Petitus exiſtimabat, Areopagum a Dracone prorſus eſſe ſublatum, parum probabile videtur. Poſtea aliae quoque cauſſae capitales in Areopagum fuere inductae: vt vis facta, furtum, veneficium, incendia, proditio. Etiam impietas (ἀσέβεια), de qua nec minus iudicia in dicaſteriis fuere: vt ex Lyſia in Andoci-

a) Obſcura enim res eſt deficiente rerum memoria. Locus autem Polluc. VIII. ſ. 125. multo maiorem obſcuritatem infert; quae non niſi coniectando dilui poteſt. Verum haec a diagrammate, quod hic proponimus, eſſent aliena.

Digitized by Google

Andocidem patet. Itaque, ſi ap. Xenoph. rep. Athen. 3, 5. populi eſſe dicitur, *διαδικάσαι ἐὰν ἀσεβήσωσι*, accipiendum erit, de praeiudicio, ad Areopagumne an adHeliaeam iudicatio ſpectet.

Qui in quatuor tribunalibus ſedebant iudices, *Ephetae* dicti, numero LI. primum a Dracone cum ipſo iudicio conſtituti, ex ciuibus primariis, a populo, vt probabile ſit, ſingulis quinis e X tribubus lectis, quibus Βασιλεὺς annumeratus, qui iudicium cogebat *).

Erant praeterea *δικαστήρια ſex περὶ δημοτιτῶν*, ad quae et *γραφαὶ* et *δίκαι* ſpectabant; h. e. *et cauſſae publicae et priuatae.* Praeerant iis ex Archontibus ſex *Theſmothetae.* Nobiliſſima erat *Heliaea.* Omnia haec in vulgus nota: vel ex Petito de LL. Attic. Iudicum numerus ingens: ſexies mille quotannis lecti; diſtributi illi *ſorte* opera Archontum per dicaſteria *b*), et ſingulis cauſſis itidem *ſorte* lecti ab Archontibus. Numerus maior minorue pro grauitate ac dignitate ſingularum cauſſarum; ſemper tamen ille nimis magnus pro noſtrae rei iudicialis rationibus *c*). In delatione,

*) Pollux VIII, 90. tantum *τὰς τῶν ἀψύχων δίκας* memorat. Ait quoque Areopago in cauſſis caedis praefuiſſe Regem.

b) Quingenti iudices ſedebant in Heliaea; (Pollux VIII, ſ. 123.) forte idem numerus in ceteris ſingulis; ita ſex iudiciis ſufficiebant ter mille iudices; verum vt alternis vacare poſſent, numerus videtur eſſe duplicatus. Iudicia interdum coacta eſſe mille, aut mille et quingentorum iudicum, Pollux eod. loco teſtatur. Quod de X. tabellis, quae X. litteris, A. B. Γ. inſignitae erant, inter iudices diſtributis, narratur vulgo e Schol. Ariſtoph. ad Plut. 277. non ſatis concoquo; nam Ephetae in *βήμασι* diuerſi erant a iudicibus dicaſteriorum.

c) Quid ſpectarint in magno hoc iudicum numero conſtituendo, aſſequi mihi videor ex Xenoph. rep. Ath. c. 3, 7. vt cauerent, ne, ſi pauci eſſent, facilius indicia corrumperentur.

Digitized by Google

delatione, φάσει dicta, ſi intra mille drachmas aeſtimatio litis ſubſtiterat, CCI. ſin mille drachmas excedebat, CCCCI. iudices ſedebant: Pollux VIII, 48. in cauſſis εἰσαγγελίας mille e Solonis inſtitutis; quibus Demetrius Phalereus quingentos adiecit (ibid. ſ. 53.). In cauſſa Socratis IↃV. iudicabant; nam CCLV. eum damnauerant, CCLI. abſoluerant; ſi tres his calculis alteris acceſſiſſent, abſolutus erat potiori calculorum numero: CCLIII. (Plato Apol. Socr. 25.).

Quod Romae inſtitutum vidimus, Athenis quoque in omni cauſſa publica obtinuit, vt *liberum eſſet vnicuique e populo accuſare d*). Tum commune et hoc: *deferendum erat nomen ad magiſtratum*, ſiue ad Archontum collegium, ſiue ad vnum ex Archontibus, pro diuerſarum cauſſarum natura et nomine, vt φονικὰ ad Regem; quae ad dicaſteria ſpectabant, ad Theſmothetas: a quibus et cauſſae, quo ordine eſſent agendae, et dies, proſcribi ſolebat (Pollux VIII, ſ. 88.). Erant praeterea cauſſae aliae deferendae ad *Senatum*, βουλὴν; tandem aliae cauſſae ad *populum*, quae a populo conuocato (ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ) erant diiudicandae. Videtur tamen et in his *magiſtratus opera* interceſſiſſe, vt ad Archontes res eſſet deferenda, ab iis autem ad Senatum referenda, aut ferenda ad populum; etſi vulgari vſu ipſe actor εἰσαγγέλλεσθαι dicitur. Accuratius haec conſtituenda erunt ab iis, qui in oratoribus graecis interpretandis verſantur.

Ad *populi iudicia* ſpectare debuere eae *cauſſae, quae ad ipſam remp.* et eius adminiſtrationem, ſalutem et incolumitatem, pertinerent; tum *cauſſae e prouocatione* ad populum, ἐφέσεις, tandem *cognitiones*, quas nos

d) Ταύτας τὰς δίκας — (τὰς γραφὰς) ἐξῆν τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι. Pollux VIII, ſ. 41.

Digitized by Google

nos *cauſſas exemtas* dicimus *e*) Saepe in his incidebant cauſſae ex eo genere, quod nos ſolemus appellare *quaeſtionum praeiudicialium*, quarum diiudicationem plerumque populus mandabat dicaſteriis. Demoſthenes, qui chorum inſtruxerat, a Midia, aemulo, in orcheſtra pugnis caeſus, accuſauerat Midiam ad populum; damnatut ἀσεβείας Midias; at ille alteram actionem inſtituit, ἀγῶνα τῆς ὑποτιμήσεως, non ἀσεβείας, ſed ὕβρεως ſe reum eſſe contendens; res reiecta ad dicaſteria; in altero hoc iudicio habita oratio in Midiam.

Cauſſae, quae ad remp. ipſam ſpectarent, infinitae fuerunt; aliae maiores et grauiores, ad reip. conſtitutionem et ſecuritatem ſpectantes, quas partim *perduellionis* eſſe dixeris, partim *maieſtatis populi*; aliae *politiae generalis*, et in his *religionum* et *ſacrorum*, aliae *aerarii*, adeoque *redituum*, *vectigalium*, *tributorum* et *munerum publicorum*, λειτουργιῶν; aliae *adminiſtrandae rei militaris* et *nauticae*; ad haec enim rerum capita reuocari fere poſſunt ea, quae ſigillatim ac ſparſim memorantur. *Cauſſae Sociorum* cum his coniungendae ſunt, diſtribuendae, puto, per eadem capita.

Cauſſae verſari debuere *aut* in criminibus iudicandis, *aut* in legibus ad cauſſas ſingulas applicandis, *aut* in iure dubio et incerto. Ad haec, quae memorauimus, capita referre cauſſas et iudicia nobis nunc licet; at veteres *ſub aliis nominibus* ea comprehenderunt *e rerum temporumque cauſſis natis*. Sunt primo εἰσαγ-

e) Omnino iudicia Solon *in manu populi* eſſe voluerat, apud quem ſumma poteſtas erat; etſi circumſcripta variis bonis inſtitutis mox a Cliſthene, Ariſtide, Pericle aliisque demagogis, ſublatis; inde prouocatio ad populum

εἰσαγγελίαι f), *in maximis criminibus publicis*, et moram non admittentibus; de quibus nec magiſtratus conſtitutus, nec leges latae, ex quibus iudicia fieri poſſent (ἐπι τῶν ἀγράφων); ſed vel apud Senatum vel apud populum primo fit iudicii conſtitutio (κατάστασις). In his multa grauiſſima reo irrogata, actor contra reo non damnato multae expers fuit, etſi Theophraſtus ſuo tempore eam mutationem factam memorat, vt, ſi ne quintam quidem ſuffragiorum partem actor tuliſſet, ἄτιμος quidem non eſſet, mille tamen drachmas penderet *g*). Fiebant hae *εἰσαγγελίαι ad populum* Theſmothetarum opera, (Pollux VIII, ſ. 87.) ἐν ἐκκλησίᾳ. Si admiſſa eſſet a populo, et accuſatio decreta, conſtituebatur iudicium ſeu dicaſterium, in quo illa agenda erat, et accuſator, aut qui ſe offerret aut quem populus diceret: hoc eſt προβάλλεσθαι, et actio προβολή *h*). Apud Pollucem (VIII. ſ. 46.) tamen tanquam proprie dictae προβολαὶ memoran-

lum a magiſtratuum ſententiis; iudicia populi, et iudices e populo lecti: etiam, Θῆτες qui eſſent.

f) (*Delationes* dixeris) Pollux VIII, 51 ſqq. et ſ. 95. ἐκκλησία κυρία — ἐν ᾗ καὶ τὰς εἰσαγγελίας ὁ βουλόμενος εἰσαγγέλλει. Harpocration h. v. tria εἰσαγγελίας genera conſtituit: ſcilicet alterum ἐπὶ κακώσει, tertium κατὰ διαιτητῶν, ſed hoc ad dicaſteria, illud ad Senatum ſpectabat.

g) Sextam talenti partem, quod licet noſtra aetate 1200 thal. pondo aeſtimare (Pollux l. c. ſ. 53.).

h) προβάλλεσθαι non vno modo dictum: προβάλλεται ὁ δῆμος *dum actorem conſtituit;* οἱ κατήγοροι ſunt προβεβλημένοι ὑπὸ τοῦ δήμου. Sed et *actor* προβάλλεται *profitetur ſe accuſare velle;* adeoque ὁ προβαλλόμενος eſt *accuſator*, et προβολή eſt *actio*. Ita videntur haec digeri poſſe. cf. Herald. III, 10, 8 ſqq. Diſcernuntur autem tanquam diuerſa, γραφαί, εἰσαγγελίαι εἰς τὴν βουλὴν et προβολαὶ ἐν τῷ δήμῳ apud Iſocratem de permutat. ed. Steph. p. 344 B. Etiam προβολὰς εἰσάγουσι Theſmothetae: Pollux VIII, ſ. 37.

Digitized by Google

memorantur *in eos, qui male animati aduerſus populum habebantur;* et in his quidem συκοφαντίας, αἰκίας, ὕβρεως, ἀδικίας, ἀσεβείας περὶ τὰς ἑορτὰς, in qua Midiana oratio verſatur. Idem tamen in aliis quoque cauſſis populi fieri debuit, vt populus, ad quem res delata fuerat, conſtitueret iudices, ſeu dicaſterium, a quo illa cauſſa erat cognoſcenda; ſic de cauſſa malae et flagitioſae legationis ad Philippum (παραπρεσβείας) ad iudices dixiſſe vides Aeſchinem et Demoſthenem. Ita vt exploratum mihi ſit, in omnibus cauſſis publicis, in quibus a populo iudicium et actor erat conſtituendus, fuiſſe locum τῆς προβολῆς. Memorat *cauſſas populi* Xenophon (de rep. Athen. 3, 4.) plures, quae partim *ad munera publica* (nos *praeſtanda a ciue* dicimus) partim *ad politiam* ſpectant; vnam, quae ad trierarchias ſpectare debuit, *ſi quis nauem non conſtruxerit; ſi quid publice exſtruendum non exſtruxerit* aliquis; (v. c. muris reficiendis) *iudicare inter choragos;* iudicare *inter trierarchas quotannis.* Praeterea populi erat cognitio in *cauſſis* δοκιμασίας, quae late ad *candidatos magiſtratuum*, ad βουλευτὰς, ad ῥήτορας, pertinuit; et *de reddenda rerum geſtarum ratione, magiſtratu geſto*, ſeu *praetura*, ſeu *legatione*, ſeu *quouis munere publico*. εὐθύναι dictae. (Pollux VIII. ſ. 44. 45.). Item cauſſae *de ſtatu libertatis* et *ciuitatis*: in quibus etiam δοκιμασία aliqua locum habuit *i*). Porro ſi inquilinus nullum patronum ſibi adſciuerat, ἀπροστασίου. Etiam *tutelae*, ἐπιτροπῆς: licebat enim vnicuique, qui vellet, tutorem reum agere (Pollux VIII, 6, 35.). In arbitros iniquos (διαιτητὰς qui publice e tribubus conſtituebantur; in quibus tamen ad dicaſteria lis deferri poterat; ἔφεσις erat. Adiice his *cauſſas Sociorum*, quarum infinita multitudo

F 2 eſſe

i) Ad hanc ſuſpicor ſpectaſſe τὴν δοκιμασίαν τῶν ὀρφανῶν Xenophonti memoratam ibid. dum quaerebatur, vtrum e ciue natus eſſet pupillus an ex peregrino.

Digitized by Google

eſſe debuit. Magiſtratuum, quos ſupra attigimus, opera in omnibus his iudiciis conſtituendis intercedebat, ſed aliorum in aliis; ita Theſmothetae εἰσάγειν dicti τὰς δοκιμασίας cum aliis cauſſis ap. Polluc. VIII. ſ. 88. alias εἰσῆγεν Archon eponymos, quas recenſet idem ſ. 89. alias Rex, Polemarchus ſ. 90. 91.

Nobile eſt exemplum iudicii ad populum in X. Praetoribus, qui in pugna ad Arginuſſas mortuos mari non ſuſtulerant. (v. ap. Xenoph. Hlgr. I, 7, ſ. 5. Primo in concione habentur orationes accuſantium et defendentium; tum Callixenus in Senatu accuſat; fit concio, in qua Senatus ſuum decretum proponit *k*) vt populus ferat ſuffragia tributim. Aduerſantur alii Callixeno; παράνομα eum ξυγγεγραφέναι, et Prytanes negant, ſuffragia ferendi poteſtatem ſe daturos *l*). Minis tandem victi concedunt, praeter vnum Socratem. (Apol. Socr. p. 32.) (p. 74. Bip.).

Cauſſae, *quae ad Senatum ſpectabant*, omnino fuere, quae remp. adminiſtrandam attingebant; partim, de quibus ad populum ἐν ἐκκλησίᾳ erat ferendum, partim δίκαι, generali nomine, cauſſarum publicarum genera, de quibus aut ipſi cognoſcerent et decernerent, aut quas ad iudicia (δικαστήρια) remitterent. Erant adeo in his quoque complures quaeſtiones praeiudiciales. Memorantur itaque εἰσαγγελίαι εἰς βουλὴν, de quibus aut ipſi Senatores ſententias ferebant, aut cognitionem iudicibus mandabant *m*). Videmus etiam in deliberationem venire, quid facto opus ſit; ad iudicesne cauſſae cognitio ſit ableganda nec

k) εἰς ἣν ἡ βουλὴ εἰσήνεγκε τὴν ἑαυτῆς γνώμην.

l) προτιθέναι τὴν διαψήφισιν παρὰ τὸν νόμον.

m) Ita v. c. ſi Archon vel rhetor deliquerat, εἰσαγγελία in Senatum contra eum dabatur, et, ſi lenior culpa, a Senatu multa irrogata, ſin grauior, iudicium conſtitutum: Pollux VIII, ſ. 51.

Digitized by Google

nec ne *n*). Factas video *εἰσαγγελίας εἰς βουλὴν* etiam earum rerum, quae ad ſingularem alicuius ex Archontibus curam ſpectabant. Etiam *φόνου* ap. Demoſth. in Midiam p. 554, 11. Fuere leges de *εἰσαγγελίαις* et paſſim ὁ *εἰσαγγελτικὸς νόμος* excitatur. Leguntur porro *εἰσαγγελίαι παρανόμων* o), *ἀδίκων*, *περὶ προδοσίας*, *περὶ τοῦ ἀδυνάτου*, — conſtituebantur de his a Senatu iudicia, et remittebantur cauſſae ad dicaſteria Archontum opera. Ita et *δοκιμασίαι* in Senatu peractae; et, ſi controuerſum aliquid incideret, mandata cauſſa dicaſterio. (Pollux ſ. 92.).

Diuerſa eſt *ἔνδειξις* et *φάσις*. *Ἔνδειξις* eſt *denuntiatio ad Senatum* vel ad Archontem, eius, qui aliquid faceret, nec monitus abſiſteret, aut locum adiret, ad quem per leges accedere ei non licebat; v. c. eius, qui praeter ius in foro verſatur, *δημηγορεῖ*, cum *ἄτιμος* ille ſit, qualis erat *ἀσεβὴς*, proditor, aerarius factus, ſycophanta, homicida, qui frumentum aut remiges ad hoſtes eduxiſſet Si in facto eſſet deprehenſus, abduci poterat: quae *ἀπαγωγή*; ſin reus latebat, magiſtratum delator eo deducebat: *ἐφηγεῖσθαι* dictus. Si crimen erat confeſſum, poena ſtatim irrogabatur; ſin res controuerſa erat; ex *ἐνδείξει* dabatur quoque actio, cauſſa ad dicaſterium remiſſa: Pollux VIII, ſ. 49. 50. Harpocrat. h. v. Loca claſſica ap. Demoſth. in Androtionem et in Theocrinem, etiam Lyſiae in Andocidem. Cf. Heraldi Animaduerſſ. IV, 9.

Φάσις aperte declaratur a Polluce VIII, ſ. 47. eſſe delatio omnino criminum latentium, inque his eorum, qui fraudes commiſerant in metallis, in frumentis importandis et exportandis, in vectigalibus,

 etiam

n) v. c. Demoſth. in Euergum p. 1151, 12. loco admodum diſerto.

o) Pollux VIII, 87. de Theſmothetarum muneribus *καὶ τὰς προβολὰς εἰσάγουσι, καὶ τὰς τῶν παρανόμων γραφάς.*

Digitized by Google

etiam ſycophantarum et pupillos circumuenientium. Delatio ſiebat ad Archontem nominibus inſcriptis et delatoris et delati, adſcripta multa, etiam apparitoribus et teſtibus, ſi qui erant.

Tandem ſunt *cauſſae publicae* quae *in iudiciis* agebantur, nomine *ad magiſtratum delato* ac *perſcripto*, et *ab hoc iudicio conſtituto*. Omnino hae *γραφαί*. Eſt autem hoc generale nomen criminum, etiam eorum, quae ad tribunalia et ephetas ſpectabant, aut ad populum, et Senatum (eſt itaque ἔνδειξις interdum inter genera γραφῆς, vt et φάσις, προβολὴ et alia) multo magis eae cauſſae, quae a populo et Senatu dicaſteriis delegabantur: vnde fit, vt quae εἰσαγγελία fuiſſet, eſſet quoque mox inter γραφὰς, ita vt ſaepe ex nomine γραφῆς nihil definire liceat. Recenſum γραφῶν dant Pollux VIII, ſ. 40. Sigon. de rep. Athen. III, 1. et hinc alii. Etiam γραφαὶ ſub nomine generali δικῶν ſunt comprehenſae, etſi alterum genus, proprie dictae δίκαι, cauſſas priuatas tantum deſignabat: quod notum eſt (Pollux VIII, ſ 41.) Verum γραφαὶ, quae nec ad populum nec ad Senatum ſpectabant, propria ſua nomina, vt vidimus, nactae, aliae ad Archontem eponymum, aliae ad Regem, vel Polemarchum, pleraeque ad Theſmothetas, deferebantur; qui εἰσάγειν vel εἰσηγεῖσθαι in iudicia a ſe conſtituta cauſſas dicebantur: (Pollux VIII, ſ. 88 ſqq) et haec eſt illa ἡγεμονία δικαστηρίου, de qua diſerti loci ſunt in Harpocrat. et in Suida h. v. Nec tamen hoc aliter factum eſſe cenſendum eſt, quam vt ipſi magiſtratus, cauſſa prius explorata, diſcutiendae litis periculum facerent; ſin nihil proficeretur, aut cauſſa eſſet grauior, iudicium conſtituerent. Ita et alii magiſtratus, ſi quid rei controuerſae paullo grauioris in iis, quae ad muneris rationes ſpectarent, inciderat, ad dicaſteria remittebant: vt apodectae, logiſtae, notarii (ἐπιγραφεῖς)

Digitized by Google

φεῖς) forte et iudicium regebant. Poterant quoque eſſe cauſſae eiusdem generis, quae pro naturae aut temporum diuerſitate et ad Theſmothetas, et ad Archontem deferrentur. Ita παρανόμων γραφὴ, (εἴτις ψήφισμα ἢ νόμον γράφοι παράνομον) ad Theſmothetas ſpectabat: (Pollux VIII, ſ. 87.) contra Cteſiphontem tamen παρανόμων γραφὴ delata ad Archontem. (Demoſth. pro Cor. p. 243.). Eſt porro eiusdem criminis interdum γραφὴ, δοκιμασία, εἰσαγγελία, vt ἑταιρήσεως ap. Polluc. VIII, ſ. 43. Scilicet δοκιμασία fiebat in Senatu; obiectum erat δοκιμαζομένῳ crimen, facta de eo εἰς βουλὴν εἰσαγγελία, reiecta res ad dicaſterium, et facta accuſatio, γραφή. Eodem puto modo caedis factae non modo ad Areopagum et Ephetas, verum etiam in Heliaea iudicia facta occurrunt, vt in Antiphontis Or. pro Herode et pro Choreuta.

Forma iudiciorum vniuerſe, ſeu ordo iudicialis, e libris vulgaribus peti poteſt *p*). Conuenit ille plerumque cum Romano more, aut cum ipſa rerum natura. Citatur reus, per πρόσκλησιν, aut per γραφήν. Petit accuſator ab Archonte veniam agendi. Inſtituitur ab Archonte ἀνάκρισις. Accepta venia vel ipſe actor in ius vocat, aduocatis teſtibus (qui κλήτορες, *anteſtatos* dixeris) vel mittitur κλήτωρ (vel κλητὴρ) apparitor, qui reum in ius vocet die dicta: nunc eſt δίκη ἐμπρόθεσμος. Reus promittit; ſatisdat; vel in judicium rapitur. Sin transigitur, accuſator διαλ-

p) Verum pro cauſſarum diuerſitate etiam forma interdum fuit diuerſa. Ita παρανόμων iudicium ita agebatur, vt, eodem die, primum clepſydra daretur accuſatori, par tempus reo et pro eo dicentibus. Ferebantur tum ſententiae iudicum. Quod ſi condemnatus quidem erat reus, certabatur autem de multa: tum iudicium denuo conſtituebatur de lite aeſtimanda, τὸ τρίτον ὕδωρ ἐγχεῖται τῇ τιμήσει. (Aeſchin. in Cteſiph. p. 587.).

Digitized by Google

λάττεται καὶ ἀφίσταται — καὶ τὴν δίκην ἀνείλετο — καὶ τὴν γραφὴν (Demoſth in Neaera p. 1363, 14.). Si per *γραφὴν* facta *πρόσκλησις*, in libello ſcripta ſunt nomina actoris et rei, cauſſae et *κλήτορος*, tum vero et ipſa multa ſeu poena lege conſtituta, aut lis aeſtimatur. Interdum plures ſubſcribunt. Antequam res in iudicium adducebatur, e multis oratorum locis apparet, quod et res ipſa docet, ab Archonte prius litigantes eſſe vocatos, interrogatos, et vt a litigando deſiſterent, admonitos: quae et ipſa fuit *ἀνάκρισις* et *ἀνάγνωσις*. Cauſſa porro ſaepe tam manifeſta eſſe debuit, vt pronuntiari poſſet ab Archonte, nec reus aut actor haberet quod reponeret; videtur tamen haec non habita eſſe ſententia, proprie dicta; habitum tamen eſſe inter munia *τοῦ δικάζειν*.

At a Theſmotheta dies dicitur, iudicium conſtituitur ſortito. Nunc die dicta in iudicum conſeſſu Archon actionem in forum inducit, *εἰσάγει δίκην εἰς τὸ δικαστήριον*; ita *δίκη* eſt *εἰσαγώγιμος*. Die dicta aut adſunt litigantes, aut altera pars abeſt, tum advocati *ὑπόμνυνται*, iuſta cauſſa eum abeſſe; ſic *ὑπερτίθεται δίκη* forte et *ἀνθυπόμνυνται οἱ ἀντίδικοι*. Poterat quoque reus litem conteſtatam deſerere, *φυγοδικεῖν, μὴ ἀπαντᾶν εἰς τὴν κυρίαν*: tum *δίκη ἐρήμη*, et ille *ἐρήμην ἁλίσκεται, ὀφλισκάνει ἐξ ἐρήμης, καταδικάζεται*; et actor *ἐξ ἐρήμης αἱρεῖ*. Aut adeſt reus; nunc poteſt variis exceptionibus vti, *τῆς παραγραφῆς. τῆς ὑπωμοσίας. τῆς ἀντιγραφῆς. τῆς ἀντιλήξεως*. Suppetebat quoque *ἀπωμοσία, διαγραφή, ἔφεσις* Sin vterque et actor et reus adſunt: iuratur propter calumniam; actoris eſt *προομοσία, ἦ μὴν ἀληθῆ κατηγορεῖν*, rei *ἀντωμοσία, ἦ μὴν μὴ ἀδικεῖν. ἀληθῆ ἀπολογήσασθαι*; ſed omnino iuriſiurandi multus et varius vſus. Fiunt porro ſacramenta a reo et actore, etiam variis nominibus. Praeco *γραφὴν* recitat; datur dicendi

cendi poteſtas actori, et reo Sin plures actores, eſt ἐπαγονισμῶς τοῦ προτέρου, tum δευτερολογία Dicendi poteſtas datur ad clepſydram Vtraque parte audita fertur ſententia praecone circumferente τὸν κάδον, in quo ψῆφοι, quarum mox fit numeratio. Iam poena et multa aut lege eſt conſtituta, aut non. Si non eſt conſtituta, fit altera quaſi actio, τίμησις et ἀντιτίμησις, de qua ſatis multa dicta in Socratis cauſſa. Condemnatus aut traditur τοῖς ἕνδεκα; aut, ſi multa dicta eſt, vel ſoluit, vel praedes dat, vel in vinculis habetur; donec multa ſoluta eſt, eſt ἄτιμος De quibus, vt et de variis ἀτιμίας generibus in Graeca antiquitate diſertius agi ſolet.

Cum *vnicuique e populo accuſare liceret,* facile expectes, calumniis et falſis delationibus magnam licentiam fuiſſe propoſitam. Iniecta tamen frena per leges: primo omnino *q*), quod in omni accuſatione, γραφῇ, qui accuſator non quintam partem calculorum tuliſſet, mille drachmis, in aliis cauſſis etiam ἀτιμίᾳ multabatur; (Pollux VIII, ſ. 53.) qui vero ἀσεβείας reum detulerat, nec, vt condemnaretur, effecerat, morte puniebatur *r*). Iniuriarum (ὕβρεως) autem

F 5.

q) ὁ κίνδυνος ἐν χιλίαις.

r) Ibid. ſ. 41. Videtur obſtare, quod Melitum Plato Apol. Socr. (p. 83. Bip. p. 36. Steph. c. 25.) ni condemnaſſet Socratem, *in mille drachmarum multam*, non in capitis periculum, incurriſſe ait. Scilicet ita ponitur, Socratem ἀσεβείας fuiſſe accuſatum. Atqui hoc perperam ſumitur. Erat crimen innominatum, nec legibus definitum, adeoque nec poena: quam accuſatori propter hoc ipſum relictum erat vt aeſtimaret. ἀδικεῖν dicitur Socrates in libello: qui plura capita complectitur. v. Plat. Apol. Socr. 2. et 3. 11. Xenoph. A. S. 10 ſeq. Diog. Laert. II, 40. Si quod eſſet generale nomen, dicerem eſſe, καταλύσεως τῆς πόλεως, τῆς καθεστώσης πολιτείας: de quo cf. Herald. Animaduerſſ. III, 9, 7. et 3, 5.

Digitized by Google

tem multa, ſi non is qui iniuriam paſſus erat, ſed alius accuſaſſet, publica erat: Pollux VIII, ſ. 41. 42. Erant porro iudicia aduerſus eos, qui falſo detulerant aut calumniati fuerant: huius generis memorantur ap. Polluc. VIII, 43 ſq. *δίκαι ψευδεγγραφῆς. ψευδοκλητείας. δωροξενίας.* Etiam cum ipſa accuſatione, praeter iusiurandum accuſatoris, coniuncta ſi non *παρακαταβολή*, quae ad iudicia priuata ſpectaſſe videtur, vtique *ἐπωβελία*, ſponſio de ſexta multae parte ſoluenda ab accuſatore, ſi reum contra ius detuliſſe deprehenſus eſſet (Pollux VIII, ſ. 39.). In *φάσει* autem, etiam, ſi alius detulerat quam is qui iniuriam erat paſſus; ibid. ſ. 48. adiudicato quoque ſemiſſe bonorum iudicatorum: vt e Demoſth. c. Theocrinem oratione conſtat. Vendebatur, qui quaeſtione de ciuitate habita a Curialibus excluſus ad iudices prouocauerat et cauſſa ceciderat: v. Demoſth. contra Eubulidem pro Euxitheo, qui *ἔφεσιν* fecerat. Ita vbique euenit, vt hominum erroribus, fraudibus ac vitiis, acuantur ingenia ad legum et inſtitutorum ſubtilitates, nouis fraudibus viam patefacturas.

VI.

VI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IVST. FRID. RVNDE D.
CVM SENATV
OB
RECVPERATAM VALETVDINEM
REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI
GEORGII III.
SOLLENNES GRATVLATIONES
INDICIT
IN A. D. XXVII. APRIL. cIↃIↃCCLXXXIX.

Quam a primo inde nuntio de recepta a Rege noſtro Indulgentiſſimo valetudine pro ſe quisque vultu ac verbis teſtati eramus laetitiam, eam nunc, Ciues, publice quoque ſollennibus academicis indictis teſtatam facere decretum eſt. Amat enim omnino gaudium teſtes, et percuſſus laeto euentu animus geſtit, fontis collecti more, habere quo erumpat; vbi autem plures eodem animi ſenſu contacti in ſocietatem exultationis venerunt, naturae noſtrae vis et indoles id ſibi tanquam proprium poſtulat, vt, magni fluminis inſtar riuulis vndique et amnibus aucti agros late inundantis, ſollennis indicatur

catur et feſtus dies, quo in gratulationes et acclamationes effuſam laetitiam teſtatam facere liceat. Quanto autem magis id facere conſentaneum eſt in euentu omnium votis exoptatiſſimo! tum in tanta laetantium conſenſione, in hac laetitiae publicae auctoritate, in hac, vt ante per omnem Britanniam, ita nunc per Brunſuicenſes terras gratulatione in eosdem dies indicta! Quid enim? cunctis publice priuatimque gaudia voce teſtantibus, Muſasne, quibus eloquium artibus litteriſque expolitum debetur, decebit eſſe elingues? Erumpet vero vox noſtra; audientur laetae acclamationes pietatis ſenſum in Deum O. M. et amoris affectum in Regem votis noſtris redditum teſtificantes, primo ſacris ſollennibus in diem dominicum indictis, tum craſtino die pompa in templum academicum ducenda, quam ornabunt, precibus noſtris exorati, et nouo ac ſollenni ſplendore illuſtrabunt SERENISSIMI MAGNAE BRITANNIAE PRINCIPES, almae Georgiae Auguſtae alumni, pietatem ſuam teſtificantes recepto ex graui morbo *Parente Auguſtiſſimo*, incendentque hoc ipſo laetitiae piae et religioſae tanquam auſpicio animos omnium veſtrum, quotquot aderitis, Ciues, Hoſpites et Aduenae, fauebitisque votis noſtris pro firmanda et corroboranda valetudine proque incolumitate perpetua Regis noſtri Indulgentiſſimi, et pro felicitate ac proſperitate ſtabili, per ipſa malorum experimenta fundata, Reginae et Sobolis Regiae ſuſcipiendis. Praeibit verba ex more Eloquentiae Profeſſor *Chr. G. Heyne*, quem vt fauentes propitiique audire et pompam noſtram ac pietatis ſollenne hoc praeſentia veſtra ornare dignum

aequum-

aequumque iudicetis, vos, Comites Illuſtriſſimi, Barones ac Nobiles Generoſiſſimi, generisque, ingenii, litterarum decoribus florentiſſimi Ciues, his ipſis verbis amanter ac diligenter rogatos eſſe volumus. Abſit autem, vt vel illi, qui alienis in terris nati ſint, laetitiam hanc noſtram publicam minus ad ſe ſpectare nec niſi communi humanitatis vinculo ſe teneri putent; quotquot enim adſcripti in hanc ciuitatem communibus focis aris ac templis vtimini, quemadmodum in communionem hanc tot bonorum ac commodorum veniſtis, ita etiam vos communi doloris laetitiaeue ſenſu contactos eſſe fas eſt in malis noſtris bonisue publicis; pertinebunt enim non minus ad vos ipſos fructus ex ſalute et incolumitate Regis, cuius auo immortali haec Muſarum ſacra debemus, quique Ipſe inſtituta haec noſtra tueri ac locupletare pro ſuo in litteras amore haud dedignatur. Venite itaque in partem laetitiae publicae, quemadmodum, hoc ipſo ineunte ſemeſtri curſu, lectionum academicarum vtilitates pro ſe quisque inſtitutione hac noſtra et diſciplina vniuerſa academica eſtis percepturi; et cum Muſis Hygieae, quae nec ipſa ab his litteris noſtris aliena eſt, feſtum hunc diem celebrate.

Nos autem, quotquot in hac Academia, quam deus ſoſpitet, litteris docendis conſtituti Muſarum ſacris tanquam ſacerdotes praeeſſe iuſſi ſumus, quibus ſenſibus, quibus vocibus, voluptatem noſtram ac laetitiam teſtatam ſatis faciemus, ſoſpite Rege, quem delicias ſuas appellat Britannia, quemque nos ſalutamus Patriae Parentem; in quem dixerit poeta illa, quae apud Horatium

Horatium de Caeſare dicta ſunt: *Quo nihil maius meliusue terris Fata donauere bonique diui; Nec dabunt quamuis redeant in aurum Tempora priſcum.* Concinemus itaque *laetumque diem et vrbis Publicum ludum ſuper impetrata* Regis ſalute, et *O ſol pulcher! o laudande!* canemus recepto Rege felices. Licebit autem exultare et gaudere tanto effuſius, quo grauiore luctu ac moerore percuſſi erant animi noſtri ex ſuperiorum temporum calamitate. Meminimus enim, et meminiſtis omnes quotquot nos adiiſtis per illos dies, quibus primus ad nos allatus erat triſtis de periclitante Regis noſtri valetudine rumor, quantus moeror animos noſtros perculerat! qui coniectus oculorum tacitus, et rigens obtutus luctum ac dolorem ſibi inuicem ſignificantium, obortis ſaepe lacrimis, ſtupentibus ad mali magnitudinem animis, ſilentium triſte, aut voces ſingulae interceptae, pallor oris, vultus deiectus.

Quod ſi itaque ex viſis audita aeſtimamus, et ex ſenſu noſtro aliorum affectus metiri licet, quantum et quam late ſparſum putabimus fuiſſe luctum ac ſollicitudinem de ſalute Regis in periculum adducta! Vulgatum eſt quod de Italiae trepidatione ac conſternatione narratur Pompeio Neapoli graui morbo conflictante; et quae tum, vbi ille conualuiſſet, totius Italiae fuerit exultatio *). At is luctus, quo nos fuimus oppreſſi, non intra vnam terram ac populum ſe continuit: *Non labente Numa timuit ſic Curia felix; Pompeio nec celſus eques; nec femina Bruto* **). Publicum illum Europae fuiſſe luctum vere

*) PLVTARCH *in Pompeio p. 649 E.*
**) STATIVS *Silv. I, 4, 41.*

vere aliquis dixerit; neque ille habet, quocum comparari poſſit, praeterquam laetitiam publicam, ex quo auditum erat, Regem conualuiſſe. In hac igitur in praeſenti quoque defigatur animus, dum horret ac refugit redintegrare caſus, quibus emerſimus, et depulſa ſemel procella, relaxatis mentibus in laetitiam et hilaritatem effundamur *), quam et res et tempus et ipſum officium, fides et pietas poſtulat. Quin ipſi Regi Optimo, ſi praeſentem eum haberemus, nihil magis gratum ac iucundum, quam hanc ipſam amoris teſtificationem fore credere licet. Quod ſi Principibus vti prima cura, ita praecipua felicitas eſſe debet, ſi amari ſe ab iis, quibus imperant, ſentiant: ſane calamitas illa publica et diſcrimen, quod Rex adiit, habet, quod pro ſolatio haberi poſſit, cum per illud locus factus ſit, quo tam incredibilis populi amor in Regem ſuum emineret. Magno quidem dicetis emtum ſummi amoris documentum; et quod pretium nemo facile ſtatuerit, ſi ſui arbitrii res eſſet; quod tamen exantlato nunc

*) *Nihil accommodatius verbis* PINDARI *Iſthm.* η, 12.

ἐκ μεγάλων δὲ πενθέων λυθέντες
μήτ' ἐν ὀρφανίᾳ πέσωμεν
στεφάνων, μήτε κά-
δεα θεράπευε· παυ-
σάμενοι δ' ἀπρήκτων κακῶν
γλυκύ τι δαμωσόμεθα
καὶ μετὰ πόνον. ἐπειδὴ
τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς
γε Ταντάλου λίθον παρά τις ἔ-
τρεψεν ἄμμι θεὸς
ἀτόλματον Ἑλλάδι μόχθον. —
Ἰατὰ δ' ἔστι βροτοῖς
σύν γ' ἐλευθερίᾳ
καὶ τά. —

nunc acerbo caſu moleſtam ſuperiorum temporum memoriam leuare ac recreare poſſit. Recreatum quoque ſe tam incredibili populi amore, et confirmatum animum ſentiet Princeps optimus, et, cum vna omnium voce teſtatum intellexerit, quantum in ſe vno ad reip. ſalutem poſitum exiſtimetur, enitetur et allaborabit, vt populus intelligat, recte ſe ita ſtatuiſſe, neue vnquam eum ſuae laetitiae, ſui ſtudii et amoris poeniteat.

Si tamen de modo teſtificandae laetitiae inter nos agitur: inter varia exultationis genera, in quae aliorum ingenia, ſtudia, opulentia, faſtus, effunduntur; ſpectacula publica, acclamationes, conuiuia, ignes artificum inuento in varias figuras et colores elaboratos, loca publica priuataque feſtis luminibus illuſtrata; quid noſtra cum vita, profeſſione, loco, dignitate conuenire ſatis videri debet? Scilicet vnum hoc, vt gaudia noſtra gratulatione publica teſtemur, vt gratias agamus Deo O. M. omnium bonorum fonti et auctori, vtque gratum hunc animorum ſenſum non magis *vultibus ac vocibus* prodamus, quam *vitae ſanctitate*, *religione in munerum et officiorum rationibus ſeruandis*, *fide diſciplinae*, *cura ac ſollicitudine in iuuentute ad doctrinae veritatem et vtilitatem fingenda et noſtra auctoritate regenda.* Ita enim pietatem noſtram declarabimus ab animis ſapientia et pietate vera imbutis profectam. Solet ſane et vulgus in laetis euentis numini gratias agere; enim vero gratiae hae ſummo Numini qua mente, quo ſenſu redduntur! et gratiis actis quis plerumque beneficii accepti ſenſus! quae memoria! Commune

muhe quoque eſt generi humano ad deum referre caſus mirabiles et euenta ſolito maiora ſeu mala ſeu bona. At quam diuerſis ita ſtatuunt homines ſententiis, opinionibus, iudiciis! ita vt videantur interdum putare, cetera omnia, quae ſolito more eueniunt, temere euenire, ſua ſponte fluere, neque numini curae eſſe.

Scilicet numerandum eſt hoc inter ea, in quibus mirari licet et rudia ac fera hominum ingenia et ſapientiſſimum quemque in vno eodemque ſaepe placito ac iudicio conuenire; at quam diuerſis de cauſſis, ſenſu abſimili, cogitatione et intelligentia in nulla re conſpirante! quod non animaduerſum ſaepe fefellit viros acutos, vt vulgus et prudentes, Chriſtianos et non Chriſtianos, philoſophos et indoctos, idem ſenſiſſe ac ſtatuiſſe putarent. Ita ad Deum O. M. omnia humana referre rudes homines, etiam primarum aetatum, ſoliti erant; eius interventum ſuis conſiliis rebusque gerendis expetebant, bona ac mala tanquam ab eo profecta in acceptum referebant; quis non pietatem hominum et rectum ſenſum miraretur? Atqui hi ipſi omnia ad ſenſus ſuos reuocando, deum putabant tanquam vnum ex popularibus humano more et ingenio inuidere alia, alia gratificari, alia ſua poteſtate maiora fateri. Alii mox, tot tantisque curis aut imparem deum aut indignas numine curas iſtas arbitrati, miniſtros inter deum et hominem Genios adſciuere; etiam hi a deo bona ac mala in ſe proficiſci aiebant; neque ab hoc ſermonis vſu deflexere, qui deorum ſenatum aut concilium creauerant, victimisque et ludis aut vnum

aut omnes exoratos eſſe volebant. Succeſſere, qui ſuis precibus ac ſupplicationibus publica priuataque religione habitis calamitates ac mala depuliſſe, iram dei exoraſſe ac placaſſe, conſilia Numinis mutaſſe, inflexiſſe et ad alia, quam quae decreuerat, traduxiſſe ſibi et aliis viderentur. Cum deum ipſum vulgus humana ſpecie induat, fieri aliter non poteſt, quam vt nec minus humano modo ac more omnia ab eo adminiſtrari putet. Condonanda vtique haec imbecillitati ingenii humani. Diuina conſilia quo regantur modo, ad quas attemperentur rationes, illa ignorat, nec niſi more humano de iis fari licet. Itaque precibus noſtris alia negari alia concedi dicere ſolemus. Alia de his verba non ſuppetunt. Regi tamen omnia humana Numinis conſiliis, iisque ſapientiſſimis, et optimis, perſuaſum habeamus, idque ad pietatem noſtram ac religionem pertinere teneamus, vt et mala feramus fortiter, et bonis fruamur ſapienter, et moderate, nec ſine ſenſu religioſo. Id quod tanto magis a nobis, qui ſupra vulgus ſapere videri volumus, expectari poteſt; vt rectis ac veris rerum notionibus non modo in praecipiendo, verum in rerum quoquc actu, in vita et exempli auctoritate, vtamur. Conſenſum plurium in vnum idemque iudicium ſeu de diuinis ſeu humanis de rebus ne vnquam aut exigamus aut expectemus; neque enim ſiue ſimilium verborum pronuntiatio ſiue iisdem vocibus concepta multorum profeſſio conſenſum ſtatim in eandem rem efficit: neque diſſenſus hominum, a tot cauſſis, quae in manu noſtra non ſunt, profectus, aut crimen habere aut odia excitare aut omnino mirationem facere debet. Virtutem vero

vnanimi

Digitized by Google

vnanimi conſenſu colamus omnes; haec vna via ad conſenſum, ſi quis eſt et poteſt eſſe in opinionibus ac iudiciis, adducere forte poteſt. Sin vna omnium maxima dote, virtute inquam, deſtitutus ille ſit: quae tandem conſenſus vtilitas, quis religionis, pietatis, ſapientiae, litterarum, doctrinae, fructus aut eſſe aut cogitari poteſt ſatis magnus, qui virtutem, hoc eſt, agendi ex illis principiis facultatem, vſum et habitum, compenſare aut aequiparare poſſit? Non ad opinandum nos natos eſſe meminerimus, verum ad agendum. Liberationem a morbis grauibus per omnes aetates et per omnes populos ad diuinum interuentum retulere homines; enimuero, vti morbos ira deorum inflictos credidit et adhuc credit rudium et ferorum populorum error, ita eosdem variis ritibus exoratos iram remittere et muneribus captos blanditiisque delinitos valetudinem gratificari creditum eſt: peſtilens error, ſi ſeuerius ſtatuas; indigna enim numinis notione opinio; condonanda tamen infantiae humanae: Qua etiam effectum eſt, vt ipſa medicina pro arte diuina haberetur, vtque ab aris deorum, ab oraculis et ſacerdotum et vatum reſponſis, ſalutem peterent homines; neque vlla facile alia res eſt, in qua ingenii humani imbecillitas luculentius appareat, quam in auxiliis medentium aut impetrandis aut expectandis; etſi omnino eadem mentis noſtrae tenuitas ita fert, vt, quamuis aeternam dei prouidentiam omne vniuerſum complecti nec menti diuinae quicquam aut paruum aut magnum eſſe bene teneamus, in fortuna tamen ancipiti, in caſu grauiore, in euentis inſolitis, *praeſentius numen* eſſe putemus. Adeo in rebus grauiſſimis

 balbuti-

balbutimus omnes. Quo magis nobis annitendum, vt noſtro *exemplo* veram pietatem veramque religionem in reddendis iis, quae Deo O. M. pro bonis acceptis debita ſunt, declaratam demus. Nihil niſi prouido rerum numine agi, geri, euenire, certo certius ſtatuamus: nec valere nos nec conualeſcere niſi diuino beneficio. Hoc enim, ſi quid vnquam, verum eſſe cum Socrate iudicamus, viro bono nihil mali accidere poſſe nec viuo nec mortuo; nec vnquam illius res a deo immortali negligi *). Enimvero modum ac rationem, qua res humanae a numine prouido gubernentur, qua via euenta rerum procedant, quis qualisue dei interuentus ſit, id in hac infantia noſtra, quae naturae perfectae notionem tam anguſtam et exilem habet et concipit, definire velle temerarium eſſet. Gratum animi ſenſum *verbis* declarare pium iuſtumque, ſed expeditum ac procliue eſt; at *rectis vitae vti conſiliis, ſtudiisque ad publicam priuatamque felicitatem indies auctis*, ita vt non tam noſtris quam publicis vtilitatibus, non noſtrae modo famae ſed rei publicae laudi, exiſtimationi, conſulamus, *litterarum ac diſciplinarum bona ac praeclara, quae in iis ſunt, ad vitae commoda, popularium felicitatem, rerum ſalubrium incrementa, malorum, quae vitam premunt, fugam transferre*, hoc eſt, quod nobis annitendum eſſe putabimus. Reliqua facile in vtramque partem interpretari licet; ſi recta conſtanter proſequaris, facta ipſa loquentur. PP. in Academia Georgia Auguſta d. XXVI. Aprilis CIↃIↃCCLXXXIX.

*) *χρὴ — ἕν τι τοῦτο διανοεῖσθαι ἀληθὲς, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν οὔτε ζῶντι οὔτε τελευτήσαντι, οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα.*

VII.

VII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IVST. FR. RVNDE D.
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV IVNII ANNI HVIVS cIↃIↃCCLXXXIX
REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI cIↃIↃCCXC
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT
M. IVNIO cIↃIↃCCLXXXIX.

Certamini veſtro litterario, Ciues, cum dies Regis noſtri Indulgentiſſimi natalis dictus ſit, etiam non moniti facile intelligitis, permagnum auctori-

Digitized by Google

tatis ac celebritatis momentum ei certamini et victorum laudi ex hoc diei et ſollennium ſplendore accedere. Quae vtique ipſa res ingentem vim habere debet ad adoleſcentes erectioris indolis tam praeclarae laudis cupiditate inflammandos. Vix tamen alius dies ſollennior, vix alius fauſtior ac laetior, aut fuit aut eſſe potuit eo natali, quem heri ac nudius tertius celebrari vidiſtis. Adueniebat ille animis ſuperiorum temporum hilaritate adhuc perfuſis et tantum non tumentibus, cum redditum votis publicis priuatisque GEORGIVM III, populi ſui amorem ac delicias, valetudine priſtina recuperata, gratulabamur. Ex euentus itaque laetiſſimi ſenſu tam recenti natalis huius celebritas mirum quantum religionis mutuabatur; nec ſollennia iſta vnquam magis laetis ac piis animorum ſenſibus fuere peracta. Nec vero ea religione ac pietate noſtri tantum, quotquot ciuitatis iure et imperii formula dictoque ſacramento Regi Optimo obſequium praeſtamus, animi fuere contacti; id enim cum officii ac fidei rationibus erat coniunctum; verum, quod non ſine laude veſtra commemorare poſſumus, Ciues, vos quoque, qui aliunde huc adueniſtis nec niſi certo conſilio et ad certum tempus in ciuitatem noſtram eſtis adſcripti, in religionis ac pietatis ſocietatem animis volentibus vos adiunxiſtis: teſtatum id fecit frequentia veſtra, ſilentium, fauor, iis qui aderant, omnibus. Scilicet ita apud vos ſtatuiſtis, Ciues: quod nunc in nouam hanc ciuitatem adſcripti, tuti ac ſecuri in hoc praeſtantiſſimorum, ingeniis et omni litterarum genere excellentium, virorum contubernio ac tanquam conuictu vitae et adoleſcentiae florem agitis,

vtiliſſi-

vtiliſſimarum litterarum ac diſciplinarum copiis pro lubitu et ad ſatietatem ingenium repletis, iisque ſatis inſtructi ad patrias quisque ſedes ita diſceditis, vt opes iſtas earumque fructus et vobis et popularibus veſtris aliquando cupiatis eſſe ſaluberrimos, haec omnia vos debere prouidentiae Regis Indulgentiſſimi, cuius auſpiciis iſta adminiſtrantur. Nutritori itaque veſtro vos, tanquam alumni curis tam liberalibus haud indigni, tribuiſtis hoc merito, vt nobis, quotquot in hoc Muſarum ſacrario hierophantae conſtituti ſumus, diem laetum celebrantibus fauentes et veſtra pietate ſuffragantes adeſſetis, noſtrisque precibus vota veſtra pro optimi Regis ſalute ſeu perſoluenda ſeu nuncupanda conſociaretis. Erat autem hic veſter in laetitiam publicam concentus tanto iuſtior, quod ipſa haec ſollennia in vtilitatem veſtram erant verſa, ita vt ſtudiorum veſtrorum fructus per ea locupletarentur; quandoquidem conſtitutum eſt in diem hunc feſtum ac ſollennem certamen ingeniorum veſtrorum, vt praemia aſſignentur iis, qui ſtudiorum ſuorum profectibus declarandis palmam ceteris praeripuerint. Videtis quantopere vtilitatibus veſtris et commodis proſpectum ſit in omnibus rebus, ita vt hilaritatis quoque publicae ſollennia vobis ſint proficua et fructuoſa; tantum enim abeſt, vt a diei religione abhorrere videri debeat certamen litterarium, vt potius cum ipſis precibus ac votis noſtris pro ſalute et incolumitate reip. noſtrae illud praeclare conſpirare arbitremur; etſi alio modo ita ſtatuamus, quam veteres hiſce de rebus ſenſiſſe conſtat.

Meminiſtis enim, quemadmodum omnium populorum more receptum eſt, vt aut venerando aut deprecando numini dies ſollennes ac feſti ſint conſtituti, ita cum his apud Graecos et Romanos religionum loco habitos eſſe ludos et certamina. Qua quidem re primo adſpectu nihil videri poteſt magis a conſilio et ratione abhorrere. Quid enim? potueruntne homines putare numen delectari ludorum apparatu, quo ne ſapientior quidem quisquam magnopere contactum habebit animum? In graui vero calamitate, quam deorum ira immiſſam illi credebant, aut in magnarum rerum ſuſcipiendarum primordiis, ad deos ſibi propitios reddendos, ad iram eorum placandam, ad mala auertenda, quid expectare potuere a ludorum ſollennibus? Conſtat tamen ſatis inter omnes, morem iſtum non vno in populo, non vna aetate viguiſſe. Apud Romanos quidem, clade in bello accepta, anni peſtilentia caelique intemperie vaſtante agros, aut in oſtentorum procuratione, quoties ſupplicatio decreta eſſet et lectiſternium, indictos videmus ludos ſeu circenſes ſeu ſcenicos, aliquando etiam munus gladiatorium. In Graecia autem cum religionibus et ſacris deorum ſollennibus coniuncta fuiſſe certamina, a re quoque ſacra dicta, quis ignorat? Qua tandem via et ratione, ſeu quo animorum errore et occaecatione morem iſtum receptum eſſe putabimus?

Scilicet religionum et ſacrorum primordia cum alia a calamitate publica aut malorum imminentium metu ſint repetenda, fuere alia, quae a rebus laetis et hilaritate publica proceſſerant; inque his ſaltatio cum

cum cantu, in Graecia quidem, chorus; chorus autem ludis ſcenicis initia fecit *); Cumque porro, quoties victimae adolebantur, epulae ſacrae haberentur, animis ad omne hilaritatis genus ſolutis et effuſis: nullum non ludicri genus fuit frequentatum, inprimisque certamina curſus ac luctae, tum ludi curules. Ita ſenſim res in morem ſacrorum abiit, vt non modo votorum ſoluendorum cauſſa et in laetarum rerum ſollennibus, quod ferri poſſe dixeris, verum etiam in ſupplicationibus expiandae irae deorum habitis certamina et ludi haberentur; factaque eſt religionum pars non infima, ſacrorum cauſſa certamina aut ludos inſtituere.

Quid? quod, vti ſolent res humanae miris modis variari, eo tandem peruentum eſt, vt certamina et ludi primo loco inſtituerentur, ſacrorum autem ritus iis eſſent adiuncti, tanquam qui ſubſeruirent rei primariae, certaminum ac ludorum religioni **). Qua forte in re, quod probet prudentior quisque, vnum ſaltem hoc ineſt, quod animorum exhilarationem cum religionibus coniunctam eſſe voluere, tanquam probatam numini, quod a nulla re magis

G 5 alienum

*) Chori porro apparatus ad pompam ducendam inuitauit; ita ſumtus facti in rem diuinam aerario ſaepe vel patrimonio exhauſto; vbique vero πανηγυρεις natae magno cum hominum concurſu, et cum hoc θεωριαι.

**) Ita Ludi magni, Ludi Apollinares, ſaeculares, qui nobis dies feſti dicerentur, antiqua religione inſtituti. Sic pro ſollenni ſacro Ioui vel Apollini habito memorantur Olympia, Pythia et ſic porro. Porro vouebantur ludi, cum ad noſtrum morem dies feſti inſtituuntur. Adeoque immutata eſt religio, vt ludis aut certaminibus inſtitutis ſubiiceretur ſacri cum iis faciendi memoratio. Itaque nulli ludi facti dicuntur ſine victimis caeſis.

Digitized by Google

alienum eſſe poteſt quam a religioſorum rituum triſtitia et lugubri cultu. In variis autem iſtis certaminum et ludorum generibus alia aliis facile praeferas vel poſtponas. Gymnica certamina, curſus et ſaltationis ludicra, quis non ludis ſcenicis vtiliora iudicet, inprimis ad corpora plebis fingenda ac roboranda, animosque ſenſu aliquo ſolutiore imbuendos. Itaque nihil forte excogitari potuit ad ruſticae plebis animos torpori huic et ſtupori, quo hebent, addicendos efficacius, quam ſi per dies feſtos a choreis et ludis iis interdictum eſt. Tardos ingeniis et bardos eſſe quis miretur noſtros agricolas, quorum corpora nullo motu liberali exercita, labore aſſiduo incuruantur et indurantur? quis miretur eos obſtipa ceruice, greſſu teſtudineo, ore ſtupido, incedere? Atqui animaduertere licet, vel ipſis militaribus decurſibus et exercitationibus, etſi ad ingeniorum expoliendorum rationes haud inuentis, corpora tamen ad agilitatem inflecti, et cum corporibus fingi ingenia quodammodo et acui. Itaque partim exhilarandis iſtorum hominum animis, partim omni ludorum genere fingendis corporibus, quantum in humanitatem beneficium conferri putabimus!

Ex his itaque, quae dicta ſunt, mirationem res facere non debet, ſi ludos et certamina tanquam rem diis gratam inter religiones referri et in rebus, quibus ad placandam numinis iram aut ad eius voluntatem ſibi propitiam reddendam vterentur, haberi videmus. Eſt enim hoc conſentaneum cum imbecillitate mentis humanae, vt humana admiſceat diuinis, aeſtimetque et metiatur numinis affectiones ex

Digitized by Google

ex ſuis propenſionibus et ſtudiis, vtque ei tanquam grata et iucunda aſſignet ea, quae inter homines gratiam et auctoritatem habere ſolent. Noſtrum certamen, Ciues, etſi ex religionum more deductum haud eſt, nec tamen omnino ab iis ſeiunctum et remotum videri debet; eſt enim cum ſollennibus huius diei coniunctum, quibus natalitium ſacrum Regis Indulgentiſſimi celebramus; habetur illud inter vota ac preces pro eius ſalute et incolumitate conceptas; conſulitur per illud certamen vtilitatibus veſtris. *Nihil* autem *cum religione et pietate magis eſt coniunctum, quam quod vtilitates ad remp. habet;* hoc demum deo immortali gratum videri, hoc ſapientiſſimo numini probari putabimus. Eſt tandem hoc certamen ingeniorum et litterarum; non curruum vel equorum; abeſt omnis impenſa, quae melius in humanitatis commoda et ſolatia erogatur. Non enim inuidemus Britannis pietatem in Regem per inſanos ſumtus oſtentantibus. Quod ſi pietas noſtra in ipſis his ſollennibus, ſeu natalitiis, ſeu valetudinis recuperatae cauſſa habitis, minus fuit ſumtuoſa; at non minus illa ſimplicitate ac veritate ſe commendare debuit. Vota ac preces factae, ſacra indicta, orationes habitae, laetitiae ſenſum magis forte declarare videri debent, quam feſtis luminibus colluſtratae viae aut ignes in varios colores et figuras arte efficti. Adeo enim inanem faſtum et luxum induerunt omnia; ea quoque quae a pietatis ac religionis ſenſu proficiſcuntur. In vnius horae ac momenti, non voluptatem, ſed admirantium ſtuporem, quem pro voluptate cenſeri iſti volunt, opes effundere, quibus prouinciarum neceſſitatibus ſuccurri poterat, pro

egregio

egregio pietatis ac religionis teſtificandae ſpecimine habetur. Magnorum virorum ac principum honori ac memoriae vt conſulerent Graeci et Romani *) impenſam in monumentum faciebant, quod ad poſteritatem durare poſſet. At iſti homines, qui in lucro ponunt cauſſas et opportunitates luxus et faſtus oſtentandi, in vanas vnius momenti vel paucarum horarum faſcinationes oculorum et praeſtigias abſumunt diuitias, quae ad momentum perenne educendum, ad vaſtam operis molem vel artis exquiſitae ſpeciem mirabilem ſufficere poterant. *Ita, ſibi viuere* qui ſemel aſſeuerunt, *nec poſterorum curam habere facile poſſunt, nec memoriae ſuae.* Mirentur haec qui volent; nobis condonandum erit, ſi ingenii monumentis editis diei feſti ſollenne non modo inter nos celebrare, verum iisdem mox prelo vulgatis alios quoque, quotquot litteras colunt, pietatem noſtram docere voluimus. Accedemus itaque ad commemorationem ſcriptorum, quae in certamen fuere miſſa, et ad iudicia de iis publice facta.

Vt itaque ab *Ordine Theologorum* exordia ducantur, propoſita ab eo erat quaeſtio nec impedita, nec infructuoſa:

De natura ambitu et praeſtantia praecepti euangelici de diligendis inimicis.

Commentatus erat in eam vnus e noſtratibus nec omnino indocte, oratione tamen parum concinna.

*) Quamdiu locum habebat illud Horatii; *Priuatus illis cenſus erat breuis, Commune magnum.* Vnde recte idem, prudentiae quoque ciuilis, grauis auctor: *Quisquis quaeret pater vrbium ſubſcribi ſtatuis: indomitam audeat refrenare licentiam.*

cinna. Satius igitur viſum, ſeruare praemium in annum proximum, quo ſperare licet talem fore concurſum concertantium, qui dignus videri poſſit beneficio tanto, quo et excitari ſtudia et ornari ingenia et commendari poſſint profectus; inprimis cum nullum ſtudiorum genus ſit, quod aut maiores litterarum copias deſideret, aut ab humanitate et orationis latinae facultate fructus praeſentiores expectare poſſit, aut in fortunarum anguſtia praeſidiis ad ingeniorum commendationem magis egeat, quam Theologicum.

Ordo Iureconſultorum propoſuerat quaeſtionem:

Quaenam ſint genuina fundamenta iuris ſupremae poteſtatis circa adeſpota, quibusque ex rationibus alia tamquam ſpuria reiicienda ſint? Eamque quaeſtionem non ſolum ex principiis iuris publici vniuerſalis, verum etiam ex principiis iuris Romani et iuris publici Germanici enodari deſiderauerat.

"Traditae ſunt Ordini commentationes duae, altera praemiſſo fragmento ex lege regia: "*Vtique quaecumque ex vſu reipublicae, maieſtate diuinarum humanarum publicarum priuatarumque rerum, eſſe cenſebit, ei agere facere ius poteſtasque ſit;*" altera inſignita ſymbolo ex Plinii panegyrico: "*Magna laus eſt, fiſcum ſaepe vinci.*"

„Neutra quidem harum commentationum omnibus numeris abſoluta praedicari poteſt, ſed nec indigna omni praemio ac laude eſt diligentia non ſine acumine ingenii ab vtroque auctore adhibita. Comparatione tamen vtriusque ſcriptionis, qua par eſt,

eſt, adſiduitate inſtituta tam quod ad diſpoſitionem totius argumenti attinet, quam in copia fontium ſcriptorumque in conſilium vocatorum priori commentationi poſterior palmam omnino praeripit.

„Praemium itaque diligentiae et doctrinae adiudicauit Ordo commentationi, quae prae ſe fert effatum Plinii: *Magna laus eſt, fiſcum ſaepe vinci.* Sed nec ſuam detrahere voluit alteri commentationi et diligentiae et ingenii laudem, vt praemio, quod, niſi ab altero auctore victus fuiſſet, auferre potuiſſet, *accedat* ſaltem iſtius libelli auctor."

Victrix commentatio auctorem habuit
Io. Ant. Lvd. Seidensticker, *Hannoueranum*
qui iam ſuperiore anno praemio ornatus diſceſſerat.

Ab *Ordine Medicorum* propoſita erat quaeſtio:

Quinam ſint effectus opii in corpus animale ſanum, maxime reſpectu habito ad eius analogiam cum vino: et quomodo necat?

Docendum hoc erat experimentis in animantibus calidi ſanguinis factis; amphibiis nonniſi ad comparationem inſtituendam adhibitis.

Exhibita eſt ſcriptio, quae multarum deſiderium leuare poſſet, inſcripta verbis Stollii: *Litem dirimet obſeruatio pluries repetita eaque caſta.* Experimentis ſane auctor vſus eſt et oppido multis, iisque ſollerter curioſeque et circumſpecte inſtitutis, ex iisque magna cum ſagacitate multaque cum cautione et prudentia collegit probabilia, inueſtigauitque naturae legem ac morem. Vna res eſt in qua legibus certaminis parum obtemperaſſe videri poterit, libelli moles

moles voluminis iuſti inſtar ac ſpeciem prae ſe ferens. Nec tamen hoc aut indecorum, aut in hoc argumento mirum et inſolens videri debuit. Itaque cum poſtulatis ſuis ac deſideriis ſatis eſſe factum videret Ordo Medicorum, nihil dubitauit praemium aſſignare commentationi huic non a tirone ſcriptae, ſed a milite, qui iam ſtipendia aliquot emerita numerare poſſet.

Scheda reſignata recitatum eſt nomen
Georgii Chph. Siebold, Med. Cultoris,
Wirceburgenſ.

Illuſtris parentis laudem et famam mature aemulantis.

Ab *Ordine Philoſophico* ii, qui de praemio certaturi erant, iubebantur,

Quibusnam rationibus ac momentis virtus nullo religionis praeſidio munita ſeſe commendare aut tueri poſſit, ex ipſa rei natura declarare, Stoicorumque atque Epicureorum praeceptis illuſtrare.

Incenſa eſſe Commilitonum ſtudia ad certamen ineundum haud parum ſumus laetati, nec de ſalute reip. litterariae deſperandum eſſe putabimus, quamdiu concertantium opera tam gnaua et acris, qualis in hac quaeſtione fuit, haud deerit. Septenae enim commentationes in commiſſionem ſunt deductae. Acceſſit alia ex Maramaruſienſi Comitatu Hungariae ad nos miſſa: cum ignoratum eſſet, iis tantum, qui in hac Academia litterarum ſtudiis vacant, certamen hoc eſſe propoſitum. Verum ex ſeptenis iſtis duae, altera cum dicto: *Qui non reuerentur homines, fallunt deos*, altera inſcripta: *Oderunt peccare boni virtutis amore*, die dicto ſerius fuerant redditae adeoque certami-

Digitized by Google

certaminis leges earum rationem habere vetuerunt: etſi nec priori laus diligentiae, nec poſteriori acuminis et ſubtilitatis, Kantiana diſciplina nutritae, commendatio decederet. Reſtabant igitur *quinae*, quae arbitrio iudicum committerentur. Ex his temporum ordine *princeps* fuit ea, quae in fronte habet verba: *Quod potui feci, faciant meliora potentes.* Lectionis varietate et copiis, quod ad philoſophorum veterum placita ſpectat, praeſtare illa viſa eſt ceteris; placuit ſtudium et opera in conquirendis ſubſidiis et opibus, quibus argumentum accurate pertractari poſſet; vtinam auctor operae et induſtriae partem aliquam in digerendis, diſponendis apteque apponendis copiis collocaſſet, nec, tempore, vt probabile ſit, excluſus, vltimam manum admouere neglexiſſet; reciſis iis, quae a conſilio erant aliena, et emendatis, quae inter cetera grauiter dicta perfunctorie erant effuſa.

Altera commentatio inſcripta: *Virtus recludens immeritis mori caelum negata tentat iter via.* Laudi habitum auctori, quod methodi ſeuerioris legibus obſtringi ſuique iudicii acumine vti voluit; cum autem illud lectione et commentatione ſcriptorum, inprimis veterum parum, Ciceronis vtique nulla, eſſet ſubactum, id quod vel dictione horridiore manifeſtum ſit, partim notionibus philoſophiae vulgaribus nimium eſt immoratus, partim alia, quam quae res deſiderabat, cumulauit. Officia quae dicuntur erga deum verae virtutis partes ita conſtituere putauit, vt ſine iis manca et omnino nulla videri poſſit virtus. Atqui officia erga deum alio modo dicuntur, quam

quae

quae nobismet ipſis aut aliis praeſtamus; et ipſa quaeſtio, cum de virtute, qualis eſſet ſine religionis praeſidio, quaereretur, ſubiicere cogitationem debebat, de iuſtitia, temperantia, et ſic porro, quaeri, quibusnam rationibus ac momentis illae eſſent ſubſtructae.

Commentatio *tertia* ſub titulo: *Optimus ille eſt, qui minimis vrgetur*, ingenium prodit varia lectione politum atque ad philoſophiam vitae natura et vſu comparatum; nec oratio diſplicet; probaturque inprimis caput alterum, quo quid ad ſingulas virtutes praeſidii habuerit antiquitas, Ciceronis maxime verbis declaratur. In priore, diſpertitione a maioribus accepta in quatuor virtutes cardinales vtitur, digreſſione praemiſſa, qua ortum iſtarum virtutum ex quatuor generis humani aetatibus, ſeu viuendi generibus, ſilueſtri, paſtoritio, agricolationis ac ciuili, repetere voluit.

Commentatio *quarta* cum verbis ex Spinozae Ethica praeſcriptis: *Ex virtute abſolute agere, nihil aliud eſt, quam ex legibus propriae naturae agere etc.* Etſi ſubtilitas deſiderari poterat in fronte ſtatim libelli in notione felicitatis conſtituenda, tum in eo, quod neglexerat auctor definire notionem *rationis*, qua virtutis naturam confici alio loco recte cum Seneca ſtatuit: vnde fit vt nonnulla ponat potius quam probet; regnat tamen in tota commentatione acumen aliquod iudicii, cum ingenii liberalitate et venuſtate coniunctum, quod ad amorem ſui facile trahat. Recte ab initio ſtatim declarauit, virtutem ſine religionis praeſidio eſſe eam, quae, prouiden-

tia numinis et animorum immortalitate ſublata, tamen habet quo ſe tueatur. Incedit circumſpecte, ſed tramite, quo ire coeperat, ad id quo tendebat, per nullum deuerticulum intercepto, nullo partium ſtudio auocatus. Lectionem cum veterum tum recentiorum philoſophorum prodit probabilem, nec a dilectu et iudicii ſeueritate ſeiunctam; oratione vtitur ſatis caſta, partitione et ſententiarum iunctura non inuenuſta.

Quinta tandem commentatio cum titulo: *Non compilando ſed meditando;* quo ipſo dicto auctor iudicum arbitrio ferendo proluſiſſe videri poteſt: Alienis tantum non omnino faſtiditis, ſuo vtitur iudicio, ingenio indulget, eique haud mediocri, ſatisque venuſto. Verum in philoſophico argumento oratorie plerumque verſatur, dictione quoque licenter interdum vſus, in nouiſſima parte quaſi taedio victus remiſſior.

Quibus omnibus inter ſe comparatis Ordo Philoſophorum ſine controuerſia victricem commentationem eſſe voluit praemioque debito condecorauit eam, quae *quarto* loco commemorata eſt *cum dicto ex Spinoza petito;* Proximum autem ab illa locum tenere primam illam cum dicto: *Quod potui feci.*

Quo facto reſignatis libellis exiere nomina, victoris quidem:

AVGVSTVS MATTHIAE, *Gottingenſis Seminarii philologici Sodalis.*

Alterius autem qui proximo loco laudem abſtulerat,

CAR. GOTTLOB MELCHIOR HERRMAN, *Gedanenſis.*

Talibus

Digitized by Google

Talibus Aeneadae donis dictisque Latini ſublimes in equis redeunt, pacemque reportant *). Perſonuerant aures veſtras, Commilitones, nomina victorum e cathedra recitata: quo quidem ſono, qua voce, quid cogitari vobis poteſt iucundius, quid dulcius! Aut quid memorari poſſe putabimus potentius ad ingenia veſtra, Commilitones, excitanda, ad inflammanda ſtudia, ad conſilia a quouis veſtrum e veſtigio ſuſcipienda, vt ſimilem laudem futuro anno conſequi contingat! En praebebitur veſtris conatibus et votis materia digna in qua elaboretis; quaeſtiones nouae in annum proximum *nonageſimum* huius ſaeculi promulgatae;

Ab ORDINE quidem THEOLOGORVM haec:

Diſciplina, quam vocant, arcani, quae a ſecundo ad quartum fere ſaeculum in coetibus chriſtianis adhibita eſſe refertur, quid ſibi voluit? intra quos limites conſtitit? ex quibus fontibus fluxit? quid damni aut lucri cognitio chriſtiana tum illorum tum ſequentium temporum ex illa cepit?

Ab ORDINE IVRECONSVLTORVM quaeritur:

Obligatio liberorum ad facta parentum praeſtanda quibus principiis nitatur, quibusque limitibus ſit circumſcribenda?

Ab ORDINE MEDICORVM:

Vtrum conducat, characteres ſtirpium, nonniſi microſcopii ope eruendos, in diſcrimine earum conſtituendo admittere, an potius praeſtet, vel inſtar legis eſſe debeat, iis tantummodo notis, et in vniuerſum, acquieſcere,

*) Aen. VII, 284. 5.

Digitized by Google

quas acies ſani et in vigore aetatis conſtituti oculi manifeſtat?

Si prius: ſignificentur generalius ſtirpes, vel partes earum, quae microſcopii adiumentum neceſſario in dictum finem ſibi vindicent, item gradus augmenti lentis vitreae, vt conſtantia characterum obtineat. Sin poſterius: argumenta enucleatius, eaque exemplis firmanda, exponantur, cur lente abſtinendum ſit. Ita elucebit, an ob notas vnice microſcopio debitas, in ſyſtematibus botanicis neceſſe ſit, excogitatis nouis partium absconditarum terminis vti, diuellere ſtirpes bene multas hactenus iunctas, et combinare alias hactenus diſtinctas, mutare characteres olim receptos, et, quum nomina nonniſi diſpoſitione ſtirpium apta niti queant, innouando nomenclaturam, ſcientiae, multorum annorum ſtudio adultae et plurimorum approbatione ſtabilitae, nouam formam imprimere?

Ab ORDINE tandem PHILOSOPHORVM Commilitonum ſtudiis propoſitum eſt,

Vt comparetur vna vel altera reſpublica noſtrae aetatis cum vna vel altera rep. veteris Graeciae; v. e. oligarchia Veneta cum Spartana, Helueticarum nonnullarum ciuitatum democratia cum democratia Athenienſium; aut resp. confoederatae, vt Helvetiorum, vt Belgii, vt Americae ſeptentrionalis, cum rep. Achaeorum, Aetolorum, et ſic porro. Neque vero iſta comparatio per omnes ac ſingulas reip. partes nimis ſollicite eſt perſequenda, verum in iis tantum, quae inſignem aliquam ſimilitu-

dinem

dinem vel memorabile diſcrimen habent, declarandis, modo in deſcriptione ac forma reip. vniverſe, modo in ſingulis eius partibus, v. c. in lege ac more, quo populus voluntatem ſuam declarat, adeoque in comitiorum habendorum ratione, quae et ipſa a populi diuiſione et a ciuitatis iure procedit; item in Senatu habendo; in modo ſententias dicendi, ſuffragia ferendi. Licet etiam, ſi ita placebit, ad ſingularia procedere et inquirere, v. c. qui nunc eſt in Senatu Britannico *Speaker*, in Suecicis comitiis *Talman*, quo nomine ille appellatus ſit in ciuitatibus Graeciae, aut vicem eius qui gerebat et quo modo? quo ritu?

Quae ad haec pertractanda cognitu neceſſaria ſunt, traduntur in Lectionibus Academicis ſeu ſuper Iure publico vniuerſali, ſeu in tradenda ſcientia naturae et rationis omnis imperii, tum formularum ad quas imperia et reſpublicae Europae conſtitutae et deſcriptae ſunt, partim in antiquitatibus Graecis, quas vocant. Alia e lectione ſunt petenda.

Quod ad rerumpublicarum formas vniuerſe ſpectat, adiri poſſunt: Huberus de iure ciuitatis ex edit. quarta, tum libri noti Montesquieu et Juſti. De rebus autem publicis Graeciae, vt cum recentioribus comparatio inſtitui poſſit, adiri poſſunt, qui noſtra aetate res Graeciae expoſuere, (v. *Götting. Anz.* 1787. p. 356 ſq.) tum qui orationis Latinae facultatem adiuuare poſſunt, Emmius aliique in Vol. IV. et V. Theſauri Gronoviani excuſi. Locorum claſſicorum copiam ſup-

 peditabit

peditabit Vindingius in Hellene (To. XI. Theſ. Gronov.). De minoribus rebusp. conferri poterunt Proluſiones in hac Academia ſcriptae ſuper rebus publicis Magnae Graeciae et Siciliae earumque legibus. De Athenienſium rep. libri ſunt Sigonii ac Meurſii; de rep. Spartana nuper Pauwii diſputatio aliorum ſtudia excitauit. Iuuabit quoque Anacharſin paſſim inſpexiſſe.

Indictum eſt certamen in diem IV. Iunii anni proximi XC. praemium ſingulis quaeſtionibus e liberalitate Regia conſtitutum numus aureus XXV aureorum ducatorum pondo imagine Regis Indulgentiſſimi affabre facta ſignatus. Commentationes, quae quidem ad certamen admitti volent, ante Kalendas Apriles reddi lex iubet. De ceteris certaminis legibus inſpicienda ſunt Edicta ſuperiorum annorum, quibus illae fuere promulgatae *).

Quibus peractis reditum eſt ad bona vota pro incolumitate Regis noſtri Auguſtiſſimi et Indulgentiſſimi ſuſcipienda; ſunt enim eadem cum votis pro reipublicae cum vniuerſae tum academicae ſalute, pro litterarum honore, proque bonorum omnium, quae inde proficiſcuntur, perpetuitate coniuncta. Exhilarata Optimi coniugis reſtituta ſalute Regina intactum curis et ſollicitudinibus animum per omne tempus vtinam ſeruet, recreetur que gaudiis dulciſſimis ex incolumitate ac proſperitate ſobolis Regiae, inprimis Regiorum tutelae Academiae noſtrae creditorum

*) v. Edictum anni LXXXIV. in Opuſc. HEYNII Vol. III. p. 222 ſqq. repet. p. 254. p. 326. 382. Add. Edictum anni LXXXVIII ſub fin.

torum Principum. Salua ſit reſp. noſtra academica et in litterarum incrementa effloreſcat, noſtrisque conatibus, conſiliis ac ſtudiis, reſpondeat euentus.

Quae vota noſtra cum ſint pie concepta, confidamus ſapientiae ac beneuolentiae aeterni numinis rata fore ea, nec quicquam accidere poſſe quo ab officio, honeſtate, religione aut auocemur aut deterreamur; quibus ſi immanemus, feliciter ac proſpere nos res noſtras geſturos, et bene nobiscum iri actum *), nihil eſt quod dubitandum cuiquam noſtrum eſſe videatur.

P. P. in alma Georgia Auguſta Menſ. Iunii cIↃ IↃ CCLXXXIX.

*) Secundum praeclara illa poetae:
Permittes ipſis expendere numinibus, quid
Conueniat nobis rebus que ſit vtile noſtris.
Nam pro iucundis aptiſſima quaeque dabunt di:
Carior eſt illis homo quam ſibi.

VIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IVST. FR. RVNDE D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM

IN

MAGISTRATV ACADEMICO

IO. ANDREAM MVRRAY D.

CIVIBVS SVIS

HONORIS ET OFFICII CAVSA

COMMENDAT

INDICTIS SOLLENNIBVS

IN A. D. II. IVLII cIↃ IↃ CCLXXXIX.

E quibus terris mancipia in Graecorum et Romanorum fora aduecta fuerint.

Multis per haec tempora, Ciues, verbis et conſiliis inter Britannos et Gallos agitatam meminiſtis quaeſtionem de mancipiis e Nigritia in Indiam occidentalem venditis libertate donandis interdicendoque omni hoc Afrorum venalitiorum mercatu: quem quidem dudum melior philoſophia et religioſorum hominum pietas improbauit, Quakerorum quoque ſeuerior religio, manumiſſis iis, quos vinculis

culis habebant, ſuſtulit, nunc tandem repente memorabili conſenſu, magnis multorum conuiciis, explodit et abolendum eſſe clamat Britannia et Gallia. Euenit itaque, quod aliis interdum exemplis factum conſtat, vt inſtitutum aut opinio aliqua, per multos annos, interdum per ſaecula, a ſagacioribus et prudentioribus fruſtra damnata, ſubita aliqua animorum conuerſione et inflexione communibus hominum ſuffragiis tolleretur. Exempli eſſe poſſunt loco haec ipſa, quae apud Gallo-Francos eueniſſe videmus, qui in id nunc publice conſenſere, in quod ſapientiores dudum conuenerant: emendandam eſſe regni adminiſtrationem, omninoque melius conſtituendam rempublicam; quod niſi mature fiat, malis ac vitiis ſuis ad exitium ſuum Gallias eſſe properaturas. Mirationem vtique facere poteſt, ſeruitute corporum per omnem Europam fere ſublata aut circumſcripta, nouum venalitiorum genus, nouumque quaeſtum mangonicum ſubnatum, morem veterem in Europa interdictum in America repetiiſſe; porro et illud mirum videri poteſt, quod non plagas niſi occidentales Africae quaeſtus ille improbus obſedit; verſa quoque re in religionem, vt Chami poſteros diris Noachicis deuotos priſcum luere piaculum nonnulli putarent. Re tamen diligentius perpenſa, ab vna parte lucri cupiditatem et auaritiam, cum littorum Africae occidentalis opportunitate, in cauſſis eſſe habendam apparebit; ab altera communem humani generis peſtem, tot malorum fontem, ignorationem bonae deſcriptionis vitae ſeu, ſtatus, quem vocamus, ſocialis inter Afros; quo efficitur, vt ad mercatum ſeruitiorum copia ac

frequentia ad manus ſit; multa quoque ſint, quae ad deteſtabilem mangonii quaeſtum inuitare poſſint.

Etenim, vt apud omnes barbaras gentes, ita in Africae terris ſeu maritimis ſeu interioribus, imperiorum ac regnorum ratio ad certum iudicium, ad certam formulam, quae a naturae humanae vi et iure facile peti poteſt, conſtituta eſt nulla; regnum aut inuaditur aut defertur vni neque legibus circumſcriptum nec moribus et inſtitutis, ab hominibus longo tempore ad extrema quaeuis toleranda adſuetis, omnisque ſenſus liberalioris expertibus; itaque in populum dominium idem, quod in res ac pecudes eſſe ſolet; arbitrium ac lubido legem facit. Cum autem, quod facile intelligitur, nulla principum in tam rudibus populis eſſe poſſit inſtitutio liberalis: mirum non eſt, ſi lubido illis belluina plerumque eſt et ad omnem atrocitatem et inhumanitatem procliuis. Itaque homines pecudum loco habentur, mactantur aut veneunt. Conſtituuntur ex hoc tanquam principio omnia, etiam ciuilia negotia. Vni regi ſeritur, vni metitur. In bellis vero gerendis, quae etiam inter politiores Europae populos ad ſolius interdum principis lubidinem et vtilitatem vanam ſuſcipiuntur, barbarorum regum lubido regnat. Ad reguli lubitum armis captis ad incurſationes, praedationes, caedes, rapinas, procurritur. Vnum deeſt, quod nondum eos res et tempus et Europaeorum principum acumen docuit, vt mercede dicta, quam ipſi in ſua penu reponant, copias ſuas vendant aliis pro lubitu trucidandas.

Nec vero hoc Africae proprium ac peculiare; verum communis eſt rerum vſus et mos per omnes orbis

orbis terrarum regiones, in quibus imperia non ſunt melius conſtituta et idoneis legibus a populo circumſcripta; neque aliter res ſe habuit per omnia tempora et per omnes populos, quamdiu de rep. conſtituenda vel de imperii natura et forma nemo eſt auſus quaerere. Generoſis Graecorum animis ingeniisque hoc debetur, quod ad certa principia regnum et libertas eſt reuocata. Etſi enim per Aſiam quoque fuere populi, qui ſeu malis et iniuriis dominorum exaſperati, ſeu caeli et ſoli natura inuitante, ſeu temporibus ita ferentibus, dominationis impotentiam circumſcriberent: quoniam tamen ab vnius dominatione, quicquid de imperio ſtatui poſſe putarent, petere ac deducere ſolebant, libertatis fructus tantum ad certos ordines aut hominum genera retulerunt. Cum igitur omni dominationi hoc ſollenne ſit, vt *populum* inter *res* habeat, quibus pro arbitrio ac lubitu vti liceat, ſeruorum loco vbique vulgus, haud raro ipſi optimates, habentur. Vt et venum ciues exponerent, opportunitas ſuadere facile potuit, quoties illa ſe offerret; quod non noſtra ſolum aetate in Africa, ſed per omnes aetates et permultas per terras factum eſſe conſtat.

Scilicet non niſi vita recto ac libero rationis vſu expolita, et intelligendi ac iudicandi libertate recuperata, perſpici potuit, ſocietatem humani generis, ſi quidem illa ſancto hoc nomine digna, nec pro belluina congregatione habenda ſit, ita inſtitutam eſſe debere, vt non modo vnus, aut pauci, verum vt omnes ac ſinguli, pro ſua quisque parte, nec minus tamen pro ſuarum virium, facultatum ac meritorum

Digitized by Google

ritorum modulo, iure vtantur ſuo. Ab hac tamen iuris paritate, imminuta iam per ipſam naturae ſortem inaequalem, in corporum animorumque ac virium, ſexus, aetatis, operae, conſilii, imparitate, non vno modo receditur; infert iuris inaequalitatem ſtatim ipſa ſortis ac fortunarum multis de cauſſis nata inaequalitas, multo magis opulentia eiusque comes, luxus paucorum, cum multorum egeſtate; nemo enim poteſt effundere id quod centenis alendis ſufficiat, niſi ſint centum alii, qui opera et induſtria ſua tantundem facultatum parent, vſu tamen ac fructu ipſis intercepto aut ſubducto. Itaque vt vni opulento ſatis ſit, centenos egenos neceſſe eſt de ſuo aliquid contribuere. Quo ipſo per omnes populos, etiam meliore ſocietatis iure deſcriptos, factum eſt, vt ruſticorum, quorum labore et prouentu ſuſtentantur omnes alii, conditio plerumque ſit deterior et ita fere conſtituta, vt, denegato ſuis ipſorum vſibus operae fructu, prouentu agri aut manus et induſtriae alant alios deſides et *fruges conſumere natos*.

At enim ab his alienae operae fructus abſumentibus fucis mature intellectum eſt, *maiorem eſſe* ex opera *aliorum* prouentum, *ſi iis nihil omnino ex ea relinquatur*, ita vt omnis fructus ad vnum redeat dominum: ita, poſthabitis operariis tolerabili mercede conducendis, in vita, etiam moribus ac legibus exculta, aut nata eſt ſeruitus aut aucta, vt in Romanorum et Athenienſium rebus florentibus; ita Nigritae in plantaria Iamaicae aliarumque inſularum inducti ſunt, vt lucrum eſſet tanto maius, quo merces operae aut exigua aut nulla eſſet ſolvenda

Digitized by Google

venda *a*). Aliis modis ſeruitus inducta et conſtituta fuit per alios ſocietatis humanae aut emendatae aut corruptae gradus; fuere quoque in his modi et cauſſae probabiles, cum ipſa humanitate coniunctae, et ab ea inaequalitate, quam natura facit, aut vitae calamitas, repetitae. Cum enim omnis ſeu gregum alendorum cura ſeu agricolatio manus ſociatas exigat: vt paterfamilias ſocios operum adſciſceret, ipſa res ſuadere debuit. Addixit itaque operam ſuam alter alteri, vt id, quo ipſe inopiae ſuae occurreret, ab eo ferret. Habitus ita ille in familia; habiti eius liberi vernarum loco. Ita aliorum opera res familiaris creſcere, mox ſe ipſum herus laboris moleſtiae ſubducere, tandem iniquiorem operae partem aliis imponere, recuſantes vi adigere. Alias oneris aggrauandi opportunitates attulit multorum neceſſitas, cum in iſta vita, non his quibus nos vtimur quaeſtus generibus inſtructa, egeſtas ac fames ſaepe ad vltima redigeret homines liberos; vt itaque vitam ſuſtentarent, acerbum quamuis aliorum dominium ſubiere; operas, corpora, libertatem obtulere; mox, inopia victi, etiam liberos in ſeruitutem vendiderunt; tandem liberos ſuſcipere et alere coeperunt quos mangonibus mercatu facto venderent; quaeſtu aucto ex puerorum puellarumque forma *b*).

At

a) Etſi et hoc lucrum, ſi vere aeſtimes, opinatum tantum eſſe, docuere ſagaciores, nunc cum maxime, Nigritarum vſu in controuerſiam vocato; et ante, v. c. *Io. Millar Diſtinction of Ranks in Society* p. 205.

b) Primi generis exempla ipſa Roma ſuppeditat, in qua antiquioribus temporibus ius erat patri vendendi liberos: circumſcriptum poſthaec legibus XII tabb. Poſterioris generis exempla praebent Thraces, qui πωλεῦσι

τὰ

Digitized by Google

At ſeruitutis tanquam propriam naturam ac conditionem duram quod conſtitueret, bellorum fuit immanitas, captis in ſeruitutem abductis. Nunc ius vitae necisque in ſeruos natum; nunc humanitatis alicuius ſenſui imputatus vendendi mos et vſus; vt lenior forte ac minus durus videri poſſit ille Aſſyriorum et aliarum Aſiae regum mos, quo victos patria expulſos in nouas terras, quas inhabitarent, migrare iuberent.

Diſtinxere ac cumulauere ſeruitutis genera et gradus, ſimulque ſeruorum numerum incredibili modo auxere primum artium et opificiorum inuenta, tum vero inſtrumenta luxus, qui cum vitae mollitie ac faſtu increbuerat *c*). Ita ſeruitutis neceſſitatem et vſum aliter intuliſſe videri debet vita per opulentiam et mollitiem fracta, aliter barbarorum ſocordia et ignauia, cum ipſi operae vices ſubire refugiunt aliosque operae vicarios ſubſtituunt. Hoc modo barbari per Africam in ſeptentrionem verſam, ſcilicet, vt illatas ceteris Afris iniurias quodam modo vlciſci videantur, mancipia ex Europa praedantur; neque illi, cum ipſi per deſidiam vitam agant, niſi operariis aliunde praedatione abactis, vitam tolerare poſſunt.

τὰ τέκνα ἐπ' ἐξαγωγῇ. Herodot. V, 6. vti noſtra adhuc aetate multis barbaris immanis iſte mos frequentatur; inprimis in puellis vendendis. Fuit ſane certa aliqua ratio, quam in his homines ſequerentur; quandoquidem liberi habebantur *inter res*, quas adeo quocunque modo alienare licet. Hinc ſeruitus domeſtica liberorum; hinc filiae, quas nos elocamus, vendi et emi ſolent.

c) De his praeclare v. c. *Reitemeier* de ſeruitute inter Graecos p. 16 ſqq. a quo alia petenda ſunt, quae conſilio a nobis ſunt praetermiſſa.

poſſunt. Eodem modo Turci et alii barbari ſine mancipiis recte viuere nequeunt, ipſi ad omnem mollitiem ac deſidiam verſi. Aliam mancipiorum neceſſitatem attulit concubinarum multitudo et ſpadonum miniſterium.

Quod ſi multa videmus narrata de ingenti per Graeciam et Italiam mancipiorum numero, ita vt eſſent domini, qui centena ac millena mancipia alerent: quaerere licet, vnde antiquis temporibus tantus hominum prouentus extiterit, vt tantis mancipiorum gregibus ille ſufficeret. Quae res multo mirabilior, ſi teneas, vernarum ſeu ſobolis a ſeruis procreandae parum habuiſſe rationem homines: cuius iudicii cauſſam paullo poſt ſubiiciemus. Vt tamen recte de ſingulis diſpici poſſit, per partes eundum, ac diuerſae aetates et hominum fortunae diſcernendae eſſe videntur.

Iam ab initio in vitae paupertate et ſimplicitate ad greges paſcendos aut agrum colendum et vitae miniſteria vulgaria, vti nec magno corporum numero res indigebat, ita e proximis confiniis rapti aut capti bello aut per praedationes maritimas in poteſtatem redacti aut a praedonibus emti ſerui ſufficere poterant. Omnis generis exempla apud Homerum occurrunt; vti Phoenices quoque in hoc praedonum numero fuiſſe ex Odyſſea conſtat.

Erant tamen iſto tempore qui mercede opus facerent *), cum mancipiis, vt apparet, eodem loco habiti, quandoquidem horum quoque conditio minus dura erat quam per auaritiam ſequentium temporum.

*) δμῶες et θῆτες.

porum. E barbaris captiuorum copia Graecis ſatis magna ſuppetere potuit, quamdiu anguſtis, per Aſiae inprimis oram, finibus, interdum cum barbaris permixti, habitabant. At ſequiore aeuo mercaturae genus conſtitutum eſt cum aliis in locis, tum Athenis, vt ex barbarorum populorum quamuis longinquis terris importarentur mancipia. Teſtantur vel nomina, fuiſſe ea e Scythis, Thracibus, Getis, Dacis, Phrygibus, mox etiam e Syris *d*). Alium numerum ius et fortuna belli ſuppeditabat; inque eo ipſos populares ex aliis Graeciae vrbibus et agris, populatis finibus, in praeda abductos. Mercatus quoque et fora venalitiorum mature inſtituta, vt Sami, Epheſi, Athenis; fecit haec ipſa nundinatio locum plagio. Redacta eſt ab Alexandro in ditionem Aſia; quod ſi non primum forte, inter prima tamen fuit bella, quibus victi non in ſeruitutem ſunt redacti. Cum, extenuatis Graeciae opibus, luxus ad regum aulas migraſſet, magno emi coeperunt e Perſis et Medis pueri; nunc Aethiopes in comoediis memorantur; adducti fere per eos, qui aut ſtipendia in regum copiis mererent, aut mercaturam facerent. Verum ad maius rerum ſpectaculum et latiorem quaſi proſpectum inuitat nos Romanorum vita.

Cum inde ab vrbis origine pater quisque familias agrum coleret, vt inde ſe ſuosque tueretur, ſeruorum vſum alium non habebat, quam vt agrum colerent.

d) Strab. VII. p. 467. A. et de emporio Tanaide ad Tanais fl. oſtia idem lib. X. p. 750. A. *Regiones ad Pontum maximum mancipiorum numerum ſuppeditaſſe*, et Byzantium hunc quaeſtum inprimis exercuiſſe teſtatur diſerte Polyb. IV, 38, 4.

Digitized by Google

colerent. Seruorum itaque familiae habebantur in agris, de fuga ſuſpecti compedibus vincti; ceteri eodem fere loco quo filii familias. Cum omnis fortuna ac res familiaris in fundo, familia et pecudibus, poſita eſſet, *rerum* hinc *mancipi* natura et circumſcriptio originem habuit. Familiam bello capti conſtituebant; eoque illa potior praedae pars habita.

Quamdiu Italia debellata eſt, fortium et validorum corporum copia haud defuit. Quoties inter haec caſum ita tuliſſe putabimus; vt homines, qui ipſi patres familias ſuos agros domi coluerant, capti bello alienum agrum colerent! Enimuero deficientibus his, et patrumfamilias cura et opera ab agris ad alia auocata, agrorum cultura, vt alias cauſſas praetermittamus, manuum idonearum inopia deficere debuit. At ſucceſſere bella cum Graecis coloniis in Magna Graecia, tum in Sicilia. Abducti ſunt Romam homines inter ſuos conſpicuo loco nati et artibus Graecanicis inſtituti. Fuit hoc, etſi humanitati pernicioſum, diſciplinae tamen et inſtitutionis genus, quo Romani per captiuorum artes et ingenia ad meliorem vitae cultum a feritate et barbarie adducerentur. Inde bellis cum Poenis geſtis et exciſa tandem Carthagine quanta Poenorum et Afrorum agmina per vrbem et agros ſparſa credere licet! quam multos domi opulentos ac potentes, nunc in ſordidis miniſteriis dominorum iniurias vitaeque aerumnoſae miſeriam tolerantes! Succeſſere bella cum Graecis, tum Aſia victa. Multa barbarorum millia victo Illyrico, Gallia, Hiſpania, Africa, in Italiam immigrarunt. Quantas ſeruitiorum viciſſitudines et

inſtaurationes intra paucos interdum annos ſucceſſiſſe putabimus, cum ex nouis victoriis ac triumphis Italia modo hoc modo alio ſeruorum genere eſſet referta et obſeſſa! Totae gentes in eam infuſae videri poterant, intra hominis aetatem ſine poſteritate extinctae et in alieno ſolo ſepultae. Superuenere tandem luxus inſtrumenta ex Aſia, pueri molles ac delicati.

Inter haec, ſi quid aliud, curandum erat Romanis, vt ſerui prolem procrearent. Atqui ei rei nullo modo prouiſum; vernae commemorantur, ſed nec eo loco nec numero habiti, vt mancipia ipſi ſupplerent. Scilicet eodem modo, quo noſtri homines, praeſenti lucro vnice inhiantes, de Nigritarum ſobole parum laborant, Romani de ſuis reditibus tantum dependere noluere, quantum ad pueros alendos neceſſe eſſet, nec a labore matrem vacare, vt de lucro, quod ex eius opere diurno quaerebatur, aliquid decederet. Maluere impenſas facere in noua venalitiorum agmina comparanda *e*). Magnum per haec ipſa exortum eſt malum: hi enim barbarorum ex Illyrico, Gallia et Hiſpania, adductorum greges, agro colendo minus idonei, perdidere agricolationem, iam ſatis attritam per latifundia divitum, et agrorum penuriam, quos pauperes colerent.

Aduecta eſt Romam alia venalitiorum copia ad munera edenda; inde orto ſimul gladiatorum ſpectando-

e) Poſſunt et aliae rationes memorari: cf. *Reitem.* l. c. p. 73 ſq. In agris tamen colendis ipſa vtilitas ſuaſit interdum meliora. Vnde apud Graecos Peneſtae Theſſalorum, Clarotae Cretenſium, Helotae Spartanorum in agris liberos educare iuſſi. Nec aliter boni patres familias inter Romanos.

Digitized by Google

ctandorum inſano ſtudio, grandia barbarorum corpora ad pugnandum in arena deſtinata. Nolo multa addere de mancipiorum familiis in metalla abditis, et, per imperitiam artis antiquorum temporum, aerumna et miſeria confectis. Creuit cum his ſeruorum ad luxum et faſtum paratorum numerus, maxime inde a Carthagine et Corintho euerſa (Strab. XIV. p. 985. B).

Quis, haec et ſimilia apud animum reputando, cum populos tantum non omnes libertatis fructus et humanitatis iura ceteris cunctis erepta *ſibi ſolis* arrogare videat, non deploret fortunam generis humani in re, quae ſummam felicitatis humanae continet, vitae ſocialis natura, penitus caecutientis? nec intelligat, melioris ſapientiae fructus praeſtantiſſimos ſpectari in hoc, quod ſocietatis humanae et imperiorum formae ac iura ad certas rationes, cauſſas ac limites, redigi coeperunt? Haec vna rationis lux melior niſi inter homines ſparſa fuerit, de populorum felicitate eiusque per ſacra noſtra ac religiones illatas iuuandae ſtudiis fruſtra magnifica quaeuis aut pollicemur aut expectamus. Cum ſuperſtitione exterminanda erat dominationis iniuria et immanitas. Atque haec de iuſti imperii indole doctrina vtinam per omnes terras diſſeminari, populorumque omnium vniuerſique generis humani animis inſtillari poſſit! niſi enim hanc edocti fuerint homines, reliqua omnia, quae eos edocere laboramus, exigui aut vſus aut fructus ſunt. Iura itaque humanitatis et ſocietatis aut conſtituere aut alios edocere, ſummum, quod homini ab homine praeſtari poſſit, beneficium aeſti-

 matote.

matote. Euelletur per haec animis praua iſta opinio admirantium audaciam aut vanitatem regum caedibus ſtragibusque hominum vrbiumque et agrorum incendiis gloriam immortalem ſibi parantium. Deſinemus aliquando extollere laudibus virtutem Romanam omnis terrarum orbis vaſtatricem et in generis humani calamitatem adultam et auctam. Quid enim? Vnius populi victoris tantae vt eſſent opes, alia poſt aliam prouincia viris opibusque fuit exhauſta! vtque eſſet, vnde illi barbari alerentur, vnde luxu diffluerent, per omnes Europae, Aſiae et Africae terras, corpora ac familiae patriis ſedibus abſtractae, in Italia, nulla prole ſuperſtite, interierunt! vtque qui perierant reficerentur, aliae vaſtationes factae, omni iniuriae generi in libera quoque corpora via patefacta! Verum libertatis ereptae mala tot ac tanta ſunt, vt in iis enumerandis fruſtra aliquis deſudet *f*).

Noua ſucceſſit inter Romanos cauſſa, nouum conſilium, vt mancipia conquirerentur, ſcilicet *ad opera publica facienda.* Seruorum enim publicorum incredibili copia miranda iſta veterum opera, non aedificiorum modo moles, verum vias, aquaeductus, portus, perfici ſolita eſſe ſatis conſtat. Mancipiorum manu, ſudore, ſanguine iſta opera fuerunt educta, quorum vaſtas ruinas nunc miramur. Magno vtique ea conſtitiſſe humanitati dixeris! Magnarum prouinciarum opibus exhauſtis impenſae quaeſitae, et fame aerumnisque multa millia hominum confecta, vt materia et marmor pararetur, alia, vt Romam advehere-

f) Conf. tamen *Reitemeier.* l. c. p. 128.

veheretur, vt ſtructura, vt opus fieret! Mauſoleum Auguſti vel Adriani vt educeretur, quot corporum millia, de foco ſuo et laribus abſtracta, in opere tanto viribus et ſpiritu defeciſſe et animas depoſuiſſe putabimus! Quis tamen neget, haec eadem, carius quidem ac difficilius forte, nec minus tamen perfici potuiſſe, ſi, quae in potentium aulaeque luxuriem et faſtum abſumebantur, in publica commoda vel ornamenta impenſa fuiſſent.

Auctis itaque, vt paullo ante vidimus, per luxum ſeruorum familiis, bellorum tandem continuorum, vnde reparari poſſent, materia deficiente, tanto magis coepit efflorescere mancipiorum mercatus; fuitque hoc e praecipuis quaeſtus opipari generibus, *venalitios aduehere.* Nauigatum itaque quaqua verſus ad barbarorum terras, in quibus aut bella geſta captiuorum copiam miniſtrarent, aut corporum vendendorum mos et vſus eſſet *g*).

Atque hic omnia ea mala extitere, quae nunc in Africa. Auaritiam regum ac principum lucri cupiditas acuere, reos ſeruituti addicere, mancipiorum familias alere, corpora furto excipere, ſexcentis modis libertati inſidiari. Quae ipſa narratio eorum fidem eleuare poteſt, qui cauſſam mangonii

 Nigrita-

g) Fuere quoque inter populos barbaros, qui praedationibus maritimis viuentes in littora eſcenſu facto per terras vagarentur plagii faciendi cauſſa. Ita ſub Caucaſum ad mare fuere Achaei, Zygii et Heniochi, qui ex praedatione tali viuerent. Iidem facile patiebantur corpora, quae ceperant, redimi atque etiam in altum euecti iis, qui ſuos amiſerant, ſignificabant praedam. Strabo XI. p. 759. A.

Digitized by Google

Nigritarum ita defendunt, vt, etiamſi Europaeorum aere illi non parentur, domi tamen in ſeruitutem eos detrudi dicant: recte vero; nec tamen adfutura eſſent aliunde tot auaritiae prouocandae irritamenta. Etſi fatendum eſt, ſi Europaei, quod humanitas ac diuina doctrina eos facere iubebat, leniter cum iis agerent, eosque bona diſciplina et inſtitutione impertirent, magno cum bono ſuo eos patria exulare dicendos eſſe videri.

Praecipuus mancipiorum mercatus fuit in inſula Delo: magnum et opulentum emporium appellat Strabo (XIV. p. 985. A.), quod vno die myriades mancipiorum recipere potuit et amandare; ita vt prouerbio quoque veniret: Delum appellere, exponere ac vendere, vnum idemque eſſe, vno eodemque momento negotium peragi: Tam facilis et expeditus erat mercatus! Exempli autem loco, quo conſtet quomodo hoc mercatus genus exerceri ſolitum fuerit, commemorabimus haec e Strabone (XIV, p. 984. 5.). Tryphon aduerſus Demetrium Nicatorem, qui inde ab anno ante C. N. 146. regnum Syriae occupauerat, nouas res molitus, Coraceſio, quod in confiniis Ciliciae verſus Pamphyliam ſitum erat oppidum, inſeſſo, Cilicibus et finitimis populis, vt in praedandi ſocietatem coirent, regumque Syriae. qui et ipſi bellis inteſtinis vexabantur, curas diſtinerent, et a conſiliis, quae perfidus homo agitabat, abducerent, auctor fuit. Praedationes praecipue mancipiorum factae; cum et exportatio facilis, et vſus eorum inter Romanos eſſet magnus. Pars in vicinam Pamphyliam exportata, et Sidae forum habitum

habitum (p. 980. A.); alia in alia loca, vnde, bello cum piratis profligato, ingens numerus liberatus. (Appian. Mithrid. c. 96.); at pleraque corpora in Delum auecta.

Omnino omni tempore e locis interioris Aſiae, inprimis Phrygiae et Cappadociae, maximus mancipiorum fuit prouentus; nomen fere Phrygum commune. Videtur enim regnaſſe in his terris, ad quas nunquam melioris vitae cultus penetrauit, barbarorum illud inſtitutum, vt ſeruorum loco haberentur a regibus omnes qui incolerent. Cauſſa forte haec fuit, quod ab aduenis in ditionem et ſeruitutem priſci incolae redacti fuerant; qui fere perpetuus omnium temporum fuit vſus, vt, occupatis per vim et iniuriam agris noui coloni eos, quos poſſeſſionibus ſuis non deiicerent, in ſeruitutem detruderent ſibique opus facere cogerent. Id egere Iones, qui Carum ſedes occupauerant, hoc ceteri Graeci coloni per omnem Aſiae et Ponti oram. (v. c. Mileſii Heraclea condita ap. Strab. XII. p. 817. A.) Adeo humanum genus in nulla re per omnia tempora et per omnes terras tantopere ſibi conuenit, ſuique ſimile eſt, quam inhumanitate et iniuria. Alienas terras et poſſeſſiones inuadere, poſſeſſores deturbare, necare, ſeruorum loco habere, non minus Hiſpani et Bataui, cum aliis Europae populis, quam ſuperioribus ſaeculis Franci, Saxones et ceteri barbari, et antiquis temporibus Graeci Romanique, in inſtitutis ſuis habuere. Eodem modo ac more eueniſſe videtur, vt Phrygum tanta multitudo in ſeruitiis olim haberetur; rara praeterea in his locis oppida; frequentior pecorum paſtio.

Digitized by Google

Cappadoces, Graecis olim Syri et Leucoſyri dicti *h*), primo Medis, tum Perſis paruerunt, in duas ſatrapias diuiſi; quarum alteram verſus Pontum Euxinum, ſub Ponti nomine, reges ab Achaemenidis oriundi tenuere; altera meridiem verſus ſatrapis ex iisdem Achaemenidis paruit. Igitur vi ſubacta gens ſeruorum loco habita, nec vllo ea vſa eſt imperio ad iuſtam formam deſcripto. Potentum fuiſſe opes praeualentes, ex eo colligas, quod, Antiocho victo, cum Romani foedus facerent, pacti illi narrantur *cum rege* Cappadocum *et cum populo* (Strab. XII, p. 815. A.) Sacerdotum inter eos magna fuere imperia, vt ad Comana, quorum terrae lato ambitu patentes Sacerdoti Deae Comanae fuere mancipatae; templo aderant ad ſex millia ſeruorum ſacrorum (ibid. p. 909. B.). Similes opes fuere aliorum templorum. Ex his apparet, plebis conditionem eam fuiſſe, vt ſeruitiorum loco haberetur a potentibus; ſuperſtitione cum tyrannide conſociante conſilia. Reges *i*), vt plerique barbarorum, inter inutilia terrae pondera fuere; vt Ariarathes omnium clariſſimus, qui Melae et Carmalae fluuiorum oſtia obturauit, vt lacus et inſulas et nauigationem piſcandi venandique cauſſa in mediis terris efficeret; mox magna eluuie facta vicina omnia inundata vaſtitie foedata ſunt.

Cum

h) Λευκόσυροι Herod. I, 72. VII, 72. Strabo X. p. 817. B. XVI. pr. Ex nomine nihil argumentari licet; etenim diuerſae ſtirpis populi, qui Aſſyriorum, Medorum ac Perſarum imperio parebant, dicti Syri vel Aſſyrii. Probabile fit Phryges et Armenos communi ſtirpe fuiſſe oriundos. Ita quoque *Freret* (*Mem. de l'Acad. des Inſcr.* To. XIX. p. 35, 56.). Ex eadem Cappadoces. De regibus ex Achaemenidis add. Polyb. V, 43. pr.

i) Enumerati a *Fereto* in *Hiſt. de l'Acad. des Inſcr.* To. XIX. et a *Belley* in Comment. de Caeſarea ibid. To. XL.

Cum regia ſtirps defeciſſet: Romani permiſere Cappadocibus, vt ſuis legibus viuerent. At illi libertatem repudiarunt, regem ſibi dari poſtularunt. Mirati Romani eſſe homines, qui nec libertatis ſpecie erigerentur, regem ſibi creare permiſere *k*). Potuit hoc a populi ſtupore proficiſci; ſolet enim longa ſeruitute ſenſus quoque ita obtundi, vt vel oblatam libertatem reſpuant homines: tanto grtuiore piaculo eorum, qui ſua ipſorum immanitate et iniuria ad tantum ſtuporem detruſere ſuos populares; potuit tamen nec minus ſubeſſe cauſſa ſatis grauis: etenim ex impotenti potentum dominatione mala praeuiderunt multo grauiora, ſi rex non eſſet, qui iſtorum proteruiam contunderet; nihil enim eſt arrogantius, nihil impotentius optimatum dominatione; vt adeo inter Cappadoces illa aetate ea fere rerum facies eſſet, qualem ex feudorum prauo more et vitio inter reges ac vaſallos enatam nouimus.

Quod de conditione Cappadocum ſuſpicati ſumus, firmatur verſu Horatiano: *Mancipiis locuples,*

I 5 *eget*

k) Iuſtin. XXXVIII, 2. extr. Strab. p. 815. A. Credas forte Romanos iuſtos et magnanimos ſatis fuiſſe, vt libertatis, quam ipſi ſibi ſolis debitam fato autumabant, vni ſaltem populo relinquerent. At enim ſi ita ſtatuas, multum te falli intelligas. Cappadociam, ſibi finitimam, occupauerat Mithridates; cuius opibus inuidentes Romani minis adegerunt regem ex ea decedere et filium ei praefectum cum Gordio rectore ei addito euocare. Cum Romani Cappadociam praeſidiis tenere et parum vtile et arduum eſſe viderent: libertatem populo obtulerunt. At Cappadoces, ſaltem qui a Mithridatis partibus ſtabant, Gordium regem ſibi orauerant; interceſſerunt Romani, quia ille Mithridatis amicus erat. Conſtitutus tandem illis a Romanis rex Ariobazanes. Haec diſcas e Iuſtino XXXVIII, 5, 6—9. coll. 1. 2.

Digitized by Google

eget aeris Cappadocum rex: vt mancipiis locuples hactenus dicatur, quod magnos ipſe ſeruorum greges aluit *l*); quos in agris habebat, et ex quorum mercatu quaeſtum faciebat; eodem modo quo noſtris adhuc temporibus in nonnullis imperiis ruſticorum capita numerari et vendi aut muneri dari ſolent. Cappadocum itaque rex reditus alios, quam venalitiorum capita, non habuit, ideo nec numos, niſi quos eorum mercatu paraſſet.

Verum iam dudum verendum eſſe video, ne quis veſtrum, Commilitones, notum illud, nihil ad Bacchum, nobis acclamet. Recte vero, non enim ad haec commentanda deſcendimus, tanquam legati ſine mandatis. Accedendum igitur eſt ad id, cuius cauſſa fabellam exorſi eramus, ad detinendos vos, dum pompa paratur, et noui Prorectoris inſignia promuntur, quibus veſtitus et decoratus procedat Vir Experientiſſimus, Collega amantiſſimus,

IO. ANDREAS MVRRAY D.

cuius amor reip. academicae, religioſa ac diligens diſciplina, rectique ac iuſti conſtans cura et obſervantia ſpem facit iucundam, ſemeſtre hoc, quod nunc ingredi-

l) At ex Appian. (Mithrid. ſ. 78.) minus bene probabat *Belley* in Cappadocia tantam mancipiorum multitudinem fuiſſe, vt quaternis drachmis venirent. Nam de Ponto eo loco agitur, quem Lucullus ingreſſus praedam opiparam egit, quod regio omnibus rebus affluens et bello diu intacta fuerat: cf. Plutarch. in Lucullo p. 499 F. Non raro autem magna vilitas mancipiorum incidit, quoties in opulento populo, praeda opima congeſta, ſub corona capti venirent. Praeter capita enim libera numeroſae familiae ipſis cum heris in poteſtatem venerunt.

Digitized by Google

ingredimur, vt diſciplinae ſeueritate, ita tranquillitate ac proſpero rerum noſtrarum curſu, imperturbate vno eodemque tenore, quo ſuperius, eſſe proceſſurum. Faxit deus ac fortunet pia vota, quae et depoſito et ſuſcepto magiſtratu academico publice nuncupabuntur. Orationem habebit *de ambigua magnetiſmi ſic dicti animalis laude* nouis inſignibus ornatus Prorector. Cui vt auditione ſtudio ac beneuolentia fauentes adſitis, ab omnibus, qui ſacra noſtra frequentatis, ita flagitamus, vt pro amoris et obſequii pignore hoc ipſum ſimus habituri. Ceterum tacitis votis precamur, vt Principes Magnae Britanniae Sereniſſimi Regii ſanguinis ſollenne hoc ſua praeſentia decoratum eſſe velint. Ita bono cum deo principii boni bonus erit exitus. PP. in alma Georgia Auguſta Kal. Iuliis cIↃ IↃ CCLXXXIX.

IX.

Digitized by Google

IX.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. ANDR. MVRRAY D.
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
LII
IN A. D. XVII. SEPTEMBR. CIↃIↃCCLXXXIX.
CELEBRANDA
INDICIT

Libertas populorum raro cum expectato ab iis fructu recuperata.

Sacra anniuerſaria Academiae noſtrae, cui fortuna propitia ſit! in craſtinum diem iterum celebranda indicimus, Ciues, vosque, vt bona vota pro ea pie ac religioſe faciatis, adhortamur, nobis autem, hoc vtique die mentibus pietatis ſenſu contactis vota, quorum damnatos nos videmus, perſoluentibus, alia pro perpetua reip. noſtrae proſperitate ſuſcipientibus, vt faueatis, rogamus. Siue enim faciem temporum, huiusque ipſius anni decurſum, cogitatione metimur, ſiue, inter caſus et incerta fortunae quo res noſtrae ſint loco, reputamus: habemus vtique, quo pacem caeleſtium votis precibusque expoſcamus.

Digitized by Google

mus. Sunt enim res Europae eo in loco, vt tanquam collectarum vndique nubium procellas ac turbines erupturos eſſe facile proſpiciamus; litterarum autem ſtudiis per ipſa temporum, hominum, ſtudiorumque vitia magnam aut medelam eſſe afferendam aut lentam ac funeſtam tabem eſſe metuendam intelligamus. Res enim litteraria per Germaniam in eum locum adducta eſt, vt, praeteritis cum praeſentibus rebus comparatis, haud facile aſſequi liceat, quomodo, in communi hoc hominum ſtudio reuocandi litteras ad artem mercandi et quaeſtum quocunque modo inde faciendi, meliores ac ſeueriores litterae, nullo aut exiguo iis propoſito praemio, diu ſuperſtites eſſe poſſint. Detracto enim bonis litteris honore ſuo, ingeniisque ab ea gloriola, qua ingenuae et erectae mentes ad arduarum rerum ſtudia inflammari poſſunt, ad lucelli cupiditatem depreſſis et abiectis, cum viri litterati aut vnum id agunt, vt opimas librariorum mercedes aucupentur, aut vt ipſi officinam ac fabricam exerceant, et merces ſeu ſuas ſeu aliorum optimis conditionibus in forum protrudant, aut, vt alienorum librorum recenſibus vel praeconiis ipſi non tam fama ſibi parta, quam aliorum labefactata, inclareſcant, non tam litterariis copiis, quam lucello in crumenam demiſſo diteſcant, adeoque operas ſuas tanquam ad haſtam aliis locent, quid tandem de litteris futurum putabimus! Nouae quotidie excogitantur artes ad accendenda emtorum ſtudia. Venum, tanquam inter res promercales, apponuntur virorum doctorum operae, ſtudia, ſpes, odia, vota, laudes, iniuriae. Annon omnem generoſum ſpiritum extingui neceſſe eſt? Mirabimurne iuniorum

iuniorum ſtudia refrigeſcere, operam nulli diſciplinae niſi perfunctorie et aliud agendo praeſtari? Quid? quod ipſi vident, modico pretio ea a ſe parari poſſe, vnde alii quaeſtum faciunt. Itaque diariis et vulgaribus libellis euoluendis bonas horas conſumunt, multarumque rerum notitias ſummis labiis delibant, franguntque leuitate deſultoria animorum vires, quibus intentis ad ſeueriora ſtudia applicandae mentes erant. Quod itaque iam ante per corruptam ſcholarum diſciplinam, cui nulla ſalutaris manus medelam afferre dignata eſt, et per cruda puerorum ſtudia gliſcebat malum, nunc nouo fomite ſubiecto, tanquam exitioſa peſtis, lenta tabe et contagione exedit ſana omnia et exulcerat; quo fit, vt in litteris noſtra aetate tam late per omnes ordines ſparſis, quoties homo vere et accurate eruditus muneri paullo grauiori quaeritur, locum habeat vulgatum illud poetae, vt ſint vix tot numero quot ſunt Nili oſtia. In hac itaque rei litterariae conditione gratulandum eſt academiae, in qua ſeueriorum ſtudiorum veſtigia adhuc ſuperſunt ſi non manifeſta ac crebra, ſaltem aliqua nec prorſus obſcura, resque habenda digna ſatis, pro qua et gratiae reddantur numini ſummo et fiant ſupplicationes ſollennes. Facient hoc viri diſerti, ad priſtinam litterarum partim copiam ac varietatem, partim diligentiam et ſubtilitatem facti et expoliti. Sunt enim his ipſis ſollennibus ſummi academici conferendi honores candidatis aliquot doctiſſimis; a Decano quidem Ordinis medici, HENR. AVG. WRISBERG D. oratione praemiſſa „*de reuolutione Gallica, principum ac procerum Europae ſtudium et attentionem ſummopere efflagitante*,, quatuor Candidatis digniſſimis

Ge.

Ge. Chph. Conradi, Hannouerano, Io. Bovtin, Hamburg., Iac. Frid. Wiebers, Vilna Polono, et Ge. Chph. Siebold, Wirceburgenſi; huic quidem ex parentis, viri praeſtantiſſimi, de vniuerſitate Wirceburgenſi ſtudiisque medicis egregie promeriti, praeſentia nouus honor, nouusque ſollennium ſplendor, accreſcet. A Decano vero Ordinis philoſophici, IO. CHRISTOPHORO GATTERERO, praefato nonnulla, *quibus comparentur ritus conferendorum honorum academicorum priſci, quales Pariſiis vigebant, cum his qui nunc ſalubriores recepti ſunt*, conferentur honores binis candidatis digniſſimis: Torkillo Baden et Benedicto Bendtsen, vtrique Hafnienſi. Epilogo habito perorabit is qui primo loco cum laude dictus eſt, Ge. Chph. Conradi. Quae ſollennia vt vere ſollennia ſint, Regiae ſtirpis PRINCIPES M. BRITANNIAE cum Rectoribus Iuuentutis ac Comitibus, vt ſacris noſtris intereſſe dignentur, obſequioſe precamur. Similibus precibus rogamus vos, Comites Illuſtriſſimi, Liberi Barones ac nobili proſapia progeniti, natalibusque et ingeniis quotquot eſtis ſeu ingenuis ſeu ſplendidis, alterum fortunae beneficio alterum naturae, ornati: ornate et vos ſollennia quae academiarum ritu ac more praecipua aliqua religione coli ſolent.

Poſſumus nunc, Ciues, praeconio noſtro ſic ſatis recte defuncti eſſe videri: quid enim praeterea iure a nobis poſtuletur? Quandoquidem tamen mos ac lex Academiae noſtrae hoc idem fert, vt, quemadmodum ſollennium expectatione in circulis adſtare et in veſtibulo ſeu propylaeo confabulari ſolent

otioſi,

otioſi, mox audiendi ac ſpectandi cauſſa aedes ingreſſuri, ita in charta hac publice perſcripta de re aliqua, qua publica ſtudia teneri poſſint, nonnulla diſputentur: agedum obſequamur mori maiorum, et, quandoquidem hoc tempore vix vllus fuit conſeſſus, vix vllus circulus, in quo non de magna illa rerum conuerſione ageretur, qua populus, merito ſuo inter praecipuas Europae gentes habendus, idem tamen ad hunc vsque diem ad arbitrium vnius, aut potius ad lubidinem eorum, quibus is ſeruiebat, regi ſolitus, repente ad ſublatæ libertatis ſigna conuolauit, ſermonis noſtri initia ab eadem fabula ducamus.

Iuuat inter haec cum nihil, quod non alias euenerit, euenire ſolere vulgare dictum ferat, iuuat, inquam, inquirere in ſimilia euenta ſuperiorum temporum, et, quandoquidem tutior eſt libertas linguae et confidentia in antiquioribus, videre, quae exempla talis ad libertatem conſpirantis populi conſenſus ſuppeditet antiquitas. Iam autem hic occurrunt plura quam quae breui confabulatione aut comprehendi aut exponi commode poſſint. Erunt itaque pleraque tantum digito monſtranda, alia leuiter attingenda, aut deſultorie transuolanda; etſi nec hoc a more confabulantium abhorrere dixeris.

Libertatis vox ac notio vti per omnia tempora ac populos pro diuerſis hominum ſtudiis ac cupiditatibus rerumque diuerſiſſimis conditionibus infinita cum varietate conſtitui ſolet, ita eam maxime pro formulae ac legis, in quam populus conuenit, natura et ratione diuerſam vim habere neceſſe eſt. Recuperata itaque libertas populi alio modo dicetur in imperio

Digitized by Google

imperio ac regno, aliter in rep. ac ciuitate libera. Inter haec vnum eſt, quod per omnia fere genera obtinuit, quodque vix longum ſermonem deſideret, *libertate a populis, qui ea exciderant, recuperata raro magnum fructum ad eos rediiſſe; fructus plerumque inter paucos ſubſtitiſſe, turbam reliquam a priſco domino vexari ac conculcari ſolitam haud facile meliorem ſortem ex noua reip. conſtituendae formula eſſe expertam.* Faciamus initium ab eo gerendarum rerum genere, a quo genus humanum primo proceſſiſſe videri debet; in eius enim infantia quid expeditius videri debuit, quam *vt, veluti familia patrem familias et herum, ita populus regem acciperet?*

Cum igitur ab initio rerum ſumma delata eſſet vni, mature intelligi debuit, etiamſi ambitio id et cupiditas non ſuaſiſſet, aduerſus aliorum ſeu impetum ſeu inſidias opus eſſe maioribus, quam ii haberent, copiis et opibus. Ad quas parandas, legitimis artibus contemtis, vi et iniuria in alios graſſati reges, modo aliis populis exciſis, aut bonis ſuis ſpoliatis, modo iis in ditionem redactis et ſeruire iuſſis, vt eorum operis ipſi vterentur, creſcere maluerunt.

Nihil enim facile eſt, quod, etſi apertiſſimum et ad intelligendum promtiſſimum, difficilius tamen perſuadeas hominibus, quam *ſua ipſorum induſtria et prudentia* opes populorum parari augeri ac ſeruari; *cum aliorum iniuria* paratas opes, etiamſi ex vtraque India aduectae fuerint, nunquam eſſe aut diuturnas, aut vere fructuoſas, *cum luxuriem et auaritiam comites habeant,* exitioſiſſimas populorum peſtes. Atqui cum

inertia et ignauia, fucorum more, aliorum copiis paratis et congeſtis imminere, diteſcere ex alienis, viuere ex fructibus induſtriae et operae aliorum, perpetuus ac communis omnium barbarorum fuit et adhuc habetur mos et aſſuetudo. Neque populos Europae barbariem omnem depoſuiſſe ante dicemus, quam ex noſtra prudentia ciuili eliminata fuerit illa perſuaſio, primo, opes ſatis fructuoſas et regni robur prouiſum non videri, niſi prouinciarum copiis vacuefactis et in caput regni deuectis, prouincialibus autem deteriore loco habitis et ab acuenda induſtria intercluſis; tum, magnis imperiis id propoſitum eſſe debere, vt vicinorum res attenuent, eſſeque eum demum magnum regem ac potentem, qui, fraudibus dolisque omnia miſcendo, effuſis ad corrumpendos aliorum regum amicos et ſatellites, exhauſtisque ſuorum ciuium opibus, Europae factus ſit incendiarius. Quaerenda ſunt verae et tutae ac permanſurae potentiae ſemina et radices, incrementa et vires, *in interiori regni adminiſtratione emendanda ac perficienda.* Nullum autem adhuc fuit regnum, quod ad opes, quas naturae indulgentia, ingeniorum felicitas, adminiſtrationis prudentia ipſi oſtenderat, perueniret. At reges illi et populi vnum hunc per omnes fere aetates parandarum opum morem tenuerunt, vt, occupatis aliorum agris et iis, qui incolerent, ſuae ditioni ſubiectis, potentiam augere ſe putarent. In quo quantopere fallerentur, dudum ſapientes docuere; quibus tamen parum adhuc obtemperatum. Iam cum his aliorum ſubiugationibus indignitatem iugi ferendi, deſiderium ereptae *libertatis* eiusque *recuperandae ſtudium,* enaſci neceſſe fuit. Nec minus ad

Digitized by Google

ad libertatem adſpirarunt alii, qui iuſto quidem ac legitimo regi parebant, ſed crudelitate eius, auaritia ac libidine vexati et attriti. Tertio modo in libertatem ſe vindicare dictus populus, qui regem non ſuis ſuffragiis nec lege ac modis legitimis creatum, aut a ſtirpe, quae vi ac fraude regnum inuaſerat, oriundum, excluderet.

Videtis, quot diuerſis modis libertas a populis recuperata dicatur. In his tamen conatibus, tam praeclaris et immortali laude dignis, plerumque parum proſperum ſucceſſum habuere homines, cum fortuna vti et libertatem firmare neſcirent; quandoquidem nihil ſerius inter humanum genus inualeſcere ſolet quam recta iudicia de ſocietate ciuili recte conſtituenda. Seruatum hoc noſtrae aetati, vt, quod primum Graecia excoluerat, philoſophiae caput, non modo ſubtilius, verum etiam maiore cum ſimplicitate et perſpicuitate explicaretur. Faxit modo deus, vt in hoc capite interpretando a ſanis interpretandi regulis ne deflectant homines, ad noua quaeque attonitis mentibus ruentes! Quis non miretur, iura ciuilis ſocietatis, quae omnium prima cuique et populo et homini nota eſſe deberent, ita et dominationis artibus et ſuperſtitionum tenebris et longa ſeruitute eſſe obſcurata, vt vix noſtra tandem aetate ea publice ac palam profiteri liceret? Igitur antiquioribus aetatibus ii ipſi, qui ſeruitutis iugum a ſe remouerant, *ignorabant* plerumque, *quibus modis et praeſidiis libertatem inſtituerent ac ſtabilirent.*

Reſtituta fuerat Medis libertas, ab Arbace, vt probabile ſit, generoſo homine, permiſſumque vt

ſuis legibus vterentur; at illi malorum pertaeſi Deioci regnum deferre maluere: qui, vt potentiae firmamentum pararet, Ecbatanis conditis idem exſequutus eſt ſtulto conſilio, quod alii Aſiae reges, vt in vnum locum communitum magnam populi partem cogeret, quae facilius ſic in poteſtate retineri poſſet. (Herod. I, 98.) Nec minus alii populi fuere libertatis fructuum adeo ignari, vt, cum in libertate eſſent conſtituti, regibus vti mallent. Nolumus exemplum commemorare populi fortiſſimi, qui nuper leges regio imperio circumſcribendo ſcriptas et ſuſtulit et ſublatas mira cum voluptate vidit. Habebat ille forte, cur vnius regnum ferre mallet quam multorum, ſibi mutuo inuidentium. Sed in priſcis aetatibus praeter Medos, qui á rege regi mallent, fuere Capadoces; fuere Iudaei Palaeſtini; etſi hi, nouo exemplo, vt regum iniurias vlciſcerentur, non eos expulerunt, ſed in duo regna diſceſſerunt. Nihil etiamnum barbaris populis difficilius eſt ad aſſequendum animis, quam poſſe regiam poteſtatem legibus circumſcribi. Quid? quod nec illud tenent: ſi ſemel ceteris imperiis praetuleris regiam dominationem nullis legibus circumſcriptam, pendere omnia *a bona inſtitutione et diſciplina principis;* huic adeo primo loco eſſe proſpiciendum; publicam eſſe debere futuri regis educationem, non arbitrio parentum et aulicorum relinquendam: quando quidem ex ea non aulicorum, ſed reip. omnisque multitudinis ſalus et incolumitas apta et nexa eſt. Interdum religio aut mos aut optimatum priuata vtilitas aliquam moderationem ſiue ſuadet ſiue imponit; at explicitis ac bene deſcriptis legibus iura populorum obſepta

obſepta munire nemo facile in animum inducit. Ita nec illi, qui ab iniuſta dominatione ſe liberauerant, ſiue a victore impoſita ſiue a rege iuſto quidem ſed in dominationem duram vertente imperium, quomodo rebus vterentur, habebant, vt ſe aut in libertatem aſſererent aut regnandi libidinem certis legibus finirent. Nihil ante prouiſum; diuerſa ſtudia auctorum, diuerſae ordinum vtilitates, conſilia turbata aut rapta. Itaque nulla plerumque alia fuit fortuna, etiam ſi res proſpere ſucceſſiſſent, quam vt libertatis ſuae vindices nouo domino ſe ſubmitterent. Haec omnium fere populorum communis fuit ſors, communis calamitas, quod ne ſecundis quidem fortunae caſibus ſatis proluſerant et deliberatum mature conſtitutumque habebant, quaenam antiquis recta damnatis meliora ſubſtituerent. Imparatis plerumque animis ad rem maxime arduam acceſſerunt, tumentibusque per omne motuum et affectuum genus mentibus et ad noua rerum exordia attonitis, temere arripuere, quod fors, ac lubido, interdum paucorum fraus vel temeritas, obieciſſet. Itaque aut is, qui inſidiis tyrannum e medio ſuſtulerat, aut ex iis, qui miniſtri publicae voluntatis tyrannum regno exuerant, aliquis ceteris audacior regni frena capeſſiuit, aut externus dominus fuit regno inductus, aut ipſe populus nouum regem ſibi adſciuit. Cyrus nullis legibus, moribus tantummodo, finitam dominationem tenuerat; ita prauo Cambyſis ingenio ac lubidini reſiſti non potuit. A morte Smerdis Perſarum primores melius res ſuas conſtituere aggreſſi ſunt: at re diu deliberata non videbant quid certi ſtatuerent, ideoque regium imperium praetulere, *ſibi ipſis* certis

 conditio-

Digitized by Google

conditionibus *proſpiciendo, de populi iuribus nihil ſtatuendo* *). Ita nihil actum quam vt dominum nouum acciperent Perſae, nouum iugum priſtino mox grauius ſubirent. A Dario tamen Hyſtaſpis multa ſunt melius conſtituta, diuiſo quoque imperio in XX. prouincias, tributis et reditibus accurate deſcriptis. (Herod. III, 89.).

Secundum haec nemo miretur, *non niſi bellis ciuilibus eiusmodi libertatem parari*, hoc eſt ſpeciem eius oſtendi, mox meteori more repente euaneſcere; naſcique hinc incertam illam regum conditionem, viciſſitudines et mutationes regnorum, et translati ab vno in alterum, ab vna in alteram ſtirpem, imperii. Inde fit vt barbarorum hiſtoriae plerumque nihil aliud contineant, quam contentiones de regno, mutuas caedes, et furores ciuiles: etſi ſaepe in his libertatis vocabulo homines vſos eſſe videas. Nonnullarum gentium adeo nihil fere praeter dynaſtiarum alterius alteri ſuccedentium nomina ſuperſunt; de ipſa Aegypto ex priſcis aetatibus quid aliud ſupereſt memoriae traditum, quam dynaſtiarum ordines et nomina? Aut ſi locupletior rerum geſtarum memoria ſupereſt, nihil aliud memorari videas, quam bella geſta, populos ſubiugatos, rebellantes, iterum victos, deletos; prouincias iugum haud aequo animo tolerantes, temporum opportunitatem ſpeculantes, clade dominis inflicta ad arma ruentes, montium tuta ac munita occupantes, quae etiam in medio ſeruientium

*) Digna ſunt quae inſpiciantur, Herodoti III, 80 ſqq. Comprehenſa enim ſunt his capp. prima doctrinae de imperiorum formis diuerſis elementa.

tium libertatem interdum pepererunt populis, aut praeſidio fuere. Haec duo fere illa ſunt, quae totius Orientis et antiquam et recentem hiſtoriam conſtituunt: Adeo ignorarunt homines, vires et robur imperii cum regnantium et parentium proſperitate domi eſſe parandum, non aliunde petendum. Si ab initio tenuiſſent illa quae apud M. Tullium Scipio ſtatuebat: *vt gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria, ſic moderatori reip.* beata ciuium vita propoſita eſt, *vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. Huius enim operis, maximi inter homines atque optimi, illum eſſe effectorem volo.* Si haec tenere et ſequi maluiſſent, vix vlla vnquam facta eſſet aut fieri potuiſſet rerum et regnorum conuerſio. At cum illi non rationem ducem ſequi, ſed, qua parte brutorum naturam attingimus, cupiditatibus, affectibus, iris et lubidini animi, obtemperare ac ſeruire maluiſſent, aliae ex aliis inſequutae ſunt regnorum perturbationes et euerſiones.

Poſt Aſſyriorum, Medorum, Babyloniorum inter ſe colluctationes Perſae imperium obtinuerant; ab iisdem non minus, populis ac prouinciis ſubiugandis aut in ſeruitutem, quam exuerant, retrahendis, vires imperii conſumtae. Cum Graecorum dominationi per aliquod tempus Perſae ſubiecti fuiſſent, Parthi per Arſacem a Syriae regibus ſe liberant, ipſi ceteros ſibi ſubiiciunt; at Perſae, Parthorum dominatione habiti, iterum per Artaxerxem a iugo liberati, ipſi rerum potentes facti, Parthos cum ceteris in ſeruientium locum detrudunt. Per hunc temporum decurſum quot prouinciarum in

Digitized by Google

libertatem ſe vindicantium defectiones, calamitates, excidia! Fuere quidem Iones, qui innumeris malis attriti popularium ſuorum auxiliis et meliorum artium notitiis inſtructi libertatem conſequerentur. At quam ſaepe ab aliis tentata et ſucceſſu optato deſtituta re, defectionis, ſeditionis, ſcelerum ac facinorum nominibus impoſitis, in auctores ſuppliciis, cruciatibus et tormentis eſt ſaeuitum et ceteris grauius ſeruitutis iugum iniectum! Nullum tamen eſſe poteſt in rebus humanis ſpectaculum praeclarius, quam populi de libertate erepta contendentis, vt ſiue a domeſtico tyranno, ſiue ab externa vi ſe vindicet. Atque huius ſpectaculi exempla per omnes paſſim generis humani annales reperimus, alia clariora alia obſcuriora. Ipſi Aegyptii, pro imbelli vulgo gente habiti, cum a Cambyſe, tetra bellua, eſſent ſubiugati, ſtatim ſub Dario et hinc vsque ad extrema Perſarum tempora, per CL. annos vt libertatem recuperarent allaborarunt; quibus ipſis bellis cum vires eſſent exhauſtae, facilis praeda facta eſt Aegyptus Graecis Perſarum victoribus. Eſt enim ea magnorum fere imperiorum fortuna, vt, cum per bellorum inſaniam, ad vires opesque augendas ſcilicet, expilent exhauriantque viris copiisque prouincias ſuas, mox ſint praeda parata aliis qui eadem cum ſtultitia inhiant alienis, ipſi aliquando aliis noua praeda futuri.

Quam variis modis *ii populi, qui regio imperio obnoxii ſunt, ad libertatem adſpirare, libertatem recuperare* dicantur, vidimus. Eminet inter haec ratio, ſi magno imperio ſubiectae prouinciae libertatem hactenus recuperant,

cuperant, vt, iugo excuſſo et dominatione depulſa, reges ſuos ac principes certis legibus coercitos habeant: cuius generis exemplum Germaniae libertas exſtat.

Alio quam adhuc dictum eſt modo libertas aut vindicata aut recuperata dicitur *a populis ac ciuitatibus liberis*, aut populari ſtatu vtentibus aut magiſtratibus ex optimatibus creatis, ſi liberant ſe a domino externo, aut ſi quis e ciuibus exiſtit, qui ſummam rerum inuito aut non rogato populo capeſſiuit. Hi ſunt illi tyranni, quorum facinora, inſidias, atrocitates, et in eos coniurationes, iras, caedes, expulſiones, ſi ex veteris Graeciae annalibus expunxeris, magna hiſtoriarum pars ſublata videri debet: adeo indignum humanitate eſt, quod videas maiorem hiſtoriarum partem ſceleribus ac flagitiis paucorum abſolui. Nec aliter res ſe habet in iis, quae de Gallis, Germanis, aliisque populis, tradita habentur. Si, cum bellis, inſidias libertati populorum aut factas aut depulſas ſuſtuleris: ex omnis aeui hiſtoriis quam pauca reſtant memoriae mandata! Verum in his exponendis vt ſubſiſtamus, nemo expectet. Hoc tamen memoraſſe iuuabit, paratiores plerumque et inſtructiores ad eiusmodi auſa deueniſſe Graecos, ita vt prouiſa haberent, quae ad firmandam libertatem conſtituenda eſſent; etſi haud pauci generoſis auſis exciderunt; in quibus quis Agidis III. quis Cleomenis apud Spartanos ſortem non ingemiſcat? Quod vero in his populis ac ciuitatibus liberis, quae tamen plerumque tyrannis eiectis aut interfectis libertatem ipſae conſequutae erant, into-

lerabile putamus, eſt, *quod eaedem et olim in id incubuere et nunc id agunt, vt aliis liberis populis et ciuitatibus libertatem eripiant iugumque ipſis imponant.* Hoc flagitio nominis gloriam cantaminarunt Athenienſes, Lacedaemonii, Rhodii, Achaei, verbo omnes fere ciuitates liberae; hinc nata eſt perfida illa *ſociorum* appellatio, hinc bella Graeciae inteſtina, hinc perpetuae ſeditiones, defectiones et ſubiugationes. Nihil eſt in hoc, quo Graeci barbaris ſe praeſtitiſſe iactare queant. Etſi inter haec praeclarae virtutis exempla in libertate defendenda edita ſunt. Quis non exvltet magnis illis nominibus, quae vetus Graecia conſecrauit, Thraſybuli, Pelopidae, et ſimilibus auditis!

Videmus autem libertatem modo a ſingulis, modo a populi parte, modo a populo vniuerſo reſtitui. Syracuſis quidem cum ciues a ducibus in ordines deſcripti arma ſumſiſſent *), expulſo Thraſybulo, Hieronis fratre, libertas recuperata eſt. Status popularis per XL. annos perſtiterat, etſi variis vt probabile ſit caſibus iactatus, cum et Philiſtidem reginam per haec tempora numi arguant: tum per Dionyſios conſtituta tyrannis a Dione iterum ſublata, a Timoleonte Corinthio profligata eſt **). Etiam hoc memorabile, per talia tempora multas praeclaras leges ſcriptas eſſe, cum viderent homines, quae

*) v. Diod. XI, 67. 68. Ariſtot. de Rep. V, 10. p. 542 B. C. cf. Plut. de Orac. def. p. 403 C.

**) Eſt in his res, quae cum nupero Pariſiorum facto comparari poſſit, caſtellum tyranni ad praeconis edictum exciſum et ſolo aequatum. Plut. p. 246 E.

Digitized by Google

quae praeſidia noua libertas publica poſtularet *). Incredibile eſt, quod memorabimus, libertatem interdum reſtitutam eſſe per tyrannos: plebis ſcilicet effreni licentia per eos compreſſa. Factum hoc Sicyone per Cliſthenem (v. Ariſtot. de Rep. V, 12. p. 549. Plut. de ſera num. vind. p. 553 A.) Nec aliter iudicare licet de Piſiſtrati apud Athenienſes magiſtratu in tyrannidem verſo per factiones; poſtea tamen libertas reſtituta cum nouis legibus ſcriptis: optimo vtique libertatis et conſequendae et retinendae more et exemplo. Ita et apud Spartanos per Lycurgi leges libertas in ciuitatem eſt inducta; quam vt tanto magis ſtabiliret, nouo exemplo rex Theopompus de regia poteſtate tantum conceſſit, vt partem eius in Ephoros transferri ſineret.

Romani tandem, gens illa libertatis amore nobiliſſima, primo quantopere ſibi hoc libertatis vocabulo illudi paſſi ſunt! vt ſaepe non modo cum miratione, verum cum indignatione, interdum cum irriſione, in Liuio legas voces hominum modo ciues ſuos grauiſſima ſeruitute opprimentium, modo ſervitutem indignam tolerantium, vno tamen ore libertatem iactantium. Tum hoc ipſum nominis ludibrium, ſiue Patrum dominationem, ſiue plebis impotentiam per tot ſaecula apud animum reputes, quot calamitatibus, caedibus, ſeditionibus ac bellis propugnarunt! At illi ipſi libertatis tantopere amantes Romani *omnes alios populos in ſeruitutem detrudere* haud erubuerunt. Habemus ſane exempla reſtitutae populis libertatis, in Graecis, in Lyciis, et aliis per Aſiam

*) Videbis in Plutarchi Timoleonte et Diod. XVI, 70. 82.

Aſiam ciuitatibus; ſed factum id eum in modum, vt tanto maiorem humanitati iniuriam hoc ipſo inferrent, cum aut non ſatis validos ſe eſſe viderent ad iugum imponendum, aut imbecilliores ſeu viribus ſeu ingeniis ita in ſuas partes traherent, aut eos aduerſus potentes dominos concitarent, mox, vbi ipſi ſatis viribus valerent, praeter nominis vanitatem nihil ex libertate relinquerent *). Eadem cum nequitia et calliditate Graeci olim videri voluerant libertatem reſtituere ciuitatibus, Lacedaemonii quidem optimates, Athenienſes popularem principatum fouendo. Iisdem artibus pernicioſiſſimis graſſati ſunt reges Macedonum, qui Alexandri hereditatem occupauerant. Nouum factum ludibrium a Romanis in eo, vt modo adimerent libertatem modo concederent. Multo maior tamen iniuria cumulata in populos, cum *eos libertate vti neſcire* dicerent, quos in ſeruitutem detruſos *ipſi omni liberaliore ſenſu exuerant.*

At iidem Romani quid tandem eſt quo poſſint videri ipſi libertate melius, quam barbari, vſi eſſe? factionibus inter ſe et ſeditionibus agitati et diſtracti in bella ciuilia, et per haec in dominationem paucorum, tandem vnius, tanquam claſſico excitati, ruebant. Mox, cum in Caeſarem coniuratum eſſet, Brutus et ceteri Caeſaris percuſſores eodem modo quo barbari, quos ſupra memorauimus, peccarunt; nihil enim ante apud ſe ſatis conſtitutum habebant, Caeſare ſublato quomodo rebus vterentur. Porro verum

*) Hinc ſplendida illa in vrbibus Aſiae nomina *ελευθεριας*, *αυτονομιας*, *ſociarum ac foederatarum vrbium* nomina.

Digitized by Google

verum libertatis ſenſum nec in plebe inopia et deſidia depreſſa, nec in nobilibus, per auaritiam, luxuriem et inertiam fractis et abiectis eſſe poſſe, eadem Roma exemplo fuit: praedationum licentia et praemiorum ſpe inuitati iis, qui libertatem opprimere voluerant, promti ad omne ſcelerum miniſterium erant ſatellites; tum domino ſemel conſtituto mancipia viliſſima. Omnino Romani, cum ipſi aliquando ſub dominationem Caeſarum veniſſent, ſuo exemplo docuere, libertate amiſſa quam cito libertatis ſenſus interiret. Libertatis recuperandae facultas aliquoties ſe obtulerat; at nunquam videas Senatum temporibus recte vti. Sic Caio interemto, ſic Domitiano ſublato, ſic Commodo. Nunquam ne in deliberationem quidem venit, quibus legibus imperantium lubido coerceri ac circumſcribi poſſet; ne Tacito quidem a Senatu creato; at nugatores illi hoc vnum agere, vt honores nouos in imperatores conferrent (cf. Vopiſc. c. 9.). Ipſi loquaces illi conſiliarii Auguſti, Agrippa et Maecenas, cum is de imperio deponendo deliberaret, (apud Dionem lib. LII.) quanto melius illi conſilia *ſuper imperio legitimis finibus circumſcribendo* et aduerſus impotentiam cupiditatum ac lubidinum muniendo dediſſent!

Feliciores aliis ſunt illi populi, qui imperio ad quamcunque tandem formulam conſtituto, ſed circumſcripto illo, vtuntur, vt regnantium libido coercita ſit bonis legibus et inſtitutis, vtque meliora de re publica, ciuium ſalute, populi iuribus, per primores ſaltem ſparſa ſint ac vulgata iudicia. Atque

in

in hac felicitate nos quidem ita acquieſcemus, vt bonis ſaltem votis proſequamur alios, quos eo adhuc loco conſtitutos eſſe voluit Prouidentia, vt iis conſilia ineunda ſint, quomodo libertatem, hoc eſt, iuſtis finibus circumſcriptum ac legibus aequis firmatum imperium, quo ſe et ſuos tueri, cum dignitate viuere, digna ſe ſentire ac dicere poſſint, curis ac conſiliis, virtute et conſtantia ſua, conſequantur.

P. P. in Georgia Auguſta: d. XVI. Septembr. cIↃ IↃ CCLXXXIX.

Digitized by Google

X.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. ANDR. MVRRAY D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IO. CHRISTOPH. GATTERER D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSA
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS
IN A. D. II. IAN. CIↃ IↃ CCLXXXX.

Proluſionis loco:
Opum regni Macedonici auctarum, attritarum et euerſarum, cauſſae probabiles.

In cauſſis fortunae populorum in vtramque partem conſpicuae, Commilitones, declarandis ſolent fere homines in *nouiſſimis* ſeu caſibus ſeu conſiliis, virtutibus ac vitiis, ſubſiſtere, ab iisque ducere ſeu laudis ſeu reprehenſionis momenta. Qua in re plerumque eos falli neceſſe eſt. Exceptis enim ſubitis ac repentinis caſibus, regnorum maiores ſolito opes, aut

Digitized by Google

aut grauiora omni opinione excidia, et rerum conuerſiones, quibus ipſa reip. conditio et ſtatus commutatur, modo in ipſa rerum bona ſeu mala deſcriptione et conſtitutione, modo in deflexis ad deteriora inſtitutis, modo in eorum, qui remp. adminiſtrant, conſiliorum prauitate et ſtultitia, a multo inde tempore ſemina ſua habuere; quae, tanquam ſub ſolo latentia et radices agentia, mox propullulant et viribus inter ipſa incrementa auctis luxuriantur. Egregie falli dixeritis eum, qui Gallofrancorum ad nouas res ſpectantium ſtudia et commutationem rerum mirabilem nouiſſimis demum annis repente ſubnatam eſſe autumet, nec videat, iam in ipſis ſuperiorum regum temerariis conſiliis, cum partim bellis proterue ſuſceptis partim luxu et vana oſtentatione opes publicas effunderent, praeſtructos eſſe eorum, quae nunc eueniunt, tanquam primos aditus, et iamdudum machinas eſſe adactas regni fundamentis quatiendis et ſubruendis.

Corpora quantumuis vaſta, viribus ac ſuccis ſine intermiſſione ſubtractis, tandem corruere neceſſe eſt; nec vero ruinae cauſſa in nouiſſimo momento quaerenda. Animorum corporumque luxuria fractos populos dominâtionis iugum ſerius ocyus eſſe ſubituros, hancque dominationem, aliquando intolerabilem viſam, nouarum rerum ſtudio locum eſſe facturam, facile praeuideas. Nec aliter ſe res in magnorum imperiorum incrementis habet, quae vulgo, admiratione ac ſtupore percuſſi, ad mirabiles et occultas cauſſas referre homines ſolent. Dudum aderant maiorum opum cauſſae, perſpicacioribus haud

haud obſcurae intellectu, a ſitu, a temporibus, et ab vnius alteriusue viri, qui illis commode vti noviſſet, ingenio ac prudentia profectae. Nec tamen, niſi haec in vnum conuenerint, (ad fortunam id referre ſolemus) efficitur id, quod aut locorum aut temporum opportunitas aut virtus ſola ac per ſe promittere videri poterat. Quae quidem res vt exemplo aliquo aperte ac perſpicue a nobis declaretur, agite, Macedonum regnum ab origine vsque ad excidium oculis animisque per ſumma rerum capita perſequamur; ita conſtabit, neque in eius incrementis, neque in ſummo opum faſtigio, neque in afflicta eius fortuna, quicquam eſſe, quod magnopere mirari liceat. Nam cum locorum ſitus fuit is, vt, ſiue intra fines ſe continere reges ſiue maioribus imminere vellent, magnas haberent opportunitates; tum vero inciderunt tempora, quibus primo ad magnos auſus, tum ad praecipites caſus, ipſo rerum ordine ducerentur, nec vtrisque conſiliis defuere ingenia, illis quidem, magna et generoſa, his imbellia, vanitate et arrogantia inflata.

Terras quidem, quae Macedoniae regnum conſtituerunt, montium iugis tanquam vallatas ab externa vi natura ſua tutas eſſe crederes; ſin fines extendere vellent reges, ex altera parte Thracia vsque ad Pontum Euxinum et Iſtrum, Illyrico Epiroque adiecta, ex altera, per Theſſaliam ad Graeciam occupandam via facta, ingens eos diceres potuiſſe regnum condere, vtrumque mare dominatione habere, liberisque rerum commerciis et commeatibus ſummas opes ſibi ſuisque parare. Nec tamen haec

eo, quo expectares, modo euenere. Traiectus eſt factus in Aſiam, quam nec Macedonia imperio poterat retinere, aut, ſi retineret, ipſam eius imperii prouinciam fieri neceſſe erat. Mox illa diu, viris copiisque exhauſta, armisque eorum qui de imperio contenderant afflicta, reges ſuos habuit, qui intra priſtinos fere limites regnum tenuerunt *a*); verſis tamen conſiliis et opibus in Graeciam; dum a ceteris finibus barbaros auertere ſatis haberent. Nos quidem de his ita agemus, vt, dum pleraque ſatis nota leuiter attingimus, accuratius verſemur in iis quae ſunt minus obuia.

Sero Macedonum nomen claruiſſe nota res eſt, cauſſis quidem in aprico poſitis. Omnem Europae oram hanc littoralem ad orientem verſam inde ab Iſtro et Ponto Euxino vsque ad Peneum Theſſaliae ab initio tenuere Thraces *b*), vlterius quoque progreſſi nonnulli habitarunt Daulidem Phocidis, Terei ſcelere notam; et Atticam Thraces, qui cum Eumolpo venerant, poſſederunt. (Strab. VII. p. 494. C.). Conſederunt inter Thraces mox gentes Pelasgicae, in quibus fuere Paeones, qui occuparunt loca nomine Macedoniae aliquando ventura. In his fuit Emathia, in qua ſedes quaeſiuere Graeci Hellenici generis Argis profecti, adeoque Dores, ſeu Carano ſeu

a) Intelligas hoc ex loco Liuii XLV, 29. 30. vbi in quatuor regiones a Romanis victoribus Macedonia diuiditur.

b) Facem in multis praetulit docta ac ſubtilis commentatio *de Herodoti ac Thucydidis Thracia* Comm. I. II. III. Collegae noſtri coniunctiſſ., cui hoc ipſo die faſces academici praeferentur, *Io. Chriſt. Gatterer* in *Commentat. Soc. Tom. IV. V. VI.*

Digitized by Google

ſeu Perdicca, ſeu vtroque diuerſis temporibus duce, vtroque vtique a Temenidis, adeoque ab Hercule oriundo *c*); occupata eſt Edeſſa, mox Aegae dictae. Haec itaque prima ſedes ſtirpis Macedonicae, quae coaluit ex paucis colonis Graecis, cum barbaris, quos in ſuam poteſtatem redegerant. Reges itaque Hellenibus accenſeri et ab Heraclidis genus ducere videri volebant: etſi Macedones paſſim inter barbaros habiti ſunt *d*). Quae res, etſi per ſe parum memorabilis, magni vtique momenti ad futuram regum ac gentis virtutem fuit. Dum enim Graecis annumerari volebant, vt inter barbaros fortitudine et fama eminerent, annixi ſunt; cumque inſtitutis Graecis barbaros anteirent, meliora etiam vitae et virtutis praeſidia habuere; et reges ipſi, aemulati Graecorum facta et gloriam, ad magnas res gerendas incenſi, ingenia quoque artibus Graecorum et litteris expoliuerunt *e*).

Quibus rebus inter ceteros barbarorum reges partim inclareſcere, partim eorumdem ferociam Graecis artibus contundere eosque ſubiugare, Macedonibus contigit. Fuere enim multi per ea loca reguli, multique populi, qui et ipſi Macedoniae accenſebantur. Coloni quidem Argiui primo Pieribus et Bottiaeis partim eiectis, partim ſuae ditioni adiectis,

c) Iuſtin. VII, 1. Herod. VIII, 137 ſq. vbi et mythi Macedonum a maioribus accepti narrantur de ſtirpis auctoribus.
d) Cf. Herodot. V, 22. coll. IX, 45. VIII. extr.
e) Etiam Moloſſi Epiri aliquando Pyrrhum et Helenum reges habuiſſe prae ſe ferebant, regumque ſtirpem ab Aeacidis repetebant; quid quod et Lynceſtarum rex Arribaeus a Bacchiadis genus ducebat: Strab. VII. p. 503. A.

Digitized by Google

ieᶜtis, maritima loca occuparunt *f*); atque haec prima fuit regni ſedes; alias inde finitimas gentes in mediterraneis locis aut ſocias aut ſibi ſubiectas habuere *g*). Neceſſitas haec barbaros manu aut propulſandi aut domandi Argiuos ab initio ſtatim bellica virtute imbuerat; adeoque *Macedonibus* (his, puta, qui loca maritima incolebant Argis profecti) *aſſidua certamina cum Thracibus et Illyriis fuere; quorum armis, velut quotidiano exercitio, indurati, gloria bellicae laudis finitimos terrebant h*). Ita prolatis finibus, Edonis eiectis, Mygdoniam ad Axium, Eordis expulſis Eordiam, Almopis Almopiam, occuparant; alias quoque gentes in poteſtatem redegerant cum vrbe Anthemunte, Creſtonia, Biſaltia et magna Macedoniae (eius puta, quam alii barbari interioribus in locis

f) Itaque ab Herod. VI, 44. τὰ ἐντὸς Μακεδόνων ἔθνεα πάντα memorari potuere. Fuere in his *Bryges* ſeu Brigi, iidem qui mox Phryges, cum in Aſiam traieciſſent ex Europa: Herod. VII, 73. Ex iis fuere, qui haec loca tenebant, cum Argiui ad ea appellerent: ex iisque ſuperfuere, qui Mardonium in his locis copias habentem noctu oppreſſere (id. VII, 45.); mox iidem Xerxi copias praebuere (VII, 185.). Alii in Epiro memorantur a Strabone lib. VII. p. 502. inter populos Illyrios. Rex illis, ad quos Argiui peruenerant, fuit Midas, a nouis colonis pulſus (ap. Iuſtin. VII, 1. f.) et ab hac Midae regione, quae ſub Bermio monte erat, illi exorſi reliquam Macedoniam ſubegerunt.

g) Thucyd. II, 99. Adſtipulantur Iuſtini verba lib. VII, 1. ſ. 1-4. et ſ. 10. 11. 11. Quando autem Plinius IV, 10. l. 17. *Macedonia*, inquit, CL. *populorum*, *duobus incluta regibus — Emathia ante dicta*: de regni Macedoniae incrementis accipiendum eſt dictum.

h) Verba ſunt Iuſtini VII, 2, 6. Fuere in his bella cum Talantiis ab Argaeo geſta, quorum memoria ſeruata a Polyaeno IV, 1. alia ſub Aeropo infante; Iuſtin. VII, 2.

Digitized by Google

locis tenebant) parte (Thucyd. II, 99.). Vnde intelligitur Macedonas, futuros aliquando orbis terrarum victores, e multis barbarorum populis, Thracum inprimis et Pelasgorum, quibus Graecorum exigua pars acceſſerat, coaluiſſe, reges tamen a Dorico genere ortum habuiſſe. Ab eadem hac origine tenendum eſt ductam fuiſſe regni formam, cum populi libertate coniunctam regiam dignitatem, ſecundum inſtituta Dorica, interpoſitis plerumque principibus ſeu ſenatu; Ex iis fuit, quod apud Macedones in perduellionis iudiciis populi ſuffragiis ſententia lata dicitur; quo iure exercitus ſaltem ſunt vſi *i*); ipſi reges legibus circumſcripti; iidem hereditario iure ex eadem familia creati, etſi non ſemper maiore natu adſcito, ſed alio e liberis, qui ſuccederet, deſignato *ii*). Aderant regi purpurati, amici dicti, ad regis tamen, vt apparet, arbitrium lecti *k*); proxima dignitas iis qui cuſtodiam corporis haberent; inferior ſatellitum ordo, ex nobilibus tamen pueris: quod inſtitutum, quamdiu reges ipſi ſtrenue ſuarum rerum curam geſſere, eo valere debuit, vt, qui a pueris praeſto eſſent regibus, amore eorum tenerentur iisque virtute ſua innoteſcerent, parentes autem regibus tanquam pignore eſſent obſtricti; at,

L 3 ignauia

i) Curt. VII, 8, 25. grauior auctor Polyb. V, 27. v. Croph. Antiqq. Maced. I, 6. Alia iudicia a regibus ipſis habita, veterum populorum more parum probando.

ii) Reges tamen hereditario iure ita ſibi vindicarunt regnum, vt Antigonus, relicto puero Philippo, ſcripto ſingula conſtitueret: v. Polyb. IV, 87, 6. Ceterum Macedones obſequioſi erga reges ſuos. Ad hoc obſequium pertracti quoque Theſſali: Polyb. IV, 76, 2.

k) Iuſtin. XIII, 1, 11.

Digitized by Google

ignauia regum ſuccedente curis et laboribus, hoc idem inſtitutum aſſentatione aulica, luxu et mollitie, corrumpere debuit nobiles; quam rem vel noſtrorum ac ſuperiorum temporum mores in nobilibus regum aulae admotis docuere. Inter haec Macedonum ingenia per omne tempus ad bellica ſtudia conuerſa; corpora, etiam inter pacatas res, indurata curſu, lucta, venatione *l*); victus ac vitae ſimplicitas ſumma; bellica autem virtus primo loco habita *ll*).

Cum reges Macedonum iam aliquantum opum, finitimis barbaris ſeu ſubiugatis ſeu in ſocietatem pellectis, ſibi comparaſſent, ecce ex improuiſo externo imperio oppreſſi fuere. Inciderunt enim tempora, quibus Perſae, traiectu in Europam facto, primo vt in Scythiam incurrerent, tum vt Graecos armis peterent, Macedonibus iugum iniecerunt. Prudenter Amyntas temporibus cedendum ratus, Perſarum ſe imperio ſubmiſit; Alexander autem Amyntae f. Bubaris Satrapae affinitate tam bene in ſuam rem eſt vſus, idemque Xerxis voluntatem tam prudenter ſibi conciliauit, *vt, cum Graeciam veluti tempeſtas quaedam occupaſſet, inter Olympum Haemumque* (ſaltem ad extrema eius, Scomium forte) *montem totius regionis eum imperio donauerit*: (Iuſtin. VII, 4, 1.) Quae non

l) Laborum patientiſſimi Macedones. Polyb. V, 2, 5. 6.

ll) Quo etiam illud ſpectat quod apud eos olim legem viguiſſe Ariſtot. de Rep. VII, 2. narrat, vt, *qui in pugna nullum hoſtem occiderat, capiſtro ori iniecto incederet: περιεζῶσθαι τὴν Φορβειάν.* Pacis autem artibus litteriſque nunquam exculta fuere Macedonum ingenia; vnde illi, mirum in modum *ſuperſtitionibus* dediti, *ex aruſpicina, vaticiniis ominibusque* pendebant.

non ita accipienda, ac ſi tum primum haec loca in ditionem redegerint Macedones; verum Xerxis beneficio prolati ſunt per iſta loca regni fines. Excuſſo Perſarum iugo maturiora opum incrementa habituri fuiſſent Macedones, niſi peninſulam in trina promontoria excurrentem coloniis occupatam tenuiſſent Athenienſes: quod vt fieret, qua incuria aut neceſſitate adducti Macedonum reges permiſerint, non conſtat. Verum inhibuit et moram iniecit Macedonum conſiliis hoc, ſi quid aliud. Itaque Perdiccas, Athenienſes peninſulam inſidentes modo amicos modo infeſtos habens, per belli Peloponneſiaci tempora variis fortunae caſibus eſt iactatus, quos ex Thucydide cognoſcere licet. Ad extrema fortunae adductus, cum Sitalcen Odryſarum regem ſibi adiunxiſſent Athenienſes, arceſſitis Perdiccas Lacedaemoniis res ſuas reſtituit, etſi idem Lynceſtas, qui illo adhuc tempore ſuum regem, Arribaeum, habebant, coniunctis cum Braſida armis haud proſpero euentu aggreſſus eſt *m)*. Perdiccae ſucceſſor Archelaus, Euripidis aliorumque ingenioſorum hominum familiaritate nobilis, multa in regno melius conſtituit: *nam et multa loca muniuit, vias rectas ſtrauit, et cum alia ordinauit, tum etiam rem militarem equis, armis, et reliquo belli apparatu inſtruxit longe melius, quam ceteri omnes octo reges, qui eum anteceſſerant* (Thucyd. II, 100.). Eius mortem inſequuta ſunt bella ciuilia inter plures qui de regno contenderent; ita vt vix aſſequereris, quomodo ex tantis malis emerſura eſſet Macedonia. Enimuero in iis populis, quorum animi et corpora non omnino

 mollitie

m) Thucyd. IV. 83. 124 ſq.

Digitized by Google

mollitie et ignauia eneruata aut longa ſeruitute fracta et attrita ſunt, de ſalute reip. nunquam eſt deſperandum: ſi modo aut litterarum diſciplina aut naturae aliqua benignitas magni animi et ingenii virum in iſta tempora pararit. Per eadem ipſa tempora Alexander II. rebus Theſſaliae imminere coepit, bello aduerſus Alexandrum Pheraeum ſuſcepto, interceptis tamen conſiliis per Pelopidam Thebanum. Tandem Perdicca in pugna cum Illyriis caeſo Philippus, Amyntae f., Thebis obſes habitus et Epaminondae diſciplina innutritus, clam fuga facta regnum rapetiit. Graecorum ille litteris artibusque eruditus, eorumque arte et diſciplina militari, prudentia quoque ciuili, egregie imbutus, laudisque ac gloriae cupiditate incenſus, extemplo res Macedonum lapſas reſtituit, Macedones ab omni inde tempore bellis exercitos, diſciplina militari et phalange inducta, bello inuictos reddidit. Atque vtinam in his ille ſubſtitiſſet et ad interiora regni melius conſtituenda conſilia conuertiſſet! Verum vulgari regum more, qul opes ſuas ita creſcere putant ſi plures terras occupauerint, ad quas tuendas nouae opes copiaeque parandae, noua bella ſuſcipienda ſunt, quibus priſtinae quoque opes afflictae depereunt, neglectis interea et male adminiſtratis iis, quae iam poſſident *m*), hoc, inquam, more, Philippus, cum iam expectares, fore vt curas et conſilia ad melius conſtituendas res, ad colendum ſalubrius agrum, ad nauigationis ſtudia, ad alacritatem et induſtriam hominum

m) Haec eſt illa *auaritia*, quam toties veteres ſcriptores inter cauſſas afflictorum et euerſorum regnorum memorant.

Digitized by Google

hominum rerum commerciis incitandam, conuerteret, gloriae et potentiae extra Macedoniae fines ſtudere, Graeciae imminere, principatum affectare.

Iam ab initio, quod merito laudandum dixeris, fines regni firmauit; mox dilatauit barbarisque terrorem iniecit arma circumferendo ad Paeones et Illyrios, tum Amphipolin ſuam fecit in regni finibus haerentem. Crenides cum aurifodinis in Pangaeo monte occupauit, reditusque plus quam cIↄ talentis auxit. (Diod. XVI, 1-4. 8.). Ita iacta ſunt magnarum opum fundamenta. Atque regnum ſic haberi potuit ſatis validum, etiam ad barbarorum finitima loca tenentium impetus retundendos; nam circumſepta olim Macedonia terminis, montibus inde ab Olympo porrectis a meridie, et Creſtonia a ſeptentrione, ab oriente Dyſoro monte, mox ab Alexandro I. ad Strymonem fl. erat propagata *n*); et hactenus

L 5

n) Thucyd. II, 99. cum Iuſtin. VII, 4, 1. Adeoque vsque ad Alexandri I. tempora magna Paeoniae pars Macedonum erat facta, nimirum, Emathia, Deuriopus, Pelagonia, tum Mygdonia et Bottiaea (inter hanc et illam fines Axius faciebat: Herod. VII, 123.), Pieria et ab occidente Lynceſtae. A Theſſalia quidem *Olympius ingreſſus* in Macedoniam ducebat, quem ſub Medorum incurſationem in Graeciam cuſtodire conſtituerant Graeci, Theſſalis id ipſum ſuadentibus; mox tamen inde auocati, cum audiuiſſent alterum eſſe Theſſaliae ingreſſum per Perrhaebos ad Gonnos, quo etiam Medi deſcenderunt in Theſſaliam. Herodoti verba ſunt VII, 172. *δεῖ φυλάσσεσθαι τὴν ἐσβολὴν τὴν Ὀλυμπικὴν, vt omnis Theſſalia pariter et Graecia ſepta ſit a bello;* miſſae itaque copiae ad Tempe, *καὶ ἀπίκετο (ὁ στρατὸς) ἐς τὰ Τέμπεα, ἐς τὴν ἐσβολὴν, ἥπερ ἀπὸ Μακεδονίας τῆς κάτω ἐς Θεσσαλίαν φέρει παρὰ Πηνειὸν ποταμὸν, μεταξύ*

nus Macedones erant praeſidio Graeciae *nn*). Reſtabat Chalcidice peninſula Athenienſium dominatione oppreſſa, regni finibus ab hac parte imminens et a maritimo rerum vſu Philippum excludens. Ad hanc expugnandam, et inſidiantes rebus ſuis aduerſarios cum a peninſula tum ab inſulis adiacentibus *o*) ſemouendos, eum conſilia iniiſſe nemo miretur, nec, Demoſthenis clamoribus permotus, Philippi conatus incuſet. Hoc vero mirari licet, quod, cum ille expertus eſſet, quam infeſtae Athenienſium claſſes per omne tempus fuiſſent, nunquam tamen de nauibus faciendis cogitauit; etſi fatendum eſt Macedonum ingenia a ſtudiis maritimis fuiſſe aliena *oo*). At Philippus, ad alia, ſi non meliora, ſpecie tamen maiora

ξύ τε Ὀλύμπου τοῦ οὔρεος ἐόντα καὶ τῆς Ὄσσης. Tum Alexander Amyntae f. (c. 183.) docet eos conculcatum iri Perſarum multitudine. Acceſſit, ex Herodoti opinione, alia cauſſa, *ὡς ἐπύθοντο, καὶ ἄλλην ἐοῦσαν ἐσβολὴν κατὰ τὴν ἄνω Μακεδονίαν διὰ Περραιβῶν κατὰ Γόννον πόλιν· τῇπερ δὲ καὶ ἐσέβαλε ἡ στρατιὴ ἡ Ξέρξεω.* Diuiſio haec in *ſuperiorem* et *inferiorem* Macedoniam ad loca mediterranea et littoralem plagam ſpectabat. v. Thucyd. II, 99. Strab. VII. p. 503. B. 663. D.

nn) Vt bene Polybius docuit IX, 35. p. 166. To. III. et XVIII, 20, 9. To. IV. p. 83. Omnino Macedonum iniuriae in Graeciam et in eam beneficia expoſita ſunt in orationibus legatorum Aetolorum et Acarnanum ap. Polyb. IX, 28 ſq. p. 149 ſq.

o) De quibus v. Strab. IX. p. 667. C.

oo) Nullam rem maritimam Macedonum fuiſſe merito mireris; ſed auertit regum conſilia inſanum ſtudium inhiandi et inſidiandi Graeciae. Tentauit tamen rem, et Macedones faciles habuit Philippus II. Polyb. V, 2. Idem ſatis negotii ſe habere vidit, vt modo ad transportandum militem et apparatum bellicum in Italiam naues haberet V, 109.

Digitized by Google

maiora, conuerſus, et rebus Graeciae, quarum potior illa aetate fama et claritas erat, interueniens, regni opes ad ſtatum Graeciae labefactandum profudit; vt noſtra aetate Ruſſi, dum prouincias interiores, immenſis finibus patentes, viris opibusque exhauriunt, verſus Europae ſtatum curas et conſilia, arma et vires imperii dirigunt. Mira eum ſagacitate et prudentia haec eſſe exſequutum, nemo negabit *p*); nec minus tamen fortunae eum propitiae plurimum debuiſſe, exinde aeſtimare licet, quod a multis iam inde annis diſcordiis bellisque ciuilibus agitati Graeci belluarum more in mutuas caedes inſanis odiis ruentes *perire ipſi quam non perdere alios* malebant, deficientibusque iam viribus parata erant inſidianti praeda. Primo eum Aleuadarum iniuria in Theſſaliam pellexit, tum bellum ſacrum viam intra Graeciae penetralia patefecit, Athenienſium animos ac ſpiritus pugna ad Chaeroneam facta fregit; inde ad Propontidem armis verſis, etſi Perinthum et Byzantium fruſtra tentauerat, Scythas tamen et Triballos profligauit; iamiam conſilia belli Perſis inferendi capta; ipſe Graecorum imperator renuntiatus.

Quid in his ſequutus ſit rex, dominandi cupiditate et gloriae auiditate inſatiabili incenſus, in promtu eſt aſſequi. Nec minus tamen, (etſi erunt forte quibus noua haec minus placeat ſapientia in rebus, quas omnis aetas admirata eſt, eleuandis,) animis, vana rerum ſpecie non occaecatis, in aperto eſſe

p) Cf. de Philippi indole, virtutibus rebusque geſtis — Orationem Valckenarii per inciſa quidem, et minutatim, docte tamen ſcriptam.

Digitized by Google

eſſe potuit, Macedonum vtilitatibus tali bello parum proſpectum aut conſultum eſſe; praeuideri potuit, copiis virisque iri eam exhauſtum; ſi ſucceſſum res haberet, prouinciae loco Macedoniam nouo imperio futuram; quod etiam ſerius intellectum eſt Alexandri militibus, qui *plus amiſſum victoria, quam bello partum* bene intelligebant: (Curt. VI, 6, 9.) Vix tamen primis ſtatim cogitationibus ſiue a Philippo ſiue ab Alexandro defixum eſt Aſiae regnum; ſucceſſu ipſo conſiliorum audacia ad maiora proceſſit. Poterant quidem cauſſae praetexi ſatis ſpecioſae, quod res Perinthiorum et Byzantinorum opibus Perſarum ſuſtentatae metum faciebant, vt Perſis vlteriorem oram tenentibus, ſuperiora Thraciae vnquam ſatis recte conſtituere liceret Philippo. Nam quae alia, quibus ad vlciſcendas ſuperiorum temporum in Graeciam iniurias Philippus permotus eſſe fertur, memorari ſolent, vix digna arbitramur quae iterentur.

Quae temere ſuſcepta a Philippo diceres, ſumma cum prudentia, fortitudine et virtute, maiore tamen fortuna, fuerunt effecta ab Alexandro; cuius mirabilibus victoriis *maximum in terris* factum *Macedonum regnum nomenque.* Habuit ſane iſta, non probandis forte de cauſſis ſuſcepta, in Aſiam profectio, cum innumerorum quidem hominum, vrbium, prouinciarum, populorum cladibus coniunctas, vtilitates tamen ad totum genus humanum incredibiles. Huic enim Pellaei iuuenis temeritati debemus litterarum et philoſophiae facem, quae per terrarum orbem ſparſa praeluxit maiori huic luci, quam ſanctiore doctrina accenſam ſeriores aetates ad noſtra

vsque

Digitized by Google

vsque tempora viderunt. Quid tamen inde fructus ac proſperitatis ad Macedones peruenerit: agite videamus.

Primo iuuentus omnis et regni robur in Aſiam traductum partim ferro morboque abſumtum, partim laboribus aerumnisque attritum conſenuit: inter medias victorias imperata ſubinde et ſubmiſſa noua militum ſupplementa *q*); Mota quoque per Alexandri abſentiam arma a Thracibus, tum a Lacedaemoniis, Antipatri tamen conſiliis repreſſa. Enimvero morte Alexandri diſtracto in multa regna imperio, *dum ad ſe quisque rapiunt, lacerantes viribus,* quam miſerandam Macedonum fortunam fuiſſe putabimus! Cum Macedonia robur et momentum adderet rebus eius, qui illam teneret, alia ex aliis bella eam afflixere; aliae ex aliis victorum rapinae, vaſtationes, et expilationes: quibus malis omnibus caritura fuiſſet Macedonia, ſi continere ſe intra iuſti et ab omni parte firmati imperii fines, ſi ſuas ciuiumque opes firmare et locupletare maluiſſent Philippus et Alexander. Innumeris ad hunc modum calamitatibus per XL fere annos Macedonia attrita erat et afflicta, cum Gallorum incurſationes nouis cladibus eam, quippe viribus praeſidiisque exhauſtam, miſere vexatam et direptam affecere. Neque illa niſi inde ab Antigoni Gonatae temporibus eſt recreata; inprimis alterius Antigoni, qui Philippum in tutela habuit.

At etiam hi ad nominis gloriam pertinere putarunt, ſi Graeciae rebus ſe interponerent; quo facto

q) Curt. V, 1, 39 ſqq. VI, 6, 35. VII, 10, 11 ſq. IX, 3, 21,

facto perpetuis Macedones bellis ſunt attriti, modo ad ſocietatem Achaeorum pellecti, modo Aetolorum iniuriis prouocati; barbaris interea, inprimis ex Illyrico, finitima populantibus. Mirumne ſi bella haec continua per multas aetates abſumſere Macedones; vt, cum grauius diſcrimen poſtea inſtaret, magna iuniorum inopia eſſet (v. Liv. XXXIII, 3.)! Quanto ſatius, etiam ad futuros caſus, fuiſſet, interiora regni firmando, publicas priuatasque opes augendo, intra regni fines ſe continere! Vix vnquam munimenta, quibus natura Macedoniam ac Theſſaliam ſepſit, ſuperare, vix Aſiae manus cupidas iniicere auſuri fuiſſent Romani. Eadem aliena appetendi cupiditate, cum ſuis tamen ipſe rebus ſatis fidere non poſſet, in bellum cum Romanis pertractus Philippus *r*), crudelitate et perfidia ſociorum animis abalienatis, prauis conſiliis vſus, tum agendi tempora opportuna praetermiſit, tum, cum locorum opportunitate ſuadente bellum trahere et munitorum locorum oppugnatione Romanos atterere deberet, temere omnem belli fortunam vnius certaminis

r) Philippum rerum et fortunarum Romanarum non incurioſum eſſe, recte factum diceres; ſimulque hoc ipſum pro exemplo commemores, quo doceas non omnino omnes reges ac populos rei R. incrementa quo tandem procedere poſſent, non aduertiſſe, contra vero ea iam tum aliis regibus ac populis e longinquo etiam inieciſſe ſollicitudinem. Verum hoc reprehendas et obiurges, quod Philippus in animum admiſit, Romanis a Poeno attritis Italiam occupare et ſummam rerum capeſſere: id quod Polyb. teſtatur V, 101, 10. et ipſo foedere inter Annibalem et Philippum Liv. 23, 33. et foederis formula ap. Polyb. Ecl. VII, 11. intelligitur. Vana hac ſpe eum inflabat Demetrius Pharaeus propriae vtilitatis reſpectu c. 108, 5. 6.

Digitized by Google

minis dubiae aleae commiſit; itaque viribus vniuerſis fractis pacem a Romanis petere eſt coactus. Perſeus autem, non niſi ad ſcelera ſatis audax, tam incertis et fluctuantibus conſiliis bellum et ſuſcipere et trahere, rerum agendarum tempora manibus dimittere, auaritia ſtolida ſibi ipſi ſuppetias et oblata fortunae munera praecidere, aditus regni praeſidiis nudare, attonito ſimilis omnia agere, vt vix, quod cum eius inſipientia compares, habeas, niſi forte ignauiam, quod, pugna victus, hoſti ſe dedere quam morte occumbere maluit. Vnum eſt inter haec, quod, ſi quid aliud, arguit, quam parum apta magnis rebus gerendis illa tempora ipſique reges fuerint, quod, cum Philippi Amyntae et Alexandri tempora magnorum virorum prouentum memorabilem habuiſſent, hi nouiſſimi reges ne vnum quidem prudentem et ſtrenuum amicum ac belli ducem habuerunt; adeo aſſentatorum turba obſeſſi ipſi erant *s*): quae plerumque fortuna eſt regnorum ac regum ad extrema fatorum ruentium, vt, ſummo diſcrimine imminente, cum ciuilis militariſque prudentiae maior, quam vnquam alias, ſit neceſſitas, non tamen reperiantur in nobilitate, omnium rerum potente, qui vel ingenio, vel arte, vel rerum vſu, ſaltem tolerabili inter ceteros emineant. Ita ſtolida et veſana conſilia capiunt homines potentia et faſtu inflati, ſibique et regno et populo exitium maturant. Si

s) Liv. XLV, 32. — *Seruire regi humiliter, aliis ſuperbe imperare adſueti; praediuites alii, alii, quos fortuna non aequarent, his ſumtibus pares; regius omnibus victus veſtitusque; nulli ciuilis animus, neque legum, neque libertatis aequae patiens.* De Aula aliqua noſtrae aetatis agi putes.

Digitized by Google

Si rerum per tot aetatum decurſum ordinem ac ſeriem paullo intentius contemplamur, non temere dictum videbitur illud quod ab initio poſuimus, non minus florentis Macedonum fortunae quam labentis cauſſas in iis temporibus, quae anteceſſerant, eſſe quaerendas; et, quandoquidem ex virtute bellica omnis laus et gloria nominis expectabatur, non aliter fieri potuiſſe, quam vt per ipſas victorias fererentur cauſſae, quibus ſubruerentur tandemque euerterentur illae ipſae opes male partae, male dilapſae. Nec diſſimilis erit aut eſſe poterit rerum euentus per futuras aetates, niſi quando iudicia hominum eo erunt immutata, vt regibus maior inter populos gloria ex incolumitatis et felicitatis ciuium cura, et ex pacis (non quidem per inertiam, ſed per prudentia et ſalubria conſilia, in quam plurimos annos ſeruatae) ſtudio, proueniat, quam ex armis nouisque partis prouinciis, priſtinis copiis inter haec exhauſtis, parari poſſit. Forte hanc tanquam repoſitam aliquam ſapientiam futuris aetatibus ſeruauit diuina rerum mortalium prouidentia. Enimvero longius protracta eſt commentatio noſtra, quam pro opinione ac conſilii ratione. Quod itaque agendum ſupereſt, paucioribus exſequendum erit.

Exacto nunc ſemeſtri magiſtratu academico transferetur reip. academicae cura ad virum Illuſtrem, de academia, omninoque de litteris accurataque doctrina optime meritum,

IO. CHRISTOPHOR. GATTERER,

qui cum iam bis hoc magiſtratu functus ſui erga vos, Commilitones, amoris veſtrarumque rerum ſtudii praeclara

Digitized by Google

praeclara experimenta dederit, de voluntatibus veſtris ac ſtudiis quod dubitet non habet; manebitis ergo in officio, et, quantum per vos fieri poterit, incolumis erit ac florens reip. conditio. Quo ipſo veſtro officio adducti, permoti quoque exemplo ac ductu Principvm Sereniſſimorvm Magnae Britanniae, conſuetis frequentes ad ſollennia magiſtratus ineundi, ad audienda ſimul concepta ſub anni auſpicia bona vota pro republica, pro Rege ac Regina, et pro Regia ſtirpe. Faxit deus vt ea ſint rata.

P. P. in Georgia Auguſta prid. Kal. Ianuar. cIↄ Iↄ lxxxx.

Digitized by Google

XI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. CHPH. GATTERER
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV IVNII ANNI HVIVS CIↃIↃCCXC
REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI CIↃIↃCCXCI
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT
M. IVNIO CIↃIↃCCXC.

Diem egimus, Ciues, feſtum fauſtumque, IV. Iunii, natalem Regis noſtri Indulgentiſſimi, cuius celebrandi cauſſa vt conueniremus, effectum erat

erat alio Eius beneficio, cum praemia ab Eo conſtituta ſint ingeniorum et litterarum veſtrae, Ciues, virtuti et laudi, redeunte hoc die ſollenni, ab Ordinibus Vniuerſitatis noſtrae academicae diſtribuenda: quo ipſo Eius beneficio praeclaro quantopere pietas veſtra in Regem optimum inflammata, ſenſusque noſtri affectusque veritas in laetitia publice declaranda probata ac teſtata eſſe debeat, facile eſt ad iudicandum. Quae enim animi ſenſuum teſtificatio certiorem et manifeſtiorem fidem ſui faciat, quam cuius cauſſae a rei alicuius gratae ac iucundae fructu vel recordatione ſint repetitae? Atque vtinam Regi Indulgentiſſimo exultantium animorum gaudia coram teſtari liceret! Ita intellecturus Ille eſſet beneuolentiam ſe ſuam et ſtudium litterarum ornandarum non in ingratos et indignos contuliſſe. Nunc ex tacita beneficientiae in iuuentutem huius Academiae florentiſſimam et ipſas litteras fructuoſae conſcientia animum Eius iucunditate aliqua perfundi credere licet, quoties, quae certantium ſtudia, quae victorum merita, quae Ordinum iudicia fuerint, reſciuerit. Omnino enim, ſi qua felicitas regum ac principum memorari poteſt, quaerendam eam eſſe dicemus in eo, quod in quam plurimos poſſunt beneficia conferre, et quod a quam plurimis ſe coli et amari, iisque ſalutis ſuae et incolumitatis curam eſſe vident. Quod igitur felicitatis genus paterfamilias intra paucorum capitum numerum experitur, vt carum ſe iis eſſe, ab iis ſe diligi, eorum vota ac ſpes in ſe vno poſitas eſſe intelligat: hoc quanto vberius ſentiri neceſſe eſt ab eo, quem prouidentia diuina collocauit eo in loco, vt totius alicuius po-

puli, tanquam magnae familiae, parens ac pater patriae habeatur. *Amaris a nobis quia nos amas:* acclamari ſolitum eſt bonis principibus; et illud demum verum obſequium, ea vera pietas haberi poteſt, quae ab amore proficiſcitur; amor autem, niſi a iudicio virtutis et beneuolentiae proceſſerit, fruſtra ſimulatur et induitur; nec aulicorum et adulatorum calliditas eum ita mentitur, quin ipſos reges de eius veritate dubitare neceſſe ſit. Verum amorem illi tum demum agnituri eſſent, ſi priuatorum aedes et pauperum tuguria intrare poſſent! Idem ille amor, iuſtis de cauſſis conceptus, votorum et precum, quae pro ſalute et incolumitate regum publice ſuſcipi ſolent, fundamentum habendum eſt; et ea demum vota a numine aeterno exaudiri putabimus, quae hunc in modum concipiuntur, vt *amari regem a deo O. M. velimus ſic, quemadmodum ille nos amat**). Quis enim diuinae beneuolentiae et amoris locus eſſe poſſit in principe, qui nec reip. adminiſtrandae cura ac ſtudio rite teneatur, nec iuſtitia, beneuolentia et amore populi meruerit, vt et ipſe a populo ametur! Ipſum numen reſpuere conſentaneum eſt vota ac preces pro indignis factas; nec poteſt ſaluos et incolumes velle eos, quos tacitis diris et exſecrationibus deuouent illi, qui pro iis palam preces faciunt. Quid? quod amoris ac pietatis in deum O. M. cauſſa vix alia eſſe poteſt ſatis potens et efficax ad animos humanos, quam quod eius beneficiis ſumus prouocati! quod, quicquid gratum et iucundum eſt, eius bonitati ac benignitati debemus! hac cogitatione, hoc

*) Adumbrata ad ductum *Plinii* in Panegyr. Traiani, optimi Principis.

hoc ſenſu verus in numen amoris affectus, veriſſima pietas, excitatur ac ſtabilitur. Non enim inexplicabilis et infinita eius natura ſenſum hunc amoris in numen elicit, ſed bonorum innumerabilium ab eo in nos profectorum cogitatio et ſenſus, beneuolentia erga genus humanum et prouidentia; ad naturae enim noſtrae modulum, quicquid in his habetur, ſeſe refert. *Miramur* magna et excelſa; *amamus* ea, vnde fructum boni alicuius aut percipimus aut exſpectamus. Fruſtra pro principibus indicuntur vota publica ac preces, niſi ii virtutibus et beneficiis meruerint, vt a populo amentur.

Iam in beneficiis his, quibus ad pietatem et amorem ſui pellexit nos Regia munificentia, etiam haec ſunt: quod ſub Eius tutela terrae Brunſuicenſes pacatae et ab omni ſeu discordiae ciuilis ſeu belli externi metu intactae ſeruantur; quodque Muſarum haec ſedes tranquillitate tutoque rerum ſtatu et otio litterarum ſtudia et fouet et auget; quod *Regiam ſobolem* inter nos verſari, communibus ſtudiis teneri, ingeniorum cultu et corporum vigore ac robore efflorefcere videmus. Noua laetandi cauſſa hisce diebus acceſſit, quod Te, Sereniſſime Princeps, Avgvste Friderice, valetudine roborata ex itinere ad mitiores Italiae ſoles feliciter reducem vidimus, quodque nunc iucunda ſpes affulget, liberatos eſſe tandem nos a metu ac ſollicitudine, quae tanto grauior animis noſtris inſidebat, quanto maior Tui eſt caritas. Videtis, Ciues, cauſſas ſatis multas ac magnas, quibus huius diei laetitia et hilaritas tanquam fonte largo et ſcaturigine erumpere potuit

ac debuit. Adiungite nunc hoc ipſum, cuius cauſſa illo die conueneramus, quod ingeniis ac ſtudiis veſtris Regia munificentia propoſuerat *praemia hoc die perſoluenda ac diſtribuenda:* de quibus cum nunc nobis agendum ſit, quod bene eueniat, recitabimus primo loco *quaeſtiones ſuperiore anno in hunc diem propoſitas;* ſubiiciemusque Ordinum academicorum *iudicia de ſcriptis;* quae in certamen prodierunt.

Ordo Theologorum poſtulauerat:

> *Vt ex certa quantum fieri poſſet hiſtoria exponeretur, quid Diſciplina arcani, quae a ſecundo ad quartum fere ſeculum in coetibus chriſtianis adhibita creditur, ſibi voluerit? intra quos limites conſtiterit? quibus ex fontibus fluxerit, quidue lucri aut damni cognitio chriſtiana tum illorum tum ſequentium temporum ex illa ceperit?*

"Exhibitae ſunt Ordini commentationes ſeptem, ſed vna ex iſtis ne ad concurſum quidem admittenda, cuius auctor ſiue ignorantia legum certaminis, ſiue alio forte vel caſu vel errore deceptus in quaeſtionem ſuperiore anno propoſitam incidit, neque vlla temporis dudum praeterlapſi neque nouae quaeſtionis ratione habita, in illa veteri pertractanda vel ſera nimis vel tarda diligentia immoratus eſt. Senae igitur reſtabant, de quibus iudicium ferri poterat, hisce ſymbolis inſignitae;

I. *Deus prouidebit.*
II. *Humana fluunt.*
III. *Multa fiunt eodem, ſed aliter.*
IV. — Νικησας — καλον αεθλον
— *Φερει, χαιρων τε τοκευσιν κυδος οπαζει.* Hesiod.
V. *Palam contraria et ſuperuacua et ſtulta reprehendere nullius eſt artis.* Qvintil.
VI. — *ἡτε κρυψις ἡ μυστικη των ιερων σεμνοποιει το θειον.* Strabo.

In

In his nullam eſſe, quae laude ſua careat, plures autem varia laude dignas, laeti agnoſcimus. Quae *primo* loco recenſita eſt commentatio, auctorem prodit, non multa ſolum lectione, ſed aliquo etiam vſu in rebus hiſtoricis inueſtigandis iam ante inſtructum, quam ad tractandam quaeſtionem accederet. In *ſecunda* vero tam multa inſunt acute iudicata, felici diuinatione reperta, ac ſolerter etiam indagata, vt haud parum rei hiſtoricae in poſterum polliceri de auctore liceat, ſi ingenium, quo praeſtat, egregium vberior exercitatio ſubegerit, iudicium longior vſus limauerit, verborumque copiam, qua nimis adhuc abundat, rerum copia compreſſerit. Nec forte neceſſartum fuiſſet, *tertiam*, *quartam* et *ſextam* longe ab iſtis ſegregare, niſi nimium confuſa, iuſto ordine carens, atque incultior etiam oratio *tertiae* et *quintae*, *ſextae* autem nimium breuitatis ſtudium nocuiſſet. At vero, ne vel inter primam et ſecundam anceps diu haereret iudicium, *quarta* effecit commentatio, quae quippe omnia, quibus ſingulae alterae commendantur, ita habet coniuncta, vt ſimul naeuis reliquarum leuiſſime prematur. Naeuis vtique nonnullis haec etiam premitur. Diligentiſſimus auctor in conquirendis rebus ac diſpiciendis aliqua tamen praetermiſit, quae non parum lucis affundere quaeſtioni propoſitae poterant, quodque acumen in ſeligendis ac diſponendis affatim probauit, non ſemper in diſtinguendis locis ac temporibus adhibuit: id ipſum vero cum in reliquis quoque commentationibus, et magis etiam, deſideretur, in hac autem cultiori inſuper ſermonis elegantia, ſententiarum nitore, iudiciorumque in dubia quae-

ſtione modeſtia compenſetur, primum illi locum aſſignat, adeoque *praemium* decernit Ordo theologicus *commendationi verbis Heſiodi inſcriptae:*

— — Νικησας — καλον αεθλον
— Φερει, χαιρων τε τοκευσιν κυδος οπαζει.

Proximo tamen loco *acceſſiſſe* eas iudicat, quibus ſymbolae adſcriptae ſunt: *Deus prouidebit!* et: *Humana fluunt.*"

Euolutis ſchedis et explicitis pronuntiatus eſt victor praemioque eſt ornatus

Io. Lvdov. Schedivs, *Iaurino-Hungarus.* Proxime autem ad praemium ſe acceſſiſſe, declarauit Io. Remond, *Hanouienſis*, nunc Prof. extraord. idemque hiſtoriae eccleſiaſticae Profeſſor deſignatus Academiae Marburgenſis; et ſecundum eum Car. Gottl. Melch. Hermann, *Gedanenſis*, nunc iis, qui in Seminarii philologici Sodalitium recipientur, adſcriptus; quem ſuperiore anno philologicus Ordo acceſſiſſe ad palmam pronuntiauerat.

„Ad *Quaeſtionem* ab *Ordine Iuridico* propoſitam:

Obligatio liberorum ad facta parentum praeſtanda quibus principiis nitatur, quibusque limitibus ſit circumſcribenda:

quatuor commilitones in certamen deſcenderunt, quorum commentationes his inſignitae ſunt ſententiis:

I. *Facilius eſt apta diſſoluere, quam diſſipata connectere.* Cic.

II. *Dulce periculum eſt.* Horat.

III. *Parentes ſuos non amare impietas eſt, non agnoſcere inſania.* Seneca.

IV. *Fortia facta patrum gentis cunabula noſtrae.* Virgil.

Omnes

Omnes ac ſinguli harum ſcriptionum auctores ingenii ſui, ſuorum profectuum, et facultatis ſuae in pertractando aliquo legitimae doctrinae capite, ſpecimen ediderant et publica laude et praemio dignum. Neque tamen diu ambiguus haeſit Ordo iuridicus, cui ex iis praemium adiudicandum eſſet; cum commentatio *quarto* loco nominata, cui effatum Virgilii inſcriptum, ceteras omnes ſermonis concinnitate, et ſtudio ſubtilitateque in rebus exponendis longe ſuperaret.

Proxime ad hanc *accedere* iudicata eſt illa *tertio* loco nominata: *Parentes ſuos non amare* etc. Vtrique vero omnino poſtponendae erant reliquae commentationes duae. Licet enim in *ſecunda: dulce periculum eſt*, ingenium; in *prima* vero, *Facilius eſt apta diſſoluere* etc. induſtriam auctorum approbauerit Ordo Iureconſultorum, ideoque vtrumque accedere iudicauerit: neuter tamen horum ambitum et ſenſum quaeſtionis ſatis perſpexit; eaque potiſſimum pertractarunt, quae hoc loco rectius omittenda fuiſſent. „

Nomen inde eius, qui praemio ornatus eſt, recitatum:

Christoph. Carolvs Henr. de Kamptz,
Eques Megapolitanus.

Secundo autem loco a victore laudem meruere: Georg. Wiese, *Roſtochienſis*, tertiae commentationis auctor, qui tamen, id quod certaminis leges vetant, commentatione domi elaborata et ad nos miſſa ſerius ac nuper demum Academiam noſtram adierat; poſtque eum auctor ſecundae commentationis, Io. Car. Chr. Wackerhagen, *Hannoueranus.*

 Ad

Digitized by Google

Ad *Ordinem medicum*, a quo propoſita quaeſtio erat:

Vtrum conducat, characteres ſtirpium, qui non niſi microſcopii ope erui poſſunt, in diſcrimine earum conſtituendo admittere, an in iis notis acquieſcere, quas acies ſani et bene conſtituti oculi manifeſtat.

non niſi *vna* commentatio perlata eſt, cuius auctor procliuior viſus eſt ad proſcribendum quam magnopere commendandum microſcopii vſum hac in re; et propoſuit ſane ille ſpecimina multa ſtudii botanices haud vulgaris; verum in declarandis plerumque rebus a poſita quaeſtione alienis; verbi cauſſa in exponenda ſyſtematum butanices diuerſitate. Microſcopiorum vero commoda et incommoda in botanica leuiter tantum attigit. Atqui expectabatur explicatio eorum, quae in quaeſtione comprehenſa ſunt, ex principiis opticis, ſecundum notitiam accuratam microſcopii eiusque vſus, et explorationem ſubtiliorem plantarum et partium in iis oculo non niſi armato ad cognoſcendum difficilium, vt pilorum, glandularum, pappi ſeminum etc. absque nudo reſpectu ad plantas cryptogamicas; nec vacatura fuiſſet talis indagatio obſeruationibus diligentiae ac ſagacitati auctoris facile occurſuris. Hanc viam ſi iniiſſet, fieri non potuiſſet, quin aliquid lucraretur botanica in declarandis ſiue generibus ſiue ſpeciebus, et in conſtituendo diſcrimine inter cognitionem plantarum phyſiologicam et botanicam. Quorum omnium cum nulla habita ſit ratio ab auctore commentationis, moleſtum ſane eſt Ordini medico pronuntiare, haud eam dignam viſam eſſe, quae praemio condecoraretur.

Iuſſi

Iuſſi erant ab *Ordine Philoſophorum* ii, qui de praemio propoſito contendere vellent,

Comparare vnam vel alteram rempublicam noſtrae aetatis cum vna vel altera republica veteris Graeciae.

Oblata ſunt Ordini ſcripta tria: quorum *primum*, inſignitum dicto:

Alea iacta eſt,

Oligarchiam Spartanam cum Venetorum republica comparat. In *altera* cum verſu Homerico:

Ου μεν πως παντες βασιλευσομεν ενθαδ' Ἀχαιοι.
Ουκ αγαθη πολυκοιρανιη· εἱς κοιρανος εστω

comparatur reſp. Achaeorum cum democratia Abbatiſcellana inter Heluetios; et in *tertia* cum dicto:

In honeſto et vtili nihil nimium

reſp. Spartana cum rep. Coſaccorum Saporogorum confertur. Habet vnaquaeque harum commentationum ſuas laudes. Et *prima* quidem, quae in oligarchia Spartana cum rep. Veneta comparanda verſabatur, oratione, ſi cum ceteris comparares, probabiliter latina ſe commendauit, et in rep. Spartana exponenda antiquitatis ſtudiis ac litteris graecis aliquantum expolitum ingenium auctoris Ordini noſtro approbauit; in Veneta rep. vero accurate declaranda deſiderata eſt doctrina idonea. Contra hiſtoriae et priſcae et recentioris aetatis ſtudium eximium, lectionis copia, mentis ſagacitas, non minus in *ſecunda* commentatione quam in *tertia* deprehenſa eſt. Commendabat tamen ſe inprimis *commentatio tertia*, qua reſp. Spartanorum cum Coſaccorum rep. comparatur. Deſcripta docte et copioſe vtraque reſp. quoad formam et adminiſtrationem, leges et inſtituta; tum ingenioſe comparatio facta inter

vtramque

vtramque rempublicam, ita vt vtriusque natura reuocetur ad illud rerumpublicarum genus, quas *militares* appellamus; declarata hinc omnino earum natura ac diuerſitas, tum quid propoſitum ipſis ſit, quibusque inſtitutis ac legibus id conſequi ſe poſſe putent. In rerum diſpoſitione non caret arte haec commentatio; orationis forte puritatem, proprietatem et habitum, quem hiſtoricum ſcribendi genus ſibi poſtulat, deſiderare poſſis. In antiquis rebus exponendis ea fere via, qua multi alii, incedit, vt noſtri ſaeculi notiones, opiniones et inuenta, ad hiſtorias antiquas conſtituendas adhibeat, atque ad recentiorum aetatum ſubtilitatem iudicium de antiquis rebus faciat, interdum probabile, plerumque acutum, ſaepe vix admittendum ab iis, qui ex veterum ſctiptorum iudicio ac ſenſu pendent, nec, res priſcae quales eſſe potuerint, ſed quales illae fuerint, curent. Ita ille *reipublicae militaris* nomen ex noſtrorum hominum ſenſu definitum ad remp. Spartanam transtulit: quo facto multa ab eo in ea rep. aliter, quam ex veterum ſcriptorum auctoritate, conſtitui nemo mirabitur. Nec iudicium diuerſum ferre licet de *altera* commentatione, qua respubl. Achaeorum comparatur cum Abbatiscellenſi inter Heluetios: praemiſſa diſputatione de variis *ciuitatum foederatarum* generibus, conſtituitur notio ac doctrina de *ſyſtemate ciuitatum;* tum deſcriptione rerump. Aetolorum, Achaeorum, et democratiae Abbatiscellanae ſubiuncta, ſecundum ea, quae ita diſputata erant, pronuntiatur, remp. Achaeorum inter ſyſtema ciuitatum referri non poſſe, ſed pro democratia eſſe habendam, quae pluribus ex ciuitatibus

tatibus aequali inter ſe iure vtentibus coaluiſſet. Quae cum ita ſe haberent, vt nulla harum commentationum eſſet, quae non laude et commentatione digna videretur, ordo philoſophorum ita cenſuit ac decreuit, vt commentatio *tertio* loco memorata cum dicto: *in honeſto et vtili nihil nimium*, in qua comparatur resp. Spartanorum cum rep. Coſaccorum, praemio ornaretur; accedere autem ad praemium pronuntiaretur commentatio cum dicto: *Alea iacta eſt*, et poſt illam commentatio, qua democratia Abbatiscellana cum democratia Achaeorum comparatur.

Soluta ſcheda prodiit nomen victoris:

Christianvs Engel, *Leutſchovia - Hungarus.*

Quae *ſecundum* locum obtinuit, commentatio auctorem habuit Carol. Gottl. Melch. Hermann, *Gedanenſem*, qui idem, vt vidimus, altero a victore loco laudem a theologico Ordine abſtulerat; quae *tertium*, ingenio et induſtrae eiusdem Christiani Engel debetur, qui praemium principe commentatione abſtulerat: nouo laudis exemplo; memorabili illo etiam propterea, quod bini Hungari palma inſignes hoc anno e certamine diſceſſerunt.

Peracta ſic praeconii parte longe iucundiſſima: quid enim eſſe poteſt homini humanitatis ſenſu imbuto dulcius, quam aliorum virtuti ac merito laudem et praemium debitum tribui ſi videat! reſtat, vt *Quaeſtiones in annum futurum propoſitae* publice pronuntientur; quod antequam fiat, liceat de rerum ſumma nonnulla monere. Primo diligentius cauendum eſſe edicimus, ne commentationes onerentur rebus ac digreſſionibus ab argumento alienis, ſaltem haud

Digitized by Google

haud neceſſariis; ne ad nimis magnam molem ſcripta intumeſcant. Porro, cum multo plures initio accingere ſe ad certamen conſtet, quam mox in arenam prodire ſolent, vt adeo interdum praemia deferenda ſint commentationi, quae non ſuo merito ac laude digna ſit praemio, verum ea potiſſimum de cauſſa, quia ii, qui praemio digniores eſſe poterant, ab incepto deſtiterunt: quia, inquam, haec ita ſe habere ſolent, monemus et hortamur vos, Commilitones, ne hoc vno reſpectu et hac ſollicitudine, quod alios videtis ad eandem palmam properare, abſterreri vos a propoſito patiamini. Nam et propriae vtilitatis fructus ex tali ſcriptione, ingenii expolitione, ſtudii et laboris intentione, vnicuique manet integer; et, ſi non praemium, at laudem tamen ſeu iudicii et acuminis, ſeu doctrinae ac litterarum, ſeu rectae et elegantis orationis, ferre poſſunt plures; habet vero et haec laus ac commentatio, quod ingenuos et erectos animos delectare et ad maiora ducere poſſit. Notanda vtique et improbanda eſt, maxime in adoleſcente, omnis nimia confidentia; nec minus tamen vitio habenda diffidentia ſui, qua quis ad ignauiam et animi deiectionem deprimi ſe patitur. Audendum eſt: pro teſſera propoſitum eſſe debet omnibus, quorum ingenia diuinior vis inflammauit; non enim niſi audendo aut vires ſuas experiri poteſt aliquis aut ad magna et praeclara eniti ac peruenire. Verum recitandae ſunt Quaeſtiones in futurum annum propoſitae ad concertandum:

Ab ORDINE THEOLOGORVM:

Codex ſacer num eodem modo interpretandus eſt, quo reliquos antiquitatis libros interpretari ſolemus? Nam omnino,

Digitized by Google

omnino, vel ex parte tantum? Poſterius ſi obtinere videatur; quanam re differt haec interpretandi ratio ab illa, quae in explicandis antiquioris aeui ſcriptis adhibetur? Quaenam denique ſunt interpretandi difficultates N. T. libris propriae?

Satis nota quum illa ſint interpretandi praecepta; ab omnibus hac ſuper re excurſionibus erit abſtinendum. Eo diligentius autem et curatius vera Codicis S. natura et auctoritas determinari debet; cuncta paucis et idoneis exemplis illuſtranda ſunt; in omnibus ſummae breuitati ſtudendum.

Ab ORDINE IVRECONSVLTORVM:

Quaenam ſit differentia comitiorum imperii durante interregno et viuo imperatore?

Ab ORDINE MEDICORVM:

Quum in temperamentorum doctrina rite diiudicanda vel applicanda multa occurrant, quae ex ipſa fabrica corporis et ſtructura pendere videntur: quaeritur: 1. quae ſit vera corporum diuerſitas, ex qua hoc vel illud temperamentum deriuandum ſit? 2. an detur integra et plenaria ex vno in alterum commutatio et conuerſio? 3. quae ſint praecipuae et efficaciſſimae huius commutationis rationes tam phyſicae quam morales, tam in ſtatu ſano, quam in morboſo animaduertendae?

Ab ORDINE PHILOSOPHORVM:

Praemio ornabitur, qui optime commentatus fuerit de politia veteris vrbis Romae. Ne vero ſtudium eorum, qui illud ſibi exoptant, latius euagetur, quam oportuerit, ſatis eſto, *de iis rebus* diſſerere,

quae

Digitized by Google

quae ad vrbis ſecuritatem, tranquillitatem, commoditates atque ornamenta potiſſimum ſpectarunt.

Quaerenda erit materies huic argumento in libris Antiqq. Rom. de Aedilibus, Cenſoribus, Praefecto Vrbis, Praefecto Vigilum, Curatoribus etc. de viis, aquaeductibus, aedificiis publicis: quorum copiam ſuppeditabit *Fabricii* bibliographia antiquaria, et *Meuſel* V. C. Biblioth. hiſt. Vol. IV. P. II. Add. Intpp. ad ff. XLIII, tit. 6-16. XLVIII, 6 ſq. L, 10 et al.

Cum autem Regis noſtri liberalitate Ordini Philoſophorum impertitum ſit ius ac facultas praemium aliud extra ordinem pollicendi: propoſita eſt Commilitonum ſtudiis alia quaeſtio:

Deſcribatur Geographi Nubienſis Africa more inter Geographos frequentato, ita vt maria, lacus, fluuii, montes, regiones, populi, vrbes ab eo commemoratae accurate, quantum fieri poteſt, finiantur; vt ſoli natura, et aeris temperies, incolarum indoles, mores et inſtituta diligenter notentur; Aegypti tamen nulla ratione habita; et ſubiunctis ex aliis ſcriptoribus non niſi iis, ex quibus lucem aliquam foenerari poteſt Geographus Nubienſis.

Vt exemplarium Geographi Nubienſis copia ſtudiis veſtris ad manum ſit, curabitur.

His nunc praeconio publico pronuntiatis, veſtram rem agite, Commilitones, veſtraeque vtilitati conſulite: quae autem vtilitas propoſita eſſe poteſt vobis maior, quam ſi, praeter doctrinae et inſtitutionis diligentiam, habeatis exercitandi quoque et acuendi

Digitized by Google

acuendi ingenium experiundique eius naturam ac vires, opportunitates, laudis vero conſequendae et ſtudii inflammandi aculeos? Gratis itaque nobiscum mentibus Regiam liberalitatem adorate ac veneramini, et piis votis noſtris fauete. quibus Numen O. M. ſupplices precamur, vt et bona haec, quae Regis noſtri ac Principis voluntate, conſilio, auctoritate, in nos proficiſcuntur, nobis ſint perpetua, vtque horum bonorum, altero a Numine loco, auctor cumuletur omnibus bonis, copiis, laetis rerum euentibus inceptorumque publice priuatimque vtilium ſucceſſibus, quibus recreari eius animus poſſit. Vtinam reprimantur bellantium impetus, et bella minantium praecidantur conſilia, adducanturque res Europae ad eum ſtatum pacatum, quo interior quoque respublica emendari, et imperia bene conſtitui, libertasque publica cum priuata ciuium libertate, imperiorum maieſtas cum ſingulorum ciuium iuribus, opes ac ſplendor regnorum ſine ciuium exſpoliatione et inopia poſſit ſeruari: ſiquidem priuatorum opibus attritis, acciſis ac deperditis, fruſtra oſtentantur rei publicae opes in ingentes belli apparatus aut opipara ſollennium celebrandorum inſtrumenta profuſae. Haec demum videri debent vota bono et ſapiente homine digna; non illa, quae odia et irae aut ſtudia caeca et intempeſtiua, interdum furialia et nefaria, effundere ſolent. P. P. in Academia Georgia Auguſta. M. Iunio cIↃ IↃ ccxc.

XII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. CHRISTOPH. GATTERER
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
GOTHOFREDVM LESS D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSA
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS
IN A. D. II. IVLII cIↃ IↃ CCLXXXX.

Iacobi Bruce, clari per Abeſſiniam peregrinatoris, de primarum aetatum commerciis et nauigationibus in Indiam narratio propoſita et excuſſa.

Q. B. F. Q. S. reip. Academicae, Ciues, ſemeſtri hoc laetis ac florentibus rebus exacto, transferuntur craſtino die magiſtratus academici inſignia in domum Prorectoris deſignati

GOTHOFREDI LESS D.

viri venerabilis, diuinarum litterarum ſtudiique theologici in hac Academia antiſtitis, magiſtratu iam bis

bis geſto bene de vobis meriti; cui vt vos amorem, reuerentiam, pietatem veſtram, vt antea, approbetis, non tam rogandi et hortandi eſtis, quam monendi, vt in officio et affectu veſtro permaneatis, eiusque rei tanquam pignus frequentia veſtra detis, qua celebrabitis ſollenne hoc et pompam in templum academicum ducendam. Ornabunt eam, ſi precibus noſtris ſupplicibus locus fiet, Principes Magnae Britanniae Sereniſſimi, Regia proles, quam piis omnes affectibus proſequimur; eorumque exemplo, expectamus, vt nec vos dedignemini, Comites Illuſtriſſimi, caerimoniis noſtris intereſſe veſtraeque comitatis et humanitatis documentum officio hoc edere. Quod ſi easdem officii rationes et vos habere putabitis, Ciues, quotquot ſacra noſtra Muſarum colitis, omnes et vniuerſi: habere nos putabimus, cur de ſemeſtri, quod inſtat, et de rebus noſtris, quantum per veſtram fidem ac virtutem fieri poterit, florentibus, bene augurari liceat.

Secundum haec rite peracta, reſtat altera officii noſtri pars, Ciues, vt, edicto hoc propoſito, vobiscum agamus de re aliqua ad ſtudia communia ſpectante, qua quidem ſeu diſputatione aut commentatione, ſeu narratione haud per ſe inutili, addamus aliquod tanquam auctarium et operae noſtrae et inuitamentis litterarum variis ac multiplicibus, quibus prouocatur in hac Academia diligentia veſtra et auiditas diſcendi noſcendique ea quoque, quae vulgus ignorat, quodque ignorantiae proprium eſt, nec curat. Hoc enim maxime generoſus quisque animus inter ceteros eminet, quod inſatiabili diſcendi

audiendique cupiditate flagrat, aliis armentorum more proxima quaeque depaſcentibus, nec vlteriora, laetiora quamuis, pabula appetentibus.

Quod nobis cum agendum reſtet, Ciues, faciamus, quod confabulandi et familiariter diſſerendi mos ferre ſolet, vt ſermonum cauſſas ac ſemina ex iis, quae hominum nunc cum maxime in ore verſantur, petamus. Exiit, et his ipſis diebus in manus noſtras peruenit, per multos inde annos auide expectata, narratio *Iacobi Bruce a*) de itinere in Abeſſiniam facto, in quo multa narrantur noua ac mira, inque his haud pauca diligentius exploranda, antequam iis fidem habeas, inprimis cum auctor interdum de ſe lectori commendando magis quam de iis, quae ſcire velis, accurate exponendis ſollicitus eſſe videatur. Interpoſuit praeterea alia ad hiſtoriam Abeſſiniae pertinentia; interdum ad alia digreditur argumento affinia. Eſt in his locus de primis hominum originibus in iſtis Africae partibus et de nauigatione primitus ex his oris inſtituta: quem hic vobis, Ciues, redhibere placet, cum et multa, quae non iniucunda cognitu ſint, contineat, nec aut a ſtudiis veſtris, aut a loco et auctoritate virorum, qui magiſtratu alter decedit, alter magiſtratum init, ſint aliena, quin ipſorum litteris, doctrina et ſagacitate vel maxime ea res indigeat, vt, ſi quid veri forte inſit, tanquam auri ramentum ex arenis, eruatur.

India, inquit, tale ſolum coelumque a natura habet, vt corpora hominum ſint ſoluta et laxa, proventus

a) *Travels to diſcover the Source of the Nil* in the years 1768-1773. *By James Bruce of Kinnaird* Esq. F. R. S. 5 Voll. 4. v. *Gel. Anz.* St. 101.

Digitized by Google

ventus autem aromatum, inque his piperis, cuius ad corpora humido coelo languentia tanta vis eſt, tum ſerici ac goſſypii, mirabiles. Mature ab aliis populis, inprimis ſimili coelo vtentibus, appeti iſta coeperunt; inque his fuerunt Arabes, et ipſi prouentu ſuarum terrarum diuites, ture puta, et myrrha, tum colorum pigmentis et gummi, nec non balſamo. Per longum tamen temporis ſpatium ab India adeunda eos prohibere debuit ignoratio ventorum ſtatorum in his maris tractibus. Eadem difficultate laboraſſe videntur ii, qui oppoſitam iis oram Africae incolebant, etſi et ipſam ſuis copiis opulentam. Quo factum eſt, vt Indiae opes per continentem circa Aſiae fora et mercatus terreſtri itinere exportari neceſſe eſſet. Natae hinc, *Iacobo Bruce* auctore, Semiramidis diuitiae: quae mox defecere, cum illa Indiam, quae eas mitteret, bello petiiſſet; ſimili fraude inducti, vt ipſam diuitiarum ſcaturiginem ſuam facerent, armis ingreſſi ſunt Indiam Cyrus, Aethiopiam Cambyſes, Arabiam Aelius Gallus iuſſu Auguſti. Nulli tamen res ſucceſſit; quandoquidem violentia ac bello diuitiae ampliſſimae diſſipantur et exhauriuntur, colligi autem et amplificari non poſſunt, niſi pacis artibus, commerciis et nauigatione.

Interea, inquit, ex Africa nauigatio primordia ſua habuit: quod quidem factum eſt hoc modo. *Fama inter Abeſſinios tenet* (at vnde profecta, aut cui rei ſuperſtructa fuerit, haud addidit) Cuſhitas, quos ipſe appellat, nos Cuſchaeos dicimus, inde a diluvio Noachico per Aegyptum progreſſos loca adiiſſe Nubiae inter Nilum et Aſtaboram (nunc Atbara),

ingruentibusque mox pluuiis ſtatis terra aquarum eluuie late oppreſſa, ſpecus ſibi excidiſſe et pro domibus inhabitaſſe, in montibus ſecundum oram maris erythraei procurrentibus; pedetentim hinc progreſſos Auxumam condidiſſe, mox Meroen *b*); illam quidem in locis montanis, ne, in planitie degentes, per ſex menſium inundationem a crabronum genere *c*) his terris domeſtico infeſtarentur; hanc, vt extra fines pluuiarum tropicarum, quas vocant, ſedem certam haberent, vtque (addit hoc *Bruce*) ſiderum obſeruandorum ſtudio opportunitatem maiorem nanciſcerentur. A Meroe digreſſi, ſeu potius eo regreſſi, vnde ſeu ipſi ſeu maiores venerant, aliquando Aegypti fines inſederunt; et primo ſpecus, quorum ingens multitudo adhuc ſupereſt circa Thebas, tum ipſas Thebas condiderunt. Alia Cuſchaeorum pars, auſtrum verſus, maris erythraei oram occupauit vsque ad promontorium Aromata dictum, nunc Gardefan, in qua myrrha, thus et caſſia ſponte prouenit, et ab hoc oram Africae orientalem vsque ad Melindam: hic tandem regione ſtatorum imbrium *d*) a tergo relicta in montes metallis auri et argenti ditiſſimos inciderunt in regione Soſala. Omnia haec nullo, niſi ſe, auctore narrat *Iac. Bruce*.

Erant

b) Lat. 16. circa Gerri.

c) Dicto *Zimb:* deſcribitur T. I. p. 388 ſq. V. p. 188 ſ. nec effugii facultas et locus niſi in deſertis ſabuloſis Eſt porro ea locorum natura, vt montium iugum ab vtraque parte quaſi diuerſum clima conſtituat; dum enim per ſemeſtre tempus pluuium hibernum a montium oriente planitiem terrarum imbres inundant, occidentales terrae ſereno coelo et paſcuis laetis inuitant greges pecorum; quod contra ſe habet ſex menſibus anni ſequentibus p. 391.

d) Sub gr. 15. auſtr.

Digitized by Google

Erant nunc, pergit, in Cuſchaeorum manu omnia, quibus commercia cum Indis fieri poſſent quaeſtuoſa. Qui a Meroe Thebas proceſſerant, pro ſpeluncis exſtruxerant vrbes; artes et commoditates vitae inuenerant et excoluerant, vſu quoque cognoverant elementa aſtronomiae, coelo in Thebaide nullis vnquam nubibus obducto; obſeruationes has ordinabant, litteris et numerorum notis excogitatis, illi, qui ſemeſtribus pluuiis continebantur intra domos, hoc eſt ſpeluncas; tandem qui terras ad auſtrum vergentes habitabant, mercatui, aſtronomiae et ventorum naturae cognoſcendae ſtudio erant addicti. Mercibus tamen exportandis ipſi Cuſchaei haud vacabant; verum praeſto iis erat ad operas praeſtandas aliud hominum genus, *Phut* Hebraeis dictum, quod adhuc plane ignorabamus, vulgo tamen, quod *Bruce* ait, *paſtorum* nomine veniens, adhuc, inquit, ſuperſtes illud variis nominibus notiſſimo nomine *Berberi* appellatum, vnde Barbariae nomen natum; late enim illi per omnem Africam ſparſi, etiam per Aegyptum et inferiora eius loca. Nomen inter indigenas eſſe *So* vel *Suah*, h. e. paſtores; ex iisdem fuiſſe *Hycſos* vel *Agſos*, h. e. paſtores armatos, et *Agaſi*, h. e. nobiles, nunc *Agaazi*. Cum Cuſchaei nigro eſſent corpore, quos proprie Aethiopes dicimus aut Negros, ſeu Nigritas: *Paſtores* hi, Nomades verius dixeris, coma erant prolixa, ore haud diſſimiles Europaeis, colore fuſco et nigricante *). Inſederant hi Nomades, nam hac voce

N 4 melius

*) Hoc diſcrimen vnde notum habuerit, nunquam traditum meminimus. [Nec tamen ſibi conſtat in hoc auctor. cf. Tychſen mox laudandum p. 315.]

melius vtemur, quam Paſtorum, omnem oram ſinus Arabici et Oceani orientalis, qua patet illa vsque ad montes, quos ſupra diximus, ſecundum ſinum et mare procurrentes; iidem *Nomades* tenuere loca a montibus Abeſſiniae ad tropicum borealem pertingentia, adeoque Nubiam vulgo dictam, et Meroen, hoc eſt tractum, vulgo inſulam appellant, inter Nilum et Aſtaboram, nunc Atbara dictum; praeſtabant tamen ceteris ii, qui montes Habab *e*) inhabitabant, Agaazi, iique inde progreſſi occuparunt provinciam Tigre dictam, cuius caput Auxuma erat.

Iam hi Nomades, inquit, fuere, quorum opera vterentur Cuſchaei in nauigatione e mari rubro in Indiae peninſulam et ad littus orientale Africae, vnde aduectae merces exportatae ſunt partim ad partes Africae auſtrales et occidentales, camelorum ope, partim Thebas et alia loca Aegypti. Auctis hac commodata aliis opera opibus *Nomades* ſeu Paſtores Agaazi ex Aethiopia mox agreſſi ſunt Aegyptios: primo cum Salatis antiquas Thebas tum dictas euertit et primae Cuſchaeorum regum dynaſtiae, inde a Mene deductae, finem fecit; ipſe nouam exorſus *dynaſtiam Paſtorum*, quam deleuit Seſoſtris, qui idem alteras Thebas, ex aduerſo ſitas priſtinis, Dioſpolin proprio nomine dictam, vulgo tamen Thebas et ipſas appellatas et pro vna vrbe cum altera habitas, condidit *f*). Iterum irrupere Paſtores rege Sabacone, iterum-

e) Inter 16 fere et 20 gr.; inde a Suakem ad Maſuah littori praetextos.

f) Ab eodem Seſoſtride nauigationem in Indiam apertam aut potius reſtitutam tradit alio loco p. 368. Atqui Seſoſtridis

iterumque euerſae Thebae. Tertia eorum narratur in Aegyptum incurſatio, qua in Abarin incluſi mox deditione facta incolumes in Palaeſtinam abiiſſe feruntur *g*).

Recenſet *Bruce* alios Abeſſiniae incolas, inque his primo loco *Habeſh*, hoc eſt, *conuenas* dictos, quos Canaanitas eſſe ſtatuit, patriis ſedibus a Ioſua expulſos. Verum commenta haec fabulis iocularibus propiora, cum ceteris, quae ad ſolam Abeſſiniam ſpectant, nunc non attingimus. Propoſitum enim nobis eſt, tantum ea, quae ad communes gentium origines ſpectant, perſequi.

Iam Cuſchaeorum cladibus per Aegyptum modo memoratis interiiſſe pronuntiat vir clar. litteras et artes, cumque his commercia et fabricas priorum aetatum; tantam enim *Paſtorum*, quos tamen mercimoniis vacaſſe dixerat, fuiſſe immanitatem, vt excidiis et ruinis vbique ſaeuirent. Maxime id prima ſtatim Thebarum euerſione per Salatin eſſe effectum; eueniſſe quoque illo tempore, vt commerciorum et artium celebritas ab Aegyptiis transferretur ad Edomitas: quorum poſtea portubus, Elath et Eziongeber, occupatis nauigationem per ſinum Arabicum

N 5 inſtitue-

ſoſtridis expeditionem non vt rem vere geſtam, ſed pro hieroglypho ac mytho Solis decurſus, eſſe accipiendam multo magis probabile ſit.

g) Miris modis hic rerum et temporum rationes turbat Bruce. De antiquis hiſtoriis et chronologicis quaeſtionibus vix quicquam notum habere videtur vir ingenioſus praeter Newtoni commenta. Notae ſunt de Paſtoribus his inprimis e Manethone narrationes et virorum doctorum de iis diſputationes.

Digitized by Google

inſtituerunt Dauides et Solomon ad Ophir et Tarſis, hoc eſt ad Sofalae littora factam; vt vero non niſi triennio abſolui illa poſſet, eteſiarum rationes neceſſitatem fecere *h*). Excuſſo ſub Ioramo iugo Edomitae ſuos iterum reges habuere, niſi quod Uſias iterum Elath occupauit, quem portum Ahazo eripuit Rezin Syriae rex, quo ab Aſſyriis victo Elath quoque victori ceſſit.

Auerſa nunc eſt in Aſſyriam commerciorum cum Indis celebritas, commeantibus eo per Arabiam et Euphratem mercatoribus ex India et Africa. Inde diuitiae et opes Babylonis, eaque a Cyro capta, Perſarum: quem profectionem in Scythas nullo alio conſilio ſuſcepiſſe ſtatuit *Bruce*, quam vt Indiam, vnde tot tantasque rerum copias per mercatum afferri norat, ſubiugaret; hoc idem egiſſe Cambyſen, expeditione in Aegyptum et in Aethiopiam facta, vt auri metalla et commerciorum elementa in ſuam poteſtatem redigeret; feciſſe eundem in gratiam *Paſtorum*, qui Sabaeis religionibus addicti erant, hoc, vt templa et religiones Cuſchaeorum euerteret; mox tamen in ipſos *Paſtores*, miſſis ad Iouis Ammonis templum et ad vrbem Meroen copiis, arma vertiſſe. Prudentiore conſilio Darium claſſe ex Indo in ſinum Perſicum circumacta commercia reſtituiſſe. Tandem Alexandria condita: ad quam commeatus ex India, Arabia

h) Videnda haec copioſe expoſita p. 429 ſqq. Omittimus enim, tanquam a conſilio noſtro aliena, cum haec, tum quae de regina Saba Hieroſolymas profecta eſt commentatus.

Arabia et Aethiopia, tanquam in vnum alueum vndique confluxerunt *i*).

Aureum vobis narraſſe videmur ſomnium, Commilitones; omiſimus tamen multa, quae ſuauiter ſtertentes expergefacere potuiſſent; adeo mira ac noua interiecta ſunt alia, turbato plerumque narrationis ordine. Nimirum omnino boni ſcriptoris partes parum tuetur Brucius; nam nec auctores idoneos memorat, nec dictis fidem facit, ne diſerte quidem et perſpicue, quae ariolatur, exponit. Admixta porro ſunt veris commentitia, certis incerta, fundo idoneo deſtituta, aut in alium ſenſum detorta; pleraque ab opinione et ariolatione profecta, deficiente fide ex hiſtoriarum auctoritate aut ex probabilitate ea, quam eorum, quae opinata ſunt, conſenſus cum iis, quae manifeſta fide hiſtorica tenentur, efficit. Cuius generis diſputatio cum paucis expediri nequeat: ſumma duntaxat rerum capita attigiſſe ſatis eſto *).

De Cuſchaeis ita agit, quaſi de iis omnia eſſent liquida et expedita; ab iis Shangalla eſſe oriundos, tanquam exploratum narrat (To. III. p. 101. 345.). Atqui de iis omnino liquet nihil. In iſta populorum affinium enumeratione, quae ad ſtirpium auctores reuocata in Geneſi extat, memoratus Cuſh, ſeu Cuſchaeorum tribus ac gens, quantas moleſtias creaverit

i) Sequiora tempora perſequi nec licet nec iuuat. Conferendus tamen eſt *Bruce* etiam de his p. 457 ſqq.

*) Diligentius ea nunc expoſita ſunt ad calcem verſionis germanicae operis, inprimis a *Tychſen*, Collega doctiſſimo. T. V. p. 310 ſq. Alia ad verſionem in Epitomen contractam Rintelii curatam monita ſunt a viris eruditis.

verit viris doctis notum eſt k). Ad Arabiam eos retulerunt, ad Babyloniam, ad Aethiopiam; cum ſimpliciſſimum eſſet, quod viri docti etiam amplexi ſunt, complures Cuſchaeorum ſedes, et Cuſchaeam ſaltem alteram Arabiae alteram Aethiopiae, in numeros referre. Nec ſic tamen Aethiopes omnes licet Cuſchaeos edere, nec, tanquam exploratum ponere, eos, qui nunc Aethiopiam incolunt, ab iisdem genus et ſtirpem ducere, qui primi eas terras inſederunt, aut inſediſſe creduntur. Factae enim ſunt in Africa quoque variarum ſtirpium et populorum migrationes, ſucceſſiones et fortunarum ſediumque viciſſitudines. Tenent adhuc non modo multas Abeſſiniae prouincias, verum etiam loca inter Aegyptum et Abeſſiniam, plures populi vix ſtirpe ac genere inter ſe affines. Adeo fluctuare neceſſe eſt omnia quaecunque in his opinatus fueris. Ne tamen haec opinandi leuitas prorſus temeraria videretur, debebat ſaltem *characteres phyſicos* iſtorum populorum notare Brucius; hoc eſt, quicquid cuique eſſet in forma et habitu corporis, tum in cultu et victu proprium ac peculiare aut cum altero commune; atqui nihil horum fecit iſte, eorum, quae ante quadraginta et quod excurrit ſaecula euenerunt, ariolus.

Porro fuiſſe in multis locis, vt Arabiae, ita Africae, inprimisque in ora maris erythraei, in Aethiopia et ſuperiore Aegypto, ſpecus, quos pro domibus incoluerunt homines, ſatis conſtat. Vulgo illi

k) Poſt alios in iis conſtituendis verſatus eſt vir inter Britannos doctrinae fama florens *Iac. Bryant* v. c. *Obſſ. et Inquiries relating to varius Parts of ancient Hiſtory.* 1767.

Digitized by Google

illi *Troglodytae* dicti, h. ſpecus incolentes, male interdum pro certa hominum ſtirpe ac gente aut populo habiti; cum tali vitae genere vſi ſint multi ac diuerſi populi. At doceri debebat, Cuſchaeos tales troglodytas fuiſſe, et aut ſpecus illos a natura factos aut ſua manu paratos incoluiſſe; multoque magis hoc, hos homines ſpecubus degentes tam mature artes inprimisque coeli ſiderumque rationes inueniſſe *l*). Aethiopes Meroen tenuiſſe et inde progreſſos Thebas condidiſſe, Aegyptumque ſuperiorem inſediſſe, aliquando etiam omni Aegypto imperaſſe, fide ſcriptorum traditum eſt: hos tamen *Paſtores Agazi* e ſtirpe *Phut* fuiſſe nemo prodidit *m*); vt

l) In Herod. II, 29. quem aliquo loco (p. 378) laudat, nihil quod eo ſpectet, memoratur; poſſint forte pro fundo aſſerti haberi ea, quae a Diodoro lib. III. pr. de Aethiopibus narrantur; verum et illa fabuloſa ſunt, et ad Meroen maxime ſpectant, non ad ceteros populos, qui Aethiopum nomine vulgo feruntur. Quod ad aſtronomiae peritiam attinet: Sirii ſeu caniculae obſeruatio his in locis potuit eſſe antiquiſſima; nomen eius apud Aethiopes Seir, vnde non longe ab Axuma vrbs Sire; Siris fl. (III. p. 857.) qui Aſtaboras, nunc Tacaze. Migrauit hoc Sirii ſtudium Thebas, hinc ille in nomen Anubidis abiiſſe videtur. Miſcendo vera fictis, ſeriora antiquioribus, aſtronomiae ſtudium inter ipſos troglodytas intulit auctor: qui etiam omnem hieroglyphorum vſum aſtronomicis obſeruationibus circumſcribit: cf. p. 412 ſq. 379.

m) [Expectabamus, ſaltem in iis, quae ad ſacros libros diſputata ſunt, aliquod praeſidium alicubi latere eorum, quae a Brucio de *Cuſch* et *Phut* allata ſunt: verum et haec ſpes nos fefellit. v. *Tychſen* l. l. p. 315 ſqq. Verbo: omnia quae de Cuſchaeis, et de Paſtoribus a Phut oriundis, de iſtorum artibus, et horum commerciis, opibus, dominatione, bellis, narrat Brucius, mera ſunt hominis commenta et ſomnia.]

vt nec hoc, eos Cuſchaeorum negotia geſſiſſe et commercia primo opera ſua interpoſita curaſſe, mox in Cuſchaeos odia exercuiſſe internecina; quae qua fide tradat vir doctus, ipſe viderit *n*). Commercia inter Indos et Arabiam Aegyptumque antiquiſſimis temporibus viguiſſe nonnulla, prouentus ac merces in libris ſacris memoratae teſtantur. Probabile quoque ſit, fuiſſe aliquando per interiora Africae loca commeantium mercatorum peregrinationes, quales etiamnum ab oriente Africae ad occidentem et hinc ad ſeptentrionem quotannis paſſim inſtitui conſtat; quae per Aegyptum ſuperiorem ad Aethiopes itinera fuerint, ipſe docet Herodotus ſatis diſerte; neque ceſſaſſe hac parte videtur Poenorum induſtria, qui aut ipſi, aut Libyum indigenarum miniſterio et opera adhibita, in interiora Africae atque etiam in Aethiopiam mercatus cauſſa commearunt. A Cuſchaeis tamen commercia illa, et quidem Nomadum, quos Paſtores

n) Duplicis tamen generis Aethiopes haud difficile erit vel in Herodoto agnoſcere, alios capillis criſpis, promiſſis alios crinibus: lib. VII, 70. Ex hoc altero genere, quod Nomadibus ſiue Paſtoribus, quos appellat Bruce, aſſimules, Macrobios fuiſſe neceſſe eſt, maximos atque pulcherrimos omnium hominum: lib. II, 20. Ex Cuſchaeorum autem genere, ſi Brucium ſequaris, ſuſpiceris fuiſſe eos, qui propius ad Aegypti fines habitabant in ſpecubus, adeoque troglodytas lib. III, 97. Sed et in iis ipſis locis Aethiopes Nomades memorat lib. II, 29. Phut eſſe Libyas adeoque ad Africam occidentalem referri ab antiquis interpretibus, ex diſputationibus ad Geneſ. X. conſtat. Nec memoratio de iis ſit alia, niſi quod a vatibus ſacris inter populos mercenariam operam in militia praeſtantes nominantur. An Bruce hoc ſatis eſſe putauit, vt operam ab iis mercenariam Cuſchaeis mercatoribus locatam eſſe pronuntiaret?

Digitized by Google

Paſtores vocat, opera eſſe curata, qua tandem auctoritate demonſtratum dedit *o*)?

Omni igitur fide hiſtorica, omni analogia, probabilique ratione deſtituta ſunt ea, quae de his commentus eſt *Iacobus Bruce.* Quod vero multo magis indigneris, eſt hoc, quod neglexit, quid? quod ne vidit quidem ea, e quibus aliquid de diuerſis populorum per Abeſſiniam ſtirpibus et originibus elici poſſet. Praeter populos Galla et Shangalla, nullius alius populi memorationem edidit diligenter et ita factam vt de eo aliquid ſtatuere, aut de eius originibus ſuſpicari poſſis, ſintne inter ſe communes an diuerſae. Videntur omnino tribus plures a Nigritis oriundae eſſe: ſiquidem eorum ſpeciem et formam referunt. Enim vero non inde ſequitur, iam antiquiſſimis temporibus Nigritas ea loca inſediſſe, et a rerum origine, cum primi ſtirpis auctores aliunde ad loca illa procederent, corpora eorum fuiſſe tali habitu quo nunc ſunt; quandoquidem in coelo ſoloque, quo nunc ſe alunt, per multa ſaecula cauſſis phyſicis ea poſſunt eſſe immutata; potuere quoque nuper demum, et ſuperioribus ſaeculis Nigritae in Abeſſiniae fines immigrare; ſane quod multo probabilius fit in his barbarorum per iſtas terras vagantium erroribus *p*).

Eſt

o) [Carthaginienſium commercia per Africam, inprimisque cum Meroe, e qua alia commercia cum Arabia et India iuncta fuiſſe videntur, poſt haec magna cum ſagacitate et doctrina inueſtigauit doctiſſ. Collega *Heeren. Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmſten Völker der Welt.* 1793. I. Theil.]

p) [Licet in Aegyptiis quoque duorum diuerſorum populorum, diuerſae ſtirpis et originis, indicia et veſtigia agnoſcere

Eſt et illud extra dubitationem, extitiſſe iam primis aetatibus, ante hiſtoriarum fidem, populos ad praeclarum aliquem humanitatis cultum expolitos; teſtantur id monumenta et reliquiae ingentium operum ſuperſtites. Quam exquiſitam multarum artium peritiam arguunt ſtupenda illa Aegypti ſuperioris, quae adhuc Thebis aliisque locis viſuntur, opera! Vel marmorum durities inſtrumentorum inventis victa a multis aliis inuentis, quae iam tum frequentata eſſent, proficiſci debuit. Ad noſtram ſane culturae notionem ſi rem exigas, vt magnus aliquis cultus hominum cum fide tradi videatur, litterarum ac diſciplinarum ad certam ac ſubtilem rationem conſtitutarum veſtigia deſiderabis. Enimuero perperam nos vitae et ingeniorum cultum ad noſtrum modulum metimur. Fac noſtram vitam *ſcientiarum* cultu praecellere: at veteres *artium* cultu multum ſuperarunt omnes aetates recentiores; expoliuerunt illi et elaborarunt ſenſus vim et acumen, nos intelligendi ſubtilitatem; phantaſmatum ſublimitatem et magnificentiam in noſtrorum conatuum tenuitate et operum ieiunitate atque exilitate haud facile agnoſcas, quae inter illos fuit longe maxima. Ad quas tamen aetates

agnoſcere in icunculis ac figillis, quae ex antiquitate ſuperſunt: (v. quae memorata ſunt in *Gött. gel. Anz.* 1794. p. 408.). Eſt enim in aliis oris et faciei corporisque habitus Nigritis propior, in aliis alius admodum diuerſus. Hactenus dubitare non licet, ſucceſſiſſe in haec loca antiquioribus aetatibus diuerſarum ſtirpium populos; nec Aegyptios omnes, vt nec Aethiopes omnes, eadem ſtirpe fuiſſe et ortu. Ex his tamen nihil euictum eſſe vides de origine a Phut et Cuſch ducenda. Ex terrarum ſitu ſuſpicari licet ſaltem hoc, alios ex Arabia alios ex Libyae interioribus eas aliquando intraſſe.]

Digitized by Google

aetates ac tempora, ad quos auctores, antiquiſſima illa opera et inuenta referenda ſint, deficiente hiſtoriarum memoria lubricum eſt definire. Si iidem homines, qui ſpeluncas inhabitarunt, Thebas quoque condiderunt: nae ingens temporum interuallum intercedere debuit, antequam ingentia illi ſaxa in montibus Arabiae inciderent, et ſculpturis picturisque inſignirent; Sin dixeris, ipſos illos ſpecus fuiſſe manu hominum factos, adeoque hos inſtrumentis inſtructos iam tum fuiſſe ad ſaxa incidenda *q*): aliud inferes rerum miraculum nulla via expediendum. Artium inuenta, inſtrumenta, praecepta et vſum mox iterum exoleuiſſe inter iſtos populos, mirationem facere non debet: docent enim generis humani annales, vbi ſemel graui dominationis iugo oppreſſa aut bellorum calamitate exhauſta fuerit gens, quamvis opibus copiisque florentiſſima, paucarum aetatum interuallo cum ipſis artium operibus interire artium ſtudia et ad barbariem ac feritatem detrudi homines. Regum Aegypti luxurie ac ſaeuitia haud ſemel factum eſt, vt ipſius in Indiam nauigationis notitiae et elementa hominum animis et memoria exciderent. Sublatis autem mercantium et mercatus cauſſa commeantium ſtudiis, tollitur hominum induſtria et opera; ceſſante enim fructu ceſſat ipſa opera; et cum hoc peritia et vſus. Ita metalla ditiſſima defecerunt; prouentibus ſoli laetiſſimis ſucceſſit ſterilitas; artium officinae euanuerunt. Nihil eſt humano generi tutum, nihil, cui ſatis fidere poſſis, quamdiu imperiis male deſcriptis et bellorum calami-

q) Videtur hoc ipſe *Bruce* innuere p. 377 extr.

calamitate aut metu illud premitur. Non itaque incredibile videri debet, quod in multis Abeſſiniae locis, tum vero in ora ſinus Arabici, et olim memorati ſunt *r*) et adhuc reperiuntur populi ad extremam feritatem deiecti, belluino more viuentes, omnis cultus humani ignari, in ſumma omnium rerum et mitioris victus inopia, quorum tamen maiores humanitatis cultu expolitos fuiſſe probabile ſit. An vero hi pro Cuſchaeorum reliquiis recte haberi poſſint, quis definire auſit?

P.P. in Georgia Auguſta Kal. Iul. cIↄIↄccLxxxx.

r) Videnda de iis eſt narratio cum ap. Herodot. tum ap. Strabon. et Diodor. ex Agatharchide et al. Cf. Comment. de font. et auctorit. hiſt. Diod. in Vol. Commentat. Soc. Gott. p. 89 ſqq.

XIII.

Digitized by Google

XIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
GOTHOFREDVS LESS
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
LIII
IN A. D. XVII. SEPTEMBR. CIↃIↃCCXC.
CELEBRANDA
INDICIT

SIMVLQVE
ANTECESSORI NOSTRO IN IVRE PRIMARIO
GE. LVD. BOEHMERO
SACRVM SEMISAECVLARE
MVNERIS PROFESSORII PER L. ANNOS GESTI
GRATVLATVR.

Honores ICtis habiti ab Impp. Romanis; quibus que de cauſſis.

Sollennia noſtra anniuerſaria, ſi certo aliquo conſilio inſtituta ſunt, ad pietatem noſtram et officium ſpectare neceſſe eſt. Expectatur itaque a nobis, Commilitones, vt ea, quae in anni decurſu laeta et iucunda euenerunt, grato recordemur animo

Digitized by Google

ſummoque rerum auctori laudes debitas reddamus; caſus autem aduerſos ita reputemus, vt eorum cauſſas et remedia meditemur, futurisque prouideamus. In neutro vero diſpiciendo et iudicando recte verſabimur, niſi et vos, quibus de cauſſis ad hoc Muſarum ſacrarium acceſſeritis, et nos reputauerimus, quo conſilio nos in eo tanquam antiſtites ſimus conſtituti; vt vero vtrumque recte perſpiciatur, expendendum erit omnino, cuius rei cauſſa academiae et olim inſtitutae ſint et vero nunc habeantur; quid ab iis expectetur ſiue ad remp. ſiue ad litteras earumque ſtudia. Ita enim cum alia multa, tum etiam hoc intelligetur, quid mutationes ac viciſſitudines litterarum, ſtudiorum, rerumpublicarum et imperiorum, a nobis poſtulent; vt in doctrinarum et colendarum et tradendarum ratione forte mutentur alia, alia retineantur ac perficiantur; quanto arctius, quam olim, bona diſciplina politiorque vitae ratio morumque honeſtas cum praeſenti academiarum ratione ſit coniuncta; quantopere altera ex parte, ne in ſaeculi vitia, deſidiam cum luxurie, oſtentationem ſtudiorum, quae negligimus aut ſpernimus, euagetur licentia, ſit metuendum. Niſi enim, cuius rei cauſſa quoue conſilio in ſua quisque ſtatione collocati ſimus, animis infixum habuerimus; non ſatis recte perſpectum eſſe poteſt, quid quantumque ad remp. ſeu academicam ſeu litterariam, ſeu publice ſeu priuatim, noſtrum quisque conferre aut poſſit aut debeat; nihilque adeo recte conſuli, nihil recte geri. Itaque, vt noſtrum quisque, qui diſciplinis tradendis ad hanc academiam euocati ſumus, facile aſſequimur, nullas lectiones niſi nouis curis auctas, emenda-

Digitized by Google

emendatas, perfectas, rerum ſubtiliore diſpoſitione, fructuoſiore enucleatione, expolitas, per quodque ſemeſtre eſſe habendas: ita et vobis, Ciues, ad intelligendum in promtu eſt, in tantis litterarum incrementis, tam late prolatis ſtudiorum academicorum finibus, annis contra huic curriculo conceſſis paucioribus et tempore ſtudiorum circumſcripto, vt tamen expectationem aliquando de veſtris profectibus futuram ſuſtineatis, diligentiam vobis et induſtriam eſſe multo magis, quam patribus veſtris, intendendam.

Iam ad prius illud, vt de incolumitate noſtrae Academiae omnibusque quae publice priuatimque grata ac laeta in nos ſunt profecta laetemur, et gratum animorum ſenſum publice declaremus: ſollennia in craſtinum diem ſunt indicenda, anno iterum vertente, a quo Academiae noſtrae incunabula numerare ſolemus. Accedet his ſollennibus cauſſa alia laetandi ac gratulandi eaque admodum memorabilis. Quam enim ante quatuor hos annos laetitiae publicae in ipſis anniuerſariis ſacris ſpem conceptam, vt eſſet e Collegis noſtris, qui ſemiſaeculares muneris Academici numeros expleuiſſet, b. Holmanni mors fruſtrata erat, eam nunc non modo oſtendit fortuna ac redintegrat, verum etiam promiſſam laetitiam praeſtat redhibet ac repraeſentat in vno e primoribus noſtri Collegii ad hunc diem diuino beneficio ſeruato, et in cruda ſenectute, in virium robore, ac valetudinis integritate, inter ſuorum gaudia, collegarum, familiarium, et bonorum omnium gratulationes, ad haec ipſa ſollennia celebranda procedente,

Ge. Lvd. Böhmer

M. Britan. Regi a Conſil. iuſtitiae interior. ICtor. noſtrae academ. Ordinis Primario et Ordinario.

Viro Perilluſtri meritis annis virtutibus venerabili, vobisque, Ciues, inſtitutionis induſtria aſſiduitate ac religione, morum verborumque comitate et humanitate, animique beneuolentia, qua ille vos amplectitur omnes, et de omnibus bene mereri ſtudet, merito cariſſimo. Atque vtinam intereſſe poſſint ſollennibus his Senis venerabilis omnes illi, qui ex eius diſciplina progreſſi ſummis reip. muneribus, omnisque generis loci ac gradus curationibus, praefecturis et reip. partibus, cum laude praeſunt! Certatum eſt inter Collegas in decernendis voluntatis laetitiaeque publicis priuatisque ſignificationibus; certabitur quoque inter vos de grati animi, venerationis et amoris, teſtificationibus viro immortaliter de vobis litterisque merito; eritque huius concertationis tam honorificae ad poſteritatem quoque documentum haec ipſa proluſio, qua ſollenne hoc publice indicitur. Saepe enim ſerioribus quoque aetatibus memorabitur nomen Boehmerium, quaereturque de honoribus tanto nomini habitis.

Inter haec cum ſemel erexerit animum cogitatio et memoratio Anteceſſoris Iuris annis meritisque grauiſſimi, et honorum cum ex Senatus academici decreto, tum voluntatibus omnium officioſis ac prolixis ei habendorum: traducitur mens ad recordationem ſimilium cum meritorum tum honorum, quos fortuna aut inuidit aliis aut largita eſt, recurritque adeo *memoria magnorum illorum iurisprudentiae Romanae luminum*, et *honorum iis ab imperatoribus habitorum;*

bitorum; qua in re cum illud mirationem faciat, quod per multa ſaecula cum conſtantia mirabili a malis iuxta ac bonis imperatoribus prudentum iuris opera magni habita et honoribus muneribusque ornata eſt, non videbimur vanam et inanem commentationem inſtituere, ſi et ipſum *honorem* et, qua de re inprimis laboramus, *eius cauſſas* paullo diligentius inquiſiuerimus. Sunt multa ex his coniuncta cum ea, quam vocant, auctoritate et dignitate veterum ICtorum; memoranturque paſſim varia huius generis in vulgaribus hiſtoriae Iuris Romani libellis, in Commentatoribus ad Enchiridion Pomponii, in Pancirollo de claris LL. interpretibus, aliisque vitarum ICtorum auctoribus; extare etiam libellos hoc ſuper argumento facile ſuſpicamur; quae enim in agri tam ſtudioſe exculti ſuperficie area eſſe poſſit, cui non ſuperſtructum ſit aliquid? et meminimus ipſi Stegeri Lipſ. diſſ. de honoribus veterum ICtorum; enimuero licet de iisdem, nec tamen eodem, atque alii, modo agere; licet, rebus diligentius excuſſis, ex aliis nouam lucem elicere, aliis nouam lucem affundere, ita vt ea, cum eadem eſſe videantur, nec tamen re et tractatione eadem eſſe intelligas.

Et primum in ipſa hac ICtorum auctoritate ac dignitate magnum *diſcrimen* perſpicias, ſi *reip. tempora cum imperatorum aetatibus* compares. In rep. libera iuris ſcientia *dignationem accipiebat ab iis, qui ei operam darent;* ſub imperatoribus vero *ſcientia iuris faciebat dignationem conſultis*, aditumque parabat ad honores, cum antea, qui iam ſummis honoribus eſſent functi, de iure reſponderent. Scilicet ab ipſo

vitae actu priſci illi Scaeuolae ac Craſſi ad ius interpretandum progreſſi ſunt; at hi alteri iure interpretando, vt rerum quoque actui admouerentur, conſequi ſolebant. Obſeruare tamen licet et in altero hoc ordine *memorabile diſcrimen*, cum per priora Imperii ſaecula ſummi viri in rerum actu conſtituti *ius interpretari non deſiſterent*, ſeriores autem, *aut*, vbi iuris ciuilis elementa imbiberant, abiecta diſciplina ad munerum vitaeque actum properarent, *aut* in ſola interpretatione habitantes ab omni rerum actu recederent, et ad argutias tricasque inanes, *aut* ad ea, quae ab aliis dicta eſſent, recoquenda delapſi, omnem profeſſionis ſuae dignationem eierarent.

In *republica* itaque magnam ICtorum auctoritatem eosque in poſſeſſione gratiae et potentiae fuiſſe nemo ſane miretur; ſi meminerit, non facile niſi annis meritis et honoribus conſpicuos viros, conſulares et praetorios, etiam Pontifices Maximos, de iure conſultos reſpondiſſe; veluti ipſe Cicero ſenectutis nullum honeſtius perfugium norat quam iuris interpretationem; et, ſi habitum mox eſt inter ea, quibus ad ſummos honores eniterentur, vt de iure reſponderent, non ad prima magiſtratuum rudimenta id pertinuit; et mutuabatur ars vel ſic dignationem ab iis, qui eam exercebant, quandoquidem generis nobilitatem, vitae ſplendorem ac dignitatem, rerum geſtarum gloriam, virtutis bellicae ac togatae famam, eloquentiae laudem ac ciuium gratiam ad eam afferebant; facileque eſt ad intelligendum, ab his ipſis ad eorum, quae ipſi cenſerent ac de legibus et iure diſputarent, maiorem auctoritatem, maximum momentum acceſſiſſe. Praemia tamen et honores iuris-

Digitized by Google

iurisprudentiae nomine et cauſſa decreti vix memorantur: niſi in hunc cenſum reuoces, quod P. Naſicae *publice domus in ſacra via data eſt, quo facilius conſuli poſſet* (L. 2. §. 37. D. de O. I.). Idem quidem *Optimus a ſenatu appellatus eſt*, nec tamen propter iuris prudentiae laudem; nec conſtat ſatis quibus de cauſſis (Liv. XXIX, 14.). Veriſimilius eſt a iuris prudentia, hoc eſt ſcientia, Sophum appellatum Sempronium, vt L. Acilium Sapientem; aliter quam aut Laelius Sapiens, aut P. Naſica alter Corculum, aut Sext. Aelius Catus cordatus homo apud Ennium. Nec ſtatua Serv. Sulpicio ICto poſita (Pompon. l. c. §. 43) ſcientiam honore aliquo impertiit, verum, quod in legatione ad Antonium (a. 711) obierat eſt decreta Cicerone auctore (Philipp. IX, 7.) idem quippe honor et aliis legatis obtigerat: (vid. Plin. XXXIV ſ. 11). Mucia autem in honorem Q. Scaeuolae, Procoſ. Aſiae, integritate, fide et ſtudio bene de ſe meriti, inſtituerunt Aſiae vrbes: vt iam viris doctis notatum.

Aliter res conſtitutae *ſub imperatoribus.* Nunc ab ipſa arte ac profeſſione iuris dignitas et veniebat et petebatur: inprimis cum facultas de iure reſpondendi a Principe daretur, ſaltem ea cum auctoritate, vt iudices, adeoque magiſtratus, reſponſis eorum tenerentur (hoc enim ipſum eſt illud), *vt maior iuris* h. e. reſponſorum, *auctoritas haberetur* (l. c. de O. I. §. 47), ſi quidem a Principe profecta erat illa reſpondendi poteſtas) *a*). Quandoquidem autem ita

O 5 erant,

a) [Magna cum ſagacitate Hugo noſter, Iuris Romani conſultiſſimus, fidem Pomponii hac in re eleuauit, quia

erant, qui Principi commendatione aliorum innoteſcerent, quique in cauſſis iuris controuerſi forte ſic reſponderent, vti ipſe Princeps aut eius liberti ius conſtitutum eſſe volebant: non mirum, ſi vel hoc nomine paſſim ICtos ad praeturam et conſularem dignitatem perueniſſe legimus, alios in conſilio Principi fuiſſe. Inter haec illud mirationem facit, cum praetores, aliique magiſtratus, ipſique Centumuiri non de ſua ſententia decernerent, nec ipſi ius facerent, ſed ſententiam a ICto ſcriptam pronuntiarent, quomodo in hoc de iure reſpondendi more ad certos ICtos reuocato, et in hac eorum auctoritate, fieri tamen potuerit, vt ad Adriani vsque tempora tantae varietates et mutationes in *iure honorario* exſtitiſſe dicantur; ſaltem *non magiſtratuum*, ſed *ICtorum diſſenſui*

quia huius inſtituti nulla alia mentio in ſcriptoribus et ICtorum fragmentis facta occurrat, nec veſtigia ſint in iure priuato mutationis ad imperatorum vtilitatem ac libidinem factae: (*Lehrbuch der Rechtsgeſchichte* 1790. ſ. 94.) Acute hoc monitum ad dubitationem et ſuſpicionem iniiciendam; nec tamen auctoritas contraria aut fides ſcriptoris in medium affertur, qua falſa Pomponius tradidiſſe arguatur. Laborant autem vniverſe argumenta, a ſilentio aliorum ſcriptorum petita, in hoc monumentorum veterum, multo magis in rebus Auguſti, defectu. Vtilitas Imperatorum in cauſſis fiſci et maieſtatis locum habere debuit, vix potuit in aliis cauſſis priuatis. Illud tamen temere ex Pomponio tradidiſſe videntur ſcriptores recentiores, quod nunc *niſi venia a Principe impetrata, de iure non reſpondere licuiſſe* affirmant; et conuenit in eo cum viro doctiſſimo, adulandi ſtudio et quaerendae auctoritatis cauſſa morem petendi facultatem reſpondendi ſubnatum potius eſſe quam imperatum. Aſſentiendum ei quoque in hoc, (ſ. 105.) quod de Edicto Adriani perpetuo nimis magnifice loquuntur multi tanquam de noua legumlatione ab eo facta.]

diſſenſui et variationi illae erant tribuendae. Verum expediant haec, qui iuris Romani propriam interpretandi ſibi prouinciam conſtituerunt *b*). Nobis progrediendum eſt ad alia auctoritatis ac dignitatis ICtorum firmamenta ac praeſidia, eaque haud paullo maiora.

Scilicet, cum Principes inde ab Auguſto, praeterquam quod honorum in ſe cumulatorum vi et nomine ius dicerent, cognitiones haberent, partim ex appellatione, partim certarum cauſſarum iuris extraordinarii, quis dubitet incidiſſe ſubinde cauſſas graues et impeditas, ad quas expediendas ICtorum opera et conſilio opus eſſet; etſi Auguſti exemplo, qui *appellationes aliis delegaſſe* memoratur (Sveton. c. 33 extr.) difficiliores cauſſas a ſe amandare potuerunt. Et primum quidem Imperatores, quando ius dicebant, tanquam magiſtratus, aſſeſſores ſuos habuere, aliorum magiſtratuum, etiam prouincialium exemplo, (conf. Sveton. Claud. 12 et 14) vt vel ex iis cognoſcas, quae de Nerone ſub principatus primordia Sveton. narrat c. 15. vbi eum, quando ius dicebat, *ad conſultandum* ait *ſeceſſiſſe neque in commune quicquam neque propalam deliberaſſe, ſed et conſcriptas ab vnoquoque ſententias tacitum ac ſecreto legentem, quod ſibi libuiſſet, pronuntiaſſe.* Multo frequentiores deliberandi cauſſae incidere debuere in cognitionibus: adhibiti itaque ICti tanquam conſiliarii; verum nec perpetui illi, et priuatim allecti; et fuere ii in numero

b) [Bene monuit vir doctus (in A. L. Z. 91. p. 800.) difficultates tolli, ſi ponas, Edicta Praetorum ſub primis Impp. minus obnoxia fuiſſe ICtis, quam Praetorum ſententias in ſingulis cauſſis.]

mero eorum, quos ex Senatoribus a conſilio ſibi eſſe voluiſſe Auguſtus narratur, cum quibus de rebus ad ſenatum referendis, aut quae commode in ſenatu tractari non poſſent, deliberaret, tandem etiam cauſſas cognoſceret. (Dio LIII, 21. LVI, 28. Svet. 35.) Primus inde Adrianus fuit, qui conſilium ſibi perpetuum ac publicum delegit, cum quo et de curis publicis deliberaret, et cauſſas cognoſceret, quodque ipſi eſſet loco Senatus: vnde ab eo tempore conſtitutiones principum coeperunt eſſe frequentiores, SCta autem rariora *c*). De eo Spartianus c. 18. *Quum iudicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos aut comites ſolum*, (h. qui in ceteris cauſſis ad imperii adminiſtrationem, rem militarem, reditus et ſic porro, ſpectantibus, inque his etiam in cauſſis iuris, ei in conſilio eſſent) *ſed iurisconſultos.* — Neceſſitas tanto maior forte fuit, quia nunc a priſca inſtitutione adeo receſſum erat, vt, cum antea eiusdem viri eſſet, et reip. cauſſas tenere, et militiam ac reditus curare, et cum his cauſſas in foro agere et iura noſcere, nunc iuris ſcientia in ſingulare aliquod ſtudium conceſſerat. Similia de Pio Iul. Capitol. c. 12. et de Marco idem c. 11 extr.

Nunc itaque euenit, vt prudentia iuris ſuo ſingulari merito viam ad honores pararet, vtque ex ICtis multi principi probati ad ſummas dignitates peruenirent, et inter amicos et comites principis, quod nomen latius patebat, haberentur. Cooptati autem

c) Exordia et progreſſum inſtituti docte declarauit *Chr. G. Haubold* V. C. Diſſ. *de Conſiſtorio Principum* I. 1788. II. 89.

autem illi e Senatoribus, viris conſularibus, ciuitatis principibus, quamdiu in hoc ordine fuere, qui iuris ſcientiam ad ſe pertinere putarent; poſtea ad alios ordines proceſſum eſt. Eſt autem hoc omnino tenendum: cum in Iuris libris omnia fere Principum et eorum conſilii ſtudia et acta ad iura et cognitiones reuocari ſoleant, non hoc ita eſſe accipiendum, ac ſi illi in priuato iure ſolo fuerint occupati: verum aeſtimanda haec eſſe e veteri iuris vocabuli acceptione, eaque pertinuiſſe ad cauſſas omnis generis grauiſſimas, ſummae reip. et iuris publici, tum ad cauſſas, quas nos ad ius criminale, politiae, aerarii et fiſci, referre ſolemus, etiam prouinciarum et Praeſidum, Senatorum virorumque illuſtrium, quae noſtro more a multis diuerſisque Collegiis cum ſuperioris ordinis, tum inferioris, cum appellatione et ſine ea, peragi ſolent. Qui igitur conſiliis his adhibebantur, non ſatis erat, vt iuris ciuilis periti eſſent, ſed, cum multo grauiora et ad ſummam reip. ſpectantia negotia ipſis eſſent expedienda, aut multarum aliarum rerum ſcientia ab iis requirebatur, aut a Principe diuerſis negotiorum generibus diuerſi conſiliarii erant adhibendi. Hactenus diuerſa eſſe potuere Imperatorum conſilia; inprimisque ſolitos conſtitutionibus iuris concinnandis et cognitionibus adhiberi iuris tantum peritos, at in cauſſis, quae ad reip. adminiſtrationem ſpectarent, alios in conſilio fuiſſe credere licet *d*).

Porro

d) Factum inde, vt et diſcrimen occurrat in appellatione Conſiſtorii Principis et Auditorii: cum hoc in cauſſis cognoſcendis potiſſimum memoretur. v. de his ſubtiliter diſputantem *Hauboldum* l. c.

Digitized by Google

Porro de iisdem rebus, non priuati modo iuris, ſed omnis reip., cum edicerent ac reſcriberent Imperatores, ICtorum opera, copioſior tamen ac locupletior, quam vt in ſolo iure ciuili ſubſiſteret, haud dubie edictis quoque et reſcriptis perſcribendis fuit locata; etſi de iure quoque ciuili edicta proponere non infrequens fuit, frequentius tamen inde ab Adriano, quandoquidem ille Conſilium inſtituerat, quod Principi eſſet loco Senatus. Bonos imperatores curam non mediocrem in iis quae conſtituerent praeſtitiſſe facile expectes. De Alexandro Lampridius c. 16. *neque vllam conſtitutionem ſanciuit, ſine viginti iuris peritis, et doctiſſimis ac ſapientibus viris iisdemque diſertiſſimis non minus quinquaginta*, ſed totus locus de praeſtantiſſimi principis ſtudio eſt videndus. Magnum ita numerum ICtorum illuſtrium laudare licet, quos Imperatores in conſilium adhibuerunt *e*).

Translata cognitionum parte in Praefectum vrbi, mox et in Praefectos Praetorio: habuere et hi conſilium, ſeu auditorium ſuum, adeoque ICtorum opera vſi ſunt *f*); eaque re parata ICtis eſt via, vt et

e) V. l. c. p. 61. Sunt hi inter Comites Conſiſtorianos dictos, aſſeſſorum aliisque nominibus inſigniti: de quibus ibid. diſſ. II. docte diſputatum, vt et de caeteris quae ad dignitatem eorum declarandam ſpectant. Ibid. p. 21 ſqq. de ordinibus eorum, cum alii inter Illuſtres alii inter Spectabiles eſſent etc.

f) Adhibiti etiam hic pro diuerſis rerum deliberandarum generibus viri modo hi modo alii, nec ſemper ICti: Ita *Plinius* a praefecto vrbis in conſilium ſe adhibitum memorat Epp. VI, 11. Et Epp. I, 20, 12. *frequenter egi, frequenter iudicaui, frequenter in conſilio fui.*

Digitized by Google

et ipſi tandem ad Praefecturam vrbi ac Praetorio adſpirarent; quam quidem adhuc viri militari ſcientia clari tenuerant; idque a Commodi temporibus in procliui fuit, cum ille, deſidia et ignauia permotus, (quippe qui vel *in ſubſcribendo adeo tardus et negligens fuit, vt libellis vna formula multis ſubſcriberet, in epiſtolis autem plurimis Vale tantum ſubſcriberet, agebanturque adeo omnia per alios:* Lamprid. c. 14.) omnem rerum agendarum curam Praefecto Praetorio relinqueret, (v. ibid. c. 5. Dio LXXII, 9.) eique cum militia et ceteris reip. partibus etiam *rerum ciuilium ſummam poteſtatem permitteret, vt ius diceret ſine appellatione.* Ita nunc inter Praefectos Pr. clariſſima habentur nomina, Papiniani ſub Seuero, Vlpiani et Iulii Paulli ſub Alexandro: qui quidem ſtudium iuris ne in rerum quidem actu depoſuere, verum, quum noua rerum cauſſarumque genera ſubinde occurrerent, aut leges ad ea applicarunt, aut noua iura inde elicuerunt et explicarunt. Cum ſub Conſtantino ſolummodo poteſtas imperii ciuilis, eaque libera et ſine prouocatione, Praefectis Pr. eſſet relicta: rerum interea facies et ordo quodammodo erat mutatus.

Obſeruatum eſt a viris doctis poſt Alexandrum Seuerum, qui tamen ICtos maxima dignatione habuit, auctoritatem ICtorum et dignitatem exoleuiſſe, ipſamque iuris profeſſionem obmutuiſſe. Cauſſam rei in eo quaeſiuere, praeeunte, ſi bene meminimus, Bachio, principe Iuris Romani noſtra memoria interprete, quod Principes, reſcriptorum vſu nimis frequentato, etiam in cauſſis priuatorum, et de

de iure certo, ICtorum prouinciam inuaſerant eorumque munus occupauerant; reſcripſiſſe enim eos in cauſſis ſingulis, eiusque generis reſcripta poſtea ius feciſſe. Potuit forte haec eſſe vna ex pluribus cauſſis, ſed non ſola. Reſcripſere vtique imperatores de omnis generis cauſſis, de quibus ad eos a magiſtratibus, inprimis Italiae et prouincialibus, referretur, aut de quibus appellarentur, tandem etiam de cauſſis priuatis, de quibus per libellos adirentur, iuris controuerſi; nam ſi de cauſſis iuris certi adirentur, vix hoc aliter factum, quam quod per ignorationem pro incerto haberetur: itaque reſcripta ſaepe antiquum ius repetunt ac firmant. Iam ſi ius fuit ambiguum, ipſisque imperatoribus non ſatis de iuris ſubtilitate conſtabat: non minus in reſcribendo, quam in decernendo et edicendo, id, quod ipſi non perſpectum habebant, ab Iuris interpretibus vt peterent Principes, neceſſe fuit: neque adeo aſſequi licet, quid auctoritati ICtorum per reſcriptorum frequentiorem vſum detrahi potuerit; ne tum quidem, quod factum ſatis conſtat, cum Reſcripta a Praefectis vel Quaeſtore Palatii componerentur, et ſub Principis nomine vulgarentur. Porro reſcribendi vſum iam ante Macrinum, a Commodo et Caracalla, nec minus, quod veriſimile ſit, ab aliis, omnino diu ante Alexandrum, frequentatum eſſe conſtat; quod itaque poſt hunc imperatorem iurisprudentiae florem decuſſum, et interuallum vsque ad Conſtantini tempora tanquam effetum agrum ICtorum prouentu deſtitutum videmus, ab aliis cauſſis repetendum eſſe videtur. Et primo quidem ipſe de iure reſpondendi et ab ICtis ius petendi mos ceſſare debuit, ex quo

Magiſtra-

Magiſtratibus et officiis ICti admouerentur: quid enim hi praeſcriptum iuris peterent ab aliis, quod ipſi aliis conſulti dabant? Porro, quantum quidem apparet, ICtorum reſponſa tantum ad iura centumviralia et ad magiſtratus ordinarios pertinuere; nec qui ſacra vice cognitiones habebant, illa admiſiſſe videntur; tum cauſſae grauiores a magiſtratibus ordinariis, ſenſim tantum non omnes iuris extraordinarii factae, ad Praefectos Vrbi aut Praefectos Pr. fuerunt remiſſae: itaque ipſa re ferente ac cogente ICtorum opera in reſpondendo exoleuit. Interea tamen alia, eaque non iam publica, nec minus tamen honorifica, opera ſubnata eſt ICtis, ex quo in Conſiſtorium Principis, tum in Conſilium Praefecti Vrbi et Pr. ſunt aſſumti. Quod autem poſt Alexandrum nullus ICtus ſcriptis inclaruit et cum Modeſtino obmutuiſſe videtur Iurisprudentia, partim ab temporum inſequutorum calamitatibus, quibus omnes meliores litterae conticuerunt, partim inde repetendum eſſe apparet, quod poſt tam innumera ICtorum ſcripta vix aut materies de iure commentandi aut opportunitas famam inſignem conſequendi ſupereſſe potuit. Videmus id vſu rerum euenire aetate noſtra, et multo magis euenire videbit poſteritas, quod, litterarum plenis meſſibus ab iis, qui ante nos fuerunt, occupatis et praereptis, vix tenues ſtipulae et auenae nobis reſtant, quarum tamen et ipſarum penuriam conquerentur ii, qui nos excipient; et, ſi vel maxime inter nos fuerint, qui noualem aliqua in parte extirpatis frutetis exerceant, nihil tamen vel ſic eſt, quod valde moueat aut pungat aequales noſtros, contractis ex copia faſtidiis.

Adeo praeciſa eſt omnis opportunitas noſtra aetate inſigniter inclareſcendi. Quid mirum itaque, ſi aut contemnitur ſtudium famae aut in blandimentis Genii noſtrae aetatis effunditur. Reſpondendi autem de iure etiam priuato haud paullo vberior et maior ſeu opportunitas ſeu neceſſitas ſuboriri debuit iure ciuitatis omnibus ingenuis in imperio Romano conceſſo. Non videntur ſatis attendiſſe ad magnam rerum iurisque conuerſionem et mutationem, quam ex ea re enaſci neceſſe fuit: quandoquidem ius ciuile nunc ad tot prouincias, in tam diuerſa rerum conditione, nexu, ratione, reſpectu, fuit translatum et accommodatum; mirationemque adeo non facit, ſi Imperatorem crebrius nunc per libellos appellari crebriusque, quam antea, reſcribere, audias.

Fertur iurisprudentiae ſplendor ſuus redditus eſſe ſub Conſtantino et ſequentibus Impp. Sane fuit aliquis, ſed valde obtuſus ille et nebuloſus. Translata in Orientem imperii ſedes, et multo magis noua ſacra in remp. admiſſa, multas nouas conſtitutiones nouumque in multis ius pepererunt: ad quae ICtorum opera et vtilis et neceſſaria eſſe videri debuit. Verum ex iis, qui e Modeſtini diſciplina, ſi tamen ſuperfuerunt, ſupereſſe poterant, vix multi fuere, qui nouis religionibus operam addicere ſuam vellent; multo maior auctoritas eſſe coepit epiſcoporum in iure ad ſuas vtilitates accommodando et ad ſtabilienda ſacra Chriſtiana faciendo. ICtorum auctoritas, ſi qua fuit, ab officiis, quibus illi fuerant admoti g), profecta

g) Inprimis ſi ſeruilium ingeniorum iſtius temporis perſuaſionem memineris: *Diſputare de principali iudicio non*

profecta eſt potius, quam a doctrinae laude; nunc enim praeter Praefectos Pr. fuere Quaeſtor palatii, Magiſtri libellorum, ſcriniorum et ſic porro, apud quos cauſſae agebantur.

Tanto maior iurisprudentiae lux affulſit ex alio honoris genere, cum iam *iure profitendo* inclareſcerent ICti iique ſua aetate celeberrimi. Scholae enim iuris apertae ſunt Romae, Conſtantinopoli et Beryti: etſi huius poſtremae nomen aliquod iam inde ab Alexandri Seueri temporibus fuiſſe videtur. Verum nec haec nec alia attingimus, cum aliunde nota, tum a conſilio aliena *h)*: modo hoc memorare liceat,

 rem

non oportet. Sacrilegii inſtar eſt dubitare an is dignus ſit quem elegerit Imperator. l. 3. C. de crim ſacrilegii et l. 5. C. de diuerſ. recit. *Sacrilegii inſtar eſt, ſuper quibuscunque adminiſtrationibus vel dignitatibus promulgandis, diuinis obuiare beneficiis.* Quo riſu, qua indignatione excepta talia putabimus ab iis, qui viri eſſent, ſi modo viri iſta aetate ſupererant.

h) Silebimus quoque illa, quae ſiniſtram et miſeram multis in partibus ac locis iurisprudentiae conditionem per eadem tempora declarant. Quid enim imperantibus principibus ignauis, luxurie, libidine, faſtu et crudelitate graſſantibus, aliud expectari potuit, quam vt corruptela omnis generis per omnes ordines graſſaretur, adeoque vel maxime inter eos regnaret, qui iudicia exercebant. Nota *Mamertini* verba Grat. act. ad Iulian. Imp. 20. *Iuris ciuilis ſcientia, quae Manlios, Scaeuolas, Seruios, in ampliſſimum dignitatis gradum enexerat, libertinorum artificium dicebatur.* V. alia ap. Liban. Or. κατα των εισιοντων in Oratt. IV. vulgg. a *Gothofredo* Gen. 1631. 4. p. 75 ſq. Et multa multis dicta: cf. *Bever in Hiſt. R. Imp. et Iur. ex Angl. germanic.* p. 324 ſqq.

Digitized by Google

rem fere nunc ad noſtrorum temporum morem ita fuiſſe adductam, vt modo viros in ſcholis iuris eruditos muneribus admouerent, modo ipſos anteceſſores in vrbem euocatos muneribus, quibus iuris ſcientia vtilis eſſe poterat, praeficerent imperatores, aut eorum eunuchi. Nunc itaque noua dignitas Iurisprudentiae acceſſit, cum eius profeſſores ad vrbem et aulam arceſſiti honoribus et comitiuis primi ordinis ornarentur. Ex hoc numero fuere, qui Codicem Theodoſianum confecere, viri dignitatibus maxime illuſtres. Fuere quoque qui cauſſis agendis apud Praeſides vel Praefectos primis quaſi militiae togatae ſtipendiis factis meruerant, vt mox inter aſſeſſorum et conſiſtorianorum numeros reciperentur; vnde nonnullis contigit, vt ad ipſas illas dignitates peruenirent.

Tanta autem fuit nonnullorum exiſtimatio, vt et ſtatuis ac picturis honorarentur *i*), plerique quidem illi in ſummis honoribus conſtituti, Praefecti vrbis, Coſſ., Praeſides, quorum recenſum longum apponere poſſemus ex carminibus Anthologiae Graecae in illas imagines factis; ſunt tamen nonnulla, in quibus ipſius iurisprudentiae aut iuſtitiae laus diſerte memoratur: Ita Iulianus iurisprudentiae lux appellatur, cuius adſpectu Roma (noua) et Beroe (patria puto) *Natura*, exclamant, *ſumma quaeque gignere*

i) *Hommel* olim in *Iurisprud. numiſm. illuſtrata* etiam numos in honorem ICtorum cuſos ſe afferre putabat; ſed ſunt illi omnes adulterini et recentioris fraudis: p. 46. 176. 188.

gignere valet *k*). Aliud, in quo rhetores Theodoro Praeſidi ſtatuam conſecrant; *maluiſſent,* inquiunt, *auream imaginem ponere; at ille aurum etiam in imagine reſpuit* *l*). Et Thomae Curatori imago poſita ab iis qui ſub eo in nouo Scrinio erant *m*). Praeſtat enim omnibus ornamentis, quae aulica adulatio et potentum faſtidioſa comitas et ciuilitas conferre ſolet, honos ab iis, quibus praefueris, habitus, aut a ciuibus, ac populi voce, ob merita et vtilitates in remp. decretus, ſuffragiis omnium approbatus: qualis ille eſt, de quo ſub commentationis initium memorauimus; ad quem habendum ac declarandum non minus, quam ad Academicorum incunabulorum anniuerſariam memoriam ſollenni ritu recolendam, cui Sereniſſimi M. Britanniae Principes vt intereſſe velint, precibus noſtris vtinam annuant, vt frequentes craſtino die, quo pompa in templum academicum ducetur, confluatis, omnis ordinis ciues, ſtirpe illuſtri, gentilitia nobilitate, mentis et ingenii, patrum ac propria virtute ornati, ita rogamus, vt, quod officium veſtrum poſtulat, a nobis in beneficii loco habitum iri profiteamur. Prodibit

k) παντα Φυσις δυναται Bandur. 387. *A. Steph.* p. 291. *Brunek.* To. II. p. 516. Difficile tamen dictu, quis ille Iulianus fuerit, perperam olim pro Saluio Iuliano habitus: nec *Bertrandus* p. 30. aut *Guil. Grotius* p. 127. probari poteſt in Vitis tripartit. Nihil occurrit melius quam vt de Iuliano Anteceſſore, Epitomes Nouellarum auctore accipiatur. Hoc idem *Reiſkium* ſuſpicatum eſſe animaduertimus.

l) *A. Steph.* p. 293. *Brunck.* III. p. 139. XXIX.

m) Carmen Agathiae *A. Steph.* p. 293. *Brunck.* III. p. 47. XL.

in ſuggeſtum Profeſſor et Academiae Orator, C. G. HEYNE, diſputatisque nonnullis ſuper Neronis dicto: *Qualis artifex pereo!* nomine Academiae pro incolumitate reip. eiusque Principe, Rege optimo *GEORGIO*, vota perſoluet, ſuſcipiet noua: quibus ita fauebitis, vt, noſtrae pietati ſuffragando, etiam veſtram pietatem praeſtetis faciatisque teſtatam et declaratam.

P. P. in alma Georgia Auguſta Septembr. d. XVI. cIↃ IↃ ccxc.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO

IN

SOLLENNI SACRO LIII. INAVGVRATIONIS

GEORGIAE AVGVSTAE

IN A. D. XVII. SEPTEMBR. cIↃIↃCCXC

EODEMQVE

SACRO SEMISAECVLARI

MVNERIS ACADEMICI

ANTECESSORIS IN IVRE PRIMARII

GE. LVD. BOEHMERI

HABITA

ACADEMIAE IVSSV ET NOMINE

A

CHR. G. HEYNE

ELOQ. PROF.

REGII MAGNAE BRITANNIAE PRINCIPES
SERENISSIMI
MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR
COMITES ILLVSTRISSIMI
HOSPITES COLLEGAE CIVES
AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI.

Si qua cogitatio ſtudium humani ingenii interpellare poteſt et animum in litterarum notitiis et artium diſciplinis medio in curſu inhibere, eſſe putamus illam: quorſum per annorum numerum continuata

illa opera euaſura et ad quam metam illa ſubſtitura ſit. Quid enim? ita tacite licet apud ſe reputare, tot annis, vitae etiam protractae, in litterarum ſtudiis conſumtis, multo magnoque labore exhauſto, vigiliis corpore confecto, tot moleſtiis et aerumnis exantlatis, cum tibi interea ab omnibus vitae voluptatibus interdixeris, ſi eo tandem perueneris, vt in diſciplina aliqua ac litterarum parte progreſſus memorabiles feceris, quid? ſi ipſum illud, quo nemo tamen peruenit, ſcientiae ac doctrinae faſtigium teneas; quid tandem illud eſt, in quo ſubſiſtent omnes hi mentis humanae impetus, conatus, molitiones, profectus, ornamenta? Scilicet vnus omnes nos manet tantorum laborum et aerumnarum exitus, vt ipſa morte et illae curae ac vigiliae finiantur et vero etiam opes ac copiae ingenii tot annorum impenſis paratae intercidant, adeoque omnis opera, ſtudium, aſſiduitas ad eas parandas adhibita, incaſſum ſit impenſa et tantum non inconſulto effuſa. Poteſtne miſerior eſſe vlla vitae conditio? vlla naturae lex iniquior! Niſi forte ſibi aliquis perſuadeat fore, vt ſuae diſciplinae copiolas in alteram vitam aut ſecum asportet, aut, ſi asportare licuerit, vt vllius ſibi vſus eae eſſe poſſint. Quem tamen vſum in alio rerum ordine, alio animorum habitu, alia vitae conditione, habitura eſt omnis haec, in qua aetatem conſumimus, rerum ſubtilium, nugarum feriarum et ludicrarum, variarum linguarum et hiſtoriarum, cognitio? quid prodeſſe poterit, quod mente ac memoria tenemus infinitam hanc molem ac farraginem eorum, quae omnium temporum ſapientes ac deſipientes ſenſerunt, iudicarunt ac delirarunt?

rarunt? quaeque nos ipſi his deliramentis de noſtro addidimus! Vtinam ſaltem nobiscum tam bene actum eſſet, vt, quae nos tot annorum lucubrationibus, curis ac ſtudiis excogitauimus, perſpeximus, ad liquidum perduximus, in vnum ſaltem aliquem ex caris et familiaribus noſtris transferre et quaſi transfundere eiusque animo inſtillare poſſimus! vtinam naturae beneficio conceſſum eſſet, quando nos de vita decedimus, alium, qui idem ſtudiorum curriculum, diſciplinarum ſtadium, ingreſſurus eſt, conſtituere eo in veſtigio, in quo nosmet ipſi curſum abrumpimus! Quanta tum intra breue tempus litterarum incrementa fore putabimus! Iam vero, vbi noſtrum aliquis ad extremam calcem perrexit, ecce alter eundem curſum a carceribus orditur. Tam parum fructus ex noſtro ſudore ac defatigatione capiunt alii, vt tota vita comparanda eſſe videatur cum ludis circenſibus, quibus nihil aliud propoſitum ſit, quam vt decurſus vices iteratae aliis ſpectandi voluptatem afferant, decurſus ipſe finiatur nunquam. Interea tot eximiae ac praeclarae ingeniorum vires, tam operoſae earum expolitiones, tam exquiſitae doctrinarum opes vno momento cum ipſa vita euaneſcunt, intereunt; ita vt, quoties vir doctus, litterarum et doctrinarum copiis egregie inſtructus, ad fata ſua properat, locum habeat illud Neronis, quod ſub extrema vitae ille identidem dictitare ſolebat: *Qualis artifex pereo!*

Multo etiam grauior querela de naturae iniquitate adhiberi poteſt, ſi artium ingenioſarum conditionem reputemus, quando non animi modo,

 verum

verum corporis quoque, inprimisque manuum longa exercitatione, aut ſenſuum perfectione, ad eum in arte principatum peruentum eſt, quem pauci attingunt: ſi tamen haec artis gloria, ſumma peritia, ingenii ſollertia, ſenſus oculorum vel aurium vis et iudicium, vno mortis tanquam ictu concidit! neque vlla ea ex re in alia vita vtilitas expectari poteſt! perventumque adeo eſt in arte ad ſummum eo cum fructu, vt magna magnae alicuius praeſtantiae iactura nunc tanto maior fiat. Quid vero tandem de eo cenſebimus, qui ingenii viribus, quas natura dederat, aut ars excoluerat, in re tenui eſt vſus? ſenſuum et membrorum habilitate et dexteritate male eſt vſus ad artes vanas, inanes? nolo dicere ad artes ſtolidas ac prauas? quantae interdum ingeniorum vires ac facultates, quae meliore vſu ac fato in bonis ſtudiis collocatae ſumma laude dignae fuerant, morte auctoris, cui eae inſunt, ſine fructu, ſine bonorum laude, pereunt! Ipſe ille Nero quot quantisque ingenii dotibus, quam exquiſitis ac doctis artibus inſtructus erat, quibus niſi flagitioſe vſus eſſet, quantam mirationem facere potuiſſet! Excellebat enim ille haud dubie in iis ſtudiis, quibus ſe dediderat, cantu, cithara, carmine, modo principe digna ea fuiſſent: recteque adeo exclamare poterat: *qualis artifex pereo!*

Enimuero, Auditores, *non perit artifex!* non intereunt artes, non incaſſum ingenia ſcientiis, litteris, artibus expolimus. Manet integer fructus, manet illa perfectio ad quam peruentum eſt. Probabiliter ſane haec diſſerimus: enimuero verſamur

eo in rerum genere, in quo probabilitas vicem demonſtrationis obtinet, quam valde inſcite aliquis in iis rebus deſideret, quae eam non admittunt. Si enim quicquam noſtrum morte ſuperſtes eſt: viribus illud ſuis ac facultatibus inſtructum ſupereſſe credere fas eſt. Si autem eae inhaerent et manent: etiam habitus, virtutes, praeſtantias earum adeſſe neceſſe eſt; idque adeo, quod ex ſtudio et opera noſtra in perficiendis ingeniis ex litteris et artibus lucrabimur tum quoque, cum earum rerum, in quibus excellimus, nullus amplius erit vſus, ipſa illa erit praeſtantia et excellentia facultatum mentis elaboratarum ac perfectarum; etſi nondum conſtare nobis poteſt, ad quod aliud rerum genus illa praeclara mentis vis transferetur. Nulla autem eſt doctrina, nullum genus artis, eius quoque, quae in ſenſuum et manuum conſummata virtute conſiſtit, vnde non ipſius animi vires aliquam expolitionem, aliquod momentum, augmentum, incrementum, accipiant. Comparata eſt itaque res eodem modo, quo de animi moribus ac virtutibus credere ac ſibi perſuadere licet: inhaerebunt tanquam inuſti habitus illi, quos in hac vita contraximus, et cum ipſo animo ſuperſtite perdurabunt; neque adeo incaſſum erit poſitum ſtudium noſtrum in virtute colenda, in reprimendis affectibus et in perficienda indole quam a natura quisque acceperamus. Bene memini, verſari me in genere orationis populari, a quo aliena ſit omnis philoſophandi ſubtilitas. Nihil tamen in his, quae ita aut ſimili alio modo ſe habitura eſſe, nobis perſuaſum habemus, eſt, quod iis, quae in noſtrae mentis viribus ac facultatibus, aut in rerum natura

natura apparent, repugnet; contra conueniunt haec cum iis, quae nouimus, quae recordamur, quae ratiocinando aſſequimur; quod vero longe maximum eſt, cum ex ipſa animorum contemplatione, tum ex aequitatis ac virtutis principiis, et ex Numinis O. M. notione, quum nihil ab eo, quod non cum ſumma et abſoluta bonitate et ſapientia conueniat, proficiſci poſſit, ex ipſo doctrinae diuinioris conſenſu, eadem illa opinio, doctrina, ſpes, perſuaſio, firmatur ac ſtabilitur; tum, ſi quis contrariam ſententiam infauſto conſilio amplexus fuerit, nihil habet ad refellendum ac negandum, habet tantum cur dubitet et ambigat; atqui ambigere in re, quae futura eſt; ſi vel maxime id licuerit de euentus modo et ratione; non eſt, euentum ipſum tollere; et refellere nondum eſt idem ac contrarium probatum dare. De futuris nulli menti licet aliter quam ex naturis rerum et cauſſis iudicare; et parum conſentanea ſtatuit is qui futuras res monſtrari aut ante oculos ſibi poſitas eſſe voluerit.

Verum cum illa ipſa ſpe ac perſuaſione, nobis fato functis habitus mentis et ingenii elaboratiores ſuperfuturos eſſe, eſt alia ſpes, nec minus certa et explorata, de vtilitatibus ex ſtudiis noſtris ac vigiliis et ex augmentis et incrementis ſcientiae noſtrae. Manent fructus vberrimi, quos illa nobis, quos illa aliis attulerunt. Quicquid ſcribendi ac commentandi opera, quicquid doctrina et inſtitutione aliis profuimus, quicquid de genere humano, de ciuibus, de patria, de familiaribus, de iuuentute bene quisque meruimus: id ponendum eſt merito in lucri parte ex eo, quod in litteris colendis et elaborandis ſtudium et operam

poſuimus,

poſuimus, percipienda. Videtis me in hoc recenſu non memorare famam ac nominis perpetuitatem; etſi et illa gloriae et immortalitatis auiditas, et voluptas, quam ex eius praeſenſione capiat aliquis; habet in natura noſtra quo ſe tueatur; verum hoc, etiam ſapiente haud indignum, perpetuandi nominis ſtudium in eo poſitum eſſe debet, vt, etiam poſteris, cara ſit memoria noſtri maneatque propter hoc, quod aut de ipſis, aut, ſi non de ipſis, de eorum tamen progenitoribus, publice priuatimque bene meruimus. Delectat, dum adhuc in his ſtudiis verſatur, animum generoſum cogitatio, poſt ſe natis profuturum ſeſe inuentis, ſcientiae augmentis, verioribus in commentitiorum locum ſubſtitutis, ſuperſtitione aliqua ſublata, meliore luce propoſita, via ad veritatem ac virtutem ſalebris ſuis liberata, faciliore tradendi modo ac more monſtrato, et quae ſexcenta ſunt alia, quibus aliquis poſteris perſolvere poteſt debitum illud, quo ille quaſi obſtrictus erat iis, qui ante eum vixerant et a quibus ſuperiorum aetatum inuenta ac meditata acceperat. Compenſamus ac diſpungimus beneficia ac merita patrum de nobis per ea, quibus de poſteris bene merebimus.

Quantus bonarum litterarum, quantus doctrinae, quantus inſtitutionis cum fide aliis impertitae fructus, quotuplex iucunditas et voluptas, quam ampla et ſalubria praemia ſint: Tuo, Perilluſtris Collega, Conſultiſſime BOEHMERE, exemplo et antea conſtitit, et hoc die vel maxime intelligitur: ſingularis Tibi illa felicitas contigit, vt ſemiſaeculare tempus profitendis iuris diſciplinis exegeris, Tu iam ab

ab anno inde tertio Senior Corporis academici, et antiquiſſimo loco inter eos, qui MVNCHHVSIA quaſi *ſtirps* ac *progenies* appellari poſſumus, recepti in eius familiam et digni iudicati, quos parentali amore complecteretur immortalis ille vir MVNCHHVSIVS aeternum nobis colendus; meminiſti enim, meminiſtis et alii mei aequales Collegae, quantopere recreari, erigi et inflammari ſolebamus, quoties nos et conatus noſtros a tali viro probari, nos ab eo diligi, nos et res noſtras ipſi curae eſſe intelligebamus! Neque vero Tibi eſſe, quod vitae in his ſtudiis, in hac iuris inſtitutione exactae Te poeniteat, ipſe hic dies, hoc ſollenne, haec omnium Collegarum congratulatio, mirificus hic omnium conſenſus ad teſtificandum Tibi ſenſum gaudii ac laetitiae, haec ipſa mea vox docet, qua Te appello, qua Te, plaudentibus bonis omnibus, de rep. noſtra academica optime meritum nobisque omnibus carum, dilectum ac venerabilem, publice pronuntio; hac tanquam corona ciuica, hac laurea vere Apollinari carum caput cingo. Gratulamur et Tibi et Academiae noſtrae felicitatem hanc raram ac ſingularem, quod, integra corporis valetudine, animi viribus nulla laborum mole, nulla lucubrationum aſſiduitate fractis, in hac mentis ac frontis ſerenitate et hilaritate, in hac fortunae ſtabilitate, domeſticae vitae tenore incolumi, inter Tuorum florentiſſimam turbam, et in eo omnium rerum ſtatu, quem priuatus ſibi quisque aut ſuis amicis exoptare poſſit, ad hos annorum numeros, ad huius diei gaudia, ad hunc laetitiae communis ac publicae fructum, peruenisti. Vides circumſtantem Te, Te venerantem et Te ſuperſtite laetan-

laetantem turbam ornatiſſimorum iuuenum, qui Tua diſciplina vtuntur; quanto maiorem, quam infinitum fere, numerum putabimus eſſe eorum, qui e diſciplina Tua prodierunt! qui, vbi fortunam huius diei notabilem reſciuerint, vota ſua pro Te quisque facient; et cum iis illi, qui eorum doctrina, prudentia, rerum vſu, in muneribus adminiſtrandis, in variis reip. curis ac partibus, ſuis rebus conſultum eſſe vident! Atque vtinam ſibi conſtet haec Tua fortuna etiam in poſterum! vtinam per multos adhuc annos, cum hoc virium animi corporisque robore ac vigore, hac mentis vi et alacritate, muneribus Tuis, laboribus ac ſtudiis, ſupereſſe poſſis! eoque et Academiae noſtrae vtilitatibus conſulas, coetum audientium doctrina et inſtitutione inſtruas, iuris interpretatione ipſum ius firmes ac iuſtitiae ſtudium amplifices, nominisque Tui amplitudine et fama reip. noſtrae academicae auctoritatem ſtabilias!

Reſtat nunc, vt ad publica pro rep. noſtra academica vota accedam. Bona, iucunda ac fauſta in hanc vniuerſitatem noſtram aeterni numinis beneuolentia cumulata per hunc quoque annum fuere innumera, cum publice tum in noſtrum quemque priuatim: pro quibus vt gratum animorum ſenſum pietatemque deo O. M. praeſtemus ac declaremus, ius fasque nemo noſtrum non eſſe videt. Inciderunt alia, quae non facta eſſe vellemus! Verum, id quod vnum haud nimis laetabilium euentuum remedium reſtat, annitemur omnes ſinguli que, opera quantum fieri poteſt longe maxima, vt nubeculam lumini Georgiae Auguſtae obductam ocyus dispellamus, vtque

vtque illa, tanquam ſol, caligine diſcuſſa, tanto laetiore luce effulgeat. Eueniet hoc, quo magis de ſuae vitae, loci, officii, rationibus diligenter diſpiciet noſtrum vnusquisque, agetque id quod iis conſentaneum eſſe perſpexerit. Interea nobis nihil aliud relictum eſt, quam vt pro ſalute et incolumitate Academiae concipiamus vota, dumque id curamus, vt tantis diuini numinis bonis digni iudicemur, a divina indulgentia et benignitate optima ac laetiſſima quaeque et precibus expetamus et ſpe certa expectemus.

Verum cum his ſunt alia, quae noſtram religionem ac pietatem ſibi poſtulant. Sunt pro tota rep., pro his terris Brunſuico-Luneburgicis, pro Principe, pro eius amicis et adminiſtris reip. vota facienda. Laetamur et laetabundis vocibus deo O. M. gratias agimus, cum de bona *Regis* noſtri indulgentiſſimi valetudine, de *Regina*, feliciſſima matre, et de *progenie Regia*, laeta quaeuis et fauſta nuntientur. Vtinam in hac votorum, quorum rei ſumus, parte memorari poſſit Princeps Sereniſſimus, Fridericvs Avgvstvs! vtinam ille, qua conſpiciendus antea erat, proſpera valetudine florens his ipſis ſollennibus intereſſet! Ita tandem numeris ſuis abſoluta ac perfecta foret laetitia noſtra. Quod facere licet, precibus votisque piis adoramus numen O. M. vt Principem iuuenem tam praeclaris dotibus et virtutibus ornatum tantasque patriae et humanitati ſpes oſtentantem valetudini priſtinae reſtituat, ſaluumque et incolumem inter nos diu adhuc verſari et aliquando terram patriam ſalutare iubeat.

Sint

Sint tibi, eruntque curae tuae, deus O. M., omnia haec, in quibus vis et mens humana conſilii auxiliique inops eſt; tu adminiſtrabis, reges, et moderaberis ea pro ſapientia ac bonitate tua. In ceteris, quae noſtra cura et conſilio vt expediantur a te conſtitutum eſt, proſpera ac ſecunda conatus et euentus, quotquot aut nos virtute, fide, officio, merebimur, aut tu, vt ſueceſſum ſuum habeant, pro tuorum conſiliorum rationibus, conſentaneum eſſe arbitraberis. Sint tibi conſecrata ſtudia et conſilia noſtra; poſita eſt ſpes noſtra in te. *In te domine ſperaui, non confundar in aeternum!*

Digitized by Google

XIV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
GOTHOFR. LESS D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IO. STEPHANVM PVTTER D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSA
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS
IN A. D. III. IAN. cIↃ IↃ CCXCI.

Bona vota in diſceſſu Sereniſſimum Principorum Magnae Britanniae facta.

Non ſine aliqua animi commotione, Ciues, ad hoc officium noſtrum accedimus, vt ſollenne hoc nouo magiſtratui ineundo indicamus: cum Academiam noſtram his ipſis diebus ornamentis ſuis ac luminibus orbatam videamus. Diſceſſu enim ſuo PRINCIPES REGII SERENISSIMI, a Parente Auguſtiſſimo Hannoueram euocati, diem alioqui feſtum et hilarem, inter noui anni et magiſtratus acade-

academici feliciter geſti et feliciter gerendi gratulationes et vota, tanquam nube ac tenebris obduxerunt. Quocunque cogitatio ſe refert, varii ſubeunt et animum in diuerſa trahunt affectus. Regis Indulgentiſſimi iudicio habiti ſumus digni, quibus crederentur pignora Regia; Vidimus Iuuentutis noſtrae Principes ſub oculis noſtris adoleſcere et per eos vitae gradus, in quibus de tota quaſi vita transigitur, qualis illa futura ſit, felixne an miſera, fructuoſa reip. an exitioſa, facere progreſſus laetos; numerauimus et computauimus corporum ingeniorumque proſperos auctus, robur, profectus, expolitiones; dignati etiam eorum aditu ac ſermonibus et ad conuictum frequenter admiſſi, quanta cum humanitate, qua beneuolentia ſumus excepti omnes ac ſinguli! Ii vero, quorum inſtitutione et priuatim et publice illi vſi ſunt, (nam frequentarunt lectiones nonnullas Profeſſorum et in ſubſelliis auditorum conſpecti ſunt Magnae Britanniae Principes Regii) amorem et caritatem experti ſunt talem, qualem a mentibus ingenuis et rectis facile expectes, non ab omnibus experiaris.

Praefectum autem iuuentutis trinorum Principum regendae meritiſſimum, omniumque noſtrum laude cumulatum, cum Comitatu Regiorum Principum, vidimus inter nos a ſtudiis curisque noſtris non modo non alienum, verum rerum noſtrarum etiam ſtudioſum ac cupidum; voluptatibus porro et animis erga nos tam procliuibus ac propenſis habuimus contubernales omnes, vt deſiderium ſui relinquant graue ac diuturnum. Manebunt cum ipſa memoria huius

 Princi-

Digitized by Google

Principum Regiorum inter nos commorationis fructus multi ac magni, quos illa inprimis ad vitae morumque expolitionem habuit; et cum his fructus ille alter vberrimus, quod Regiae prolis adſpectu fruentes tanto maiore ipſius Parentis ac Regiae domus caritate fuimus imbuti. Vos autem, Ciues amantiſſimi, ea vſi eſtis felicitate, admodum inuidenda, vt ad Principum Regiorum ſalutationem, ſermonem et conuictum admiſſi, et nouo honore auctos vos eſſe laetaremini, et deponeretis iam nunc pudorem illum ac trepidationem, quae in aditu ad potentes perturbatis nobis plerumque iniici ſolet. Principibus tandem Regiis felicitas obtigit, rara illa in hac fortuna, vt vitam priuatam, varios eius ordines, et cum his varia rerum genera, viciſſitudines, naturas, diuerſa hominum iudicia et ſenſus cognoſcerent; vt in priuata vita verſantes regiam fortunam et aulae illecebras per aliquot annos ignorarent, audirentque ea, ſine quibus vita iucunda et beata eſſe poteſt nulla, quae tamen ex aulicorum ore pendentibus haud facile obueniunt; vtque illi viuerent cum eo maxime hominum genere, quod a morum animorumque corruptelis longiſſime eſt remotum; nam et iuuentutem academicam ab aſſentatione et fraude adulantium alieniſſimam eſſe, et Profeſſorum vitam ab iis corruptelis, quas aulae et diuitiarum luxus inferre ſolet, vacare nemo ignorat. Saepe hoc a ſapientibus pronuntiatum et habitum eſt in votis, vt reges ac principes in vitae priuatae conditione educentur; ita tandem futurum eſſe, vt fortuna ſua recte vtantur, ſuisque rebus bene conſulendo officiis ſuis erga populum et remp. ſatisfaciant; id quod

non

non facile expectari poteſt niſi ab iis, qui varios ciuium ordines frequentarunt, honeſtatem morum, integritatem et ſimplicitatem inter eos, qui longiſſime ab aula ſunt remoti, habitare viderunt; *induſtriae*, *laboris*, *aerumnarum*, *quae* ſint *praemia* vtiliſſimae ciuium claſſi conſtituta didicerunt; rerum, hominum, negotiorum, ſtudiorum, curarum, neceſſitatum, vtilitatum, notitias compararunt; cum contra alii principes, hominum rerumque ignari, parata ſint praeda adulatorum, coruorum more iis inhiantium, et corruptelis ſuis callide detrahentium quicquid naturae beneficio acceſſerat.

Tam parum enim felix bonorum principum prouentus vt ſit, non naturae aliqua malignitate fit, ſed hominum aulicorum teterrimo ſtudio, qui vt praemia virtuti meritisque debita ipſi praedentur, ſuarumque gentium nobilitati ac ſplendori ex plebis miſeria ac ſqualore nouam lucem quaerant, bona principum ingenia corrumpunt et a virorum bonorum ac prudentium aditu, ſermone, conſilio aut intercludunt aut alienant; expoſita tamen iis eſt omnis principum vita, multo magis eorum, qui nullo nec rerum nec hominum ex vita priuata vſu muniti inſidiis et laqueis vndique expoſitam habent vitam. Inde vulgaris illa nata eſt ſententia, cui *aetas noſtra* inſigni exemplo locum facit, miſerandam eſſe regum fortunam, non accuſandam voluntatem; niſi enim adulantium corona illi circumdati eſſent, haud facile malum fore principem; ſemper enim adfuturos eſſe e populo viros probos et ſapientes, qui meliora conſulant; cum contra optimus quisque princeps, etiamſi

 optima

Digitized by Google

optima conſilia animo deſignauerit, aulicorum, et, ſi ex aulicorum ordine lecti illi, aut iis obnoxii ſunt, amicorum et conſiliariorum arte et fraude inuitus ad praua et pernicioſa conſilia abducatur.

Redduntur nunc a nutrice alma Georgia Auguſta credita ſibi pignora Parenti Regi, ea quidem cum perſuaſione, vt nec iudicium Parentis Auguſtiſſimi de ſua fide reformidet, nec pronuntiare dubitet, vix a domeſtica inſtitutione aut populari laetiores fructus aut praeſtari, aut expectari potuiſſe; quandoquidem omnino in toto hoc rerum ac litterarum genere, quod ad inſtitutionem et educationem pueritiae et adoleſcentiae ſpectat, Britanni conſuetudini et mori nimium tribuunt, quam vt, vel Germanorum exemplo, praua inſtituta emendare in animum inducant. Ipſi autem Principes Regii ita a nobis diſcedunt, vt et amoris ſui ſenſum vultu et verbis prae ſe ferant, ea gratam noſtri noſtrorumque ſtudiorum memoriam in perpetuum ſe eſſe ſeruaturos polliceantur. Habemus igitur et nos, quod inter deſideria et moerores laetemur. Quis enim non exultet nutritiorum ſuorum et laetis incrementis in omni virtutis genere et mutua beneuolentia atque amore! Laetamur igitur et animum erigimus, etiam magna ſpe et expectatione recreati, quam de Veſtra, (liceat enim Vos, tanquam praeſentes alloqui,) Principes optimi, indole, virtute et doctrina ſuſcepimus, qua, vltra plerorumque Principum ſortem, imbuti eſtis; facimusque vota ad deum immortalem, vt Veſtri curam ac tutelam habeat eam, qua virtutum ſemina, quae in animis Veſtris iacta progerminarunt,

laetis

Digitized by Google

laetis fructibus ferendis matureſcant, praeclarae ingeniorum dotes rebus gerendis ſapienter admotae inclareſcant, pietatis ſenſus habitusque firmetur, auertaturque a Vobis *peſtilens afflatus adulantium*, qui aſſentationibus et foedis ſeruitiis animos principum tanto certius corrumpunt, quo magis innocentia et integritas a ſuſpicione fraudis eſt aliena; qui que in primis principum adoleſcentiae inſidiantur, vt ſuarum libidinum non modo excuſationem, verum etiam auctoritatem, alimenta et nouos fomites materiasque ex principum exemplis voluntatibusque parent. Pergite ad magnarum rerum, quibus nati et inſtituti eſtis, exordia; non Vobis, ſed Regi, ſed patriae, ſed humanitati viuitis; a magna fortuna, ab illuſtribus natalibus, magna et illuſtria conſilia, meditata, fata, expectantur; ite bonis auſpiciis, inter vota noſtra et fauſtis cum ominibus, nec noſtri noſtraeque fidei ac pietatis memoriam deponite: *Sic, ſibi, ſic nutrix Auguſta Georgia plaudet. Hoc decore, hoc, maius tempora nulla dabunt.*

Huic noſtro, Ciues, ad vos edicto publice proponendo cum ipſa res ſatis materiae praeberet, ex argumento, quod omnium noſtrum animos ſatis tenere poterat: alienum eſſe videbatur exſpatiari et egredi ad alia, nouiqué ſermonis ſeu ſummam ſeu ornamenta aliunde inferre. Nihil adeo nunc reſtat, quam vt indicamus publice ſollennia in diem III. Ianuarii pompa ex more ducta habenda; tradentur enim magiſtratus academici inſignia Viro perilluſtri, ICtiſſimo,

IO. STEPHANO PüTTER

ter iam antea magiſtratu geſto de academia meritiſſimo, ſtudio et cura commodorum veſtrorum, Ciues, et vtilitatis publicae ſpectatiſſimo. Studii itaque veſtri in eum et officii hoc tanquam pignore eum vobis obſtringite, vt ad ſollennia frequentes conueniatis, dicentibus faueatis, et animis ita comparatis inde diſcedatis, vt bonam diſciplinam, legum cuſtodiam, morum integritatem, virtutem publicam priuatamque, ad veſtram ſalutem et incolumitatem quam maxime pertinere, nec veſtrorum ſtudiorum ſine ea ſucceſſus eſſe poſſe felices et optatos, arbitremini. Fauete ſimul votis pro reip. incolumitate et tranquillo rerum noſtrarum ſtatu ſuſceptis: quae vtinam rata eſſe iubeat numen O. M. vt primum hunc extremae ſaeculi huius decadis annum ſine vlla offenſa emetiri contingat.

PP. d. II. Ianuarii cIↃ IↃ CCXCI.

XV.

XV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. STEPH. PVTTEER
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV IVNII ANNI HVIVS cIↄIↄccxci
REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI cIↄIↄccxcii
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.
M. IVNIO cIↄIↄccxci.

Nimis ſeuere agere cum humana natura eos, qui virtutem ſui cauſſa coli et amari volunt, monitum eſt ſatis a ſapientibus ad ipſas res et homines,

 quales

Digitized by Google

quales illi ſunt, ſua praecepta reuocantibus. Itaque nec aemulantium ſtudia in ipſo vitae more et inſtituto excludunt, multo minus in iis, quae animi viribus geruntur. Aemulatio ſane multa habere poteſt, quae parum ſint probanda; poteſt illa proficiſci a vanitate, ab arrogantia, ab inuidentia; coniuncta eſſe poteſt aut comitem habere maleuolentiam, maledicentiam, criminationem; poſſunt ex ea naſci odia, inimicitiae, bella, caedes. At altera ex parte quam multa praeclare fuerunt geſta inter homines per aemulantium ſtudia! Quicquid publice coniunctis viribus, ante ora ciuium ac popularium aut regum, cum laude fuit effectum, aut profectum eſt ab iisdem aut habuit ea inter cauſſas, quae moverent, impellerent vel incenderent. Idque fit ipſa natura humana duce; quandoquidem ad ſocietatis coniunctionem nos ipſa finxit, adeoque ita inſtituit, vt ab aliis nos probari, amari, coli, iucundum et ſuaue ſit. Ad laudis itaque cupiditatem, adeoque ad ſtudium praeſtandi aliis et excellendi, melioresque aemulandi, nos tanquam manu ducit ipſa parens Natura.

Inprimis tamen ingenii viribus excolendis per aemulantium ſtudia via patefacta eſt, cum a primis inde humani generis initiis, tum per omnia tempora: id quod ipſa antiquitas intellexit, quandoquidem vitae humanae cultum meliorem ab Eride repetiit. Heſiodus quidem duas Erides commemorat; quandoquidem nondum habebat ea aetas nomen quo aemulationem deſignaret; itaque a contentione hominum inter ſe notionem repetiit: cumque inuidentiam

tiam et odium in ea diſcernere vellet, duas dixit eſſe Eridas, alteram bonam, alteram malam: a bona Eride artes vitae, quibus illa ſuanior et iucundior facta ſit, eſſe profectas.

Si tamen ea forte aetas, qua matura animi vis et firmata praeceptis vſuque virtus ſibi ipſi ſufficere poteſt ad excutiendum ſe et impellendum ad ea, quae res, tempus, officium poſtulat, agenda: non tamen primi aetatis gradus aemulantium ſtudiis facile carere poſſunt. Ipſa natura animos iuueniles ita finxit, vt per ſenſus, eaque quae ſenſus mouere poſſint, illi regantur aut impellantur; neque ipſa intelligentia et ratio ſine iis excoli et perfici poſſit. Ab intelligentibus itaque iuuentutis inſtituendae auctoribus et magiſtris ſine vlla dubitatione aemulatio numerata eſt inter potentiſſima ingeniorum et animorum fingendorum adminicula et praeſidia. Quo ipſa Natura ducit, incedere nolle impium eſſet. Nec, ſequendo naturam, male res agi, docuit rerum vſus populorumque et ſapientiſſimorum virorum exemplum. Excitauit aemulantium ſtudia vetus Graecia per certamina primo corporis, tum animi et ingenii. Fecit idem Roma ex quo artes excolere coepit; etſi ſuo ſimul exemplo ea, per certamina quidem rhetorum et poetarum, docuit, regenda eſſe haec ingeniorum certamina certis conſiliis. Itaque Indulgentiſſimi Regis noſtri ſapientiae debetur etiam hoc, tanquam praeclare inſtitutum, vt propoſita vobis ſint, Commilitones, ingeniorum et litterarum certamina, quibus poteſtas facta eſt generoſioribus animis, iam curriculi academici decurſu fere exacto, explo-

explorandi vires ſuas, profectuum faciendi periculum, et ſollertiae ac maturitatis ſiue ad rerum actum ſiue ad litteras expoliendas ac tradendas auſpicia capiendi. Vt autem tanto ſollenniorem celebritatem haec certamina haberent, ſapienter prouiſum eſt et hoc, vt ea cum alio ſollenni coniuncta ſint, adeoque a publica laetitia etiam ad illam priuatam aliquid deriuetur.

Eſt enim, Commilitones, hic idem dies natalis Regis noſtri Auguſtiſſimi, quem ſummum Agonothetam laudibus ac votis piis proſequimur; nec modo lucis vſum, etiam per hunc annum conceſſum, verum valetudinem quoque proſperam, incolumitatem ac tranquillitatem, regni res pacatas, terrarum Brunſuicenſium ſtatum inconcuſſum, gratulamur. Quod ſi pie et religioſe facimus nos omnes, quotquot eum principem ac regem noſtrum indulgentiſſimum veneramur, non minus vos habebimus voluntatibus et animis conſociatos, Commilitones, qui, eius beneficio, quod aduenis omnium terrarum patet, litterarum ac ſcientiarum ſacrarium apertum ac paratum vobis videtis, ad quod accedere, in quo verſari, bonisque omnibus frui, vobis licet, tanquam ante patrios lares et in ſinu parentum. Quo ſane munificentiae genere magnificentius et cum humanitatis exquiſitae ſenſu coniunctius aliud cogitari vix poteſt, cum generi humano, ab intelligendi vi ſuum principatum recte aeſtimanti, multis curis et impenſis prouiſa inſtrumenta, adiumenta, et cultus humanitatis praeſidia, tam liberaliter proponantur, vt aditus, vſus, fructus, omnibus pateat; quid? quod non modo vobis propoſuit haec publica liberalitas,

ralitas, ſed ad ea etiam inuitat; nec modo inuitat, verum allicit quoque et incendit propoſitis induſtriae et honeſtae ingeniorum aemulationi praemiis. Neque defuere aut ſibi aut conſiliis his ſapientiſſimis ingenia et ſtudia multorum ex vobis, Commilitones, qui ad quaeſtiones ſuperiore anno propoſitas vires ingenii, doctrinae et litterarum, experirentur. Meminiſtis enim rationes et conditiones horum certaminum litterariorum eſſe has, vt promulgentur in annum quaeſtiones, hoc eſt doctrinarum capita, in quibus ii, qui ſtudiorum fiduciam habeant et profectus fecerint probabiles, ingenii et litterarum ſpecimine aliquo propoſito virorum doctiſſimorum experiri poſſint iudicia, vnde exploratum habeant, qua parte laboret doctrinae ſuae tanquam ſtructura, quae ſarta ac tecta ſint, quae minus ſolida, quae feſtinata, ſine calce et arena, aut ſine ſubſtructione, forte etiam ſine fundamento idoneo pendentia; excludantur contra et arceantur a conflictu, qui adhuc in primis velitationibus occupati vix arma tractare didicerunt, nec neruis ac brachiis ſatis valent ad tela vibranda. Fuit fortuna tam propitia, vt in certamen prodirent nonnulli ſatis exercitati, ex haſtatis non modo, verum et ex pilanorum ordinibus.

Erant autem in hunc diem ſuperiore anno promulgatae quaeſtiones hae:

Ab *Ordine Theologorum:*

Codex ſacer num eodem modo interpretandus eſt, quo reliquos antiquitatis libros interpretari ſolemus. Num omnino vel ex parte tantum? Poſterius ſi obtinere videtur, quanam re differt haec interpretandi ratio ab illa, quae in explicandis antiquioris aeui

ſcriptis

ſcriptis adhibetur? Qraenam denique ſunt interpretandi difficultates Noui Teſtamenti Libris propriae?

„Sex commentationes exhibitae ſunt Ordini, quarum auctores in argumento certe non facili tractando laborarunt, ſed quinque tantum recenſendae, quoniam auctor ſextae contra leges propoſitas lingua vernacula vſus ipſe forte in certamen deſcendere noluit. De reliquis, quod iudicium ferri potuit, hoc eſt.

„Auctor primae commentationis ſymbolo inſcriptae:

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum!

quamquam ſuam nobis doctrinae copiam et ingenii mirum quendam florem atque elegantiam ſatis comprobauit, tamen in eo multa deſideranda reliquit, quod illud in quo cardo quaeſtionis verſatur argumentum parum diligenter atque obiter tantum tractauit, multa a re, de qua agitur, aliena admiſcuit, nec in omnibus commentationis partibus eandem curam atque ſollertiam poſuit.

„In ſecunda verbis:

Pro patria dulci deſudare iucundum!

inſignita laudem ſibi propriam vindicat ordo rerum ac ſcita per partes diſpoſitio, quaeſtionis principalis tractatio, maxime vero auctoris modeſtia, liberalioris ſimul et ſubactioris iudicii teſtis certiſſima. Caeterum haec quoque Commentatio parte aliqua deſtituitur, et feſtinationis aperta veſtigia in ea apparent, quae ſtili etiam mediocritas atque interdum obſcuritas prodit.

„Tertiae Commentationis auctor, quae adſcripto ſymbolo:

Praeterita

Digitized by Google

Praeterita mutare non poſſumus!

dignoſcitur, a ſenſu et vi quaeſtionis propoſitae plane aberrauit, plura in vnum conſuſa miſcuit, et latine prorſus neſcire videtur.

„Iisdem vitiis quarta etiam premitur, quae graecam ſententiam adſcriptam habet:

'Η παιδεια ὁμοια εστι χρυσῳ στεφανῳ.

Inſuper erroribus exegeticis et hiſtoricis ſcatet.

„Quinta denique commentatio, addita ſententia:

Nec temere, nec timide!

inſignis, ſatis quidem eleganter atque erudite conſcripta, in hoc tamen exſpectationi minus ſatisfecit, quod in ſoluenda quaeſtione dogmatice magis quam exegetice verſatur, atque in eo, quod caput rei eſt, argumento etiam vtitur, noſtra quidem opinione valde lubrico et incerto, nec ab ipſo auctore ſatis ample et perſpicue declarato.

„Iſtis igitur inter ſe comparatis, ſecunda commentatio, quae verba habet adſcripta:

Pro patria dulci deſudare iucundum!

illa viſa eſt Ordini, in qua plurima eſſent laudanda, pauciſſima taxanda, atque iſta quidem a iudicio, haec a feſtinatione tantum profecta, adeoque facilius emendanda, quam ob cauſſam minus dubitauit, palmam illi atque praemium decernere.

„De prima vero commentatione, quae ſymbolo inſcripta eſt:

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum!

ita iudicauit, vt eam non ſolum proxime ad alteram accedere, ſed palmam illi potuiſſe praeripere, pronuntiaret, niſi viſum fuiſſet auctori, tractationem ſuam ita inſtruere, vt quaeſtioni principali non amplius

plius locus eſſe videretur, quod quidem eius iudicium vel praeiudicium valde nollemus noſtro iudicio confirmari."

Reſignata ſcheda commentationi victrici adiecta nomen prodiit:

Ioannes Àsboth, Nobilis Sopronio-Hungarus.

Proxime autem ad eam qui acceſſiſſe iudicatus eſt, fuit *Guilielmus Nicolaus Freudenthal*, Stadano-Bremenſis, non vulgaris ingenii et doctrinae iuuenis.

Ordo iuridicus

ad concertandum propoſuerat ſuperiore anno Quaeſtionem, ſtudiorum non minus quam temporis rationibus accommodatam:

Quaenam ſit differentia Comitiorum Imperii durante interregno et viuo imperatore?

„Exhibitae ſunt Ordini commentationes tres, his ſymbolis inſignitae:

I. *In manibus veſtris regnum eſt, ea quippe poteſtas Ad vos more ſuo ſemper viduata recurrit.* Guntheri Ligurinus. I. 242.

II. *Optime tranquillitati ſuae proſpiciunt ciuitates, quae in anteceſſum conſtituunt, penes quos ſolio vacante interea ſit reipublicae adminiſtratio.* Pufendorf. I. N et G.

III. *Rebus anguſtis animoſus atque fortis appare.*

„Habent haec ſpecimina commendationis laudem tum a iuſta argumenti diſpoſitione, tum a lectionis copia, et a diligenti tractatione, qua ea, quae pertinent ad Comitiorum Imperii et ad interregni eorumque, quae in eodem acta geſtaque ſunt, rationes, ex hiſtoriae monumentis et iuris publici principiis expoſita ſunt. Sed in his diſquirendis, quae maxime ſpectabant ad tradenda, quae in quaeſtione propoſita erant, comitiorum imperii diſcrimina,

mina, ceteras, quae *primo loco* commemorata eſt exercitatio, multum ſuperat, quae in enodandis hiſce diſcriminibus, iisque illuſtrandis ex his, quae ea de re in Comitiis Imperii anno ſuperiore acta ſunt, propoſitis ipſis rerum argumentis, curatiore ſtudio verſatur.

„Itaque commentatio, quae ornata eſt verſibus Guntheri

In manibus veſtris regnum eſt, ea quippe poteſtas
Ad vos, more ſuo, ſemper viduata recurrit.

praemio publico digna habita eſt Ordinis iudicio.

„*Proximum* ab illa *locum* tenere Ordo iudicat ſecundam, quae et a ſtili facilitate et a diligenti eorum, quae ad interregni rationes et ad Vicariorum imperii iura attinent, expoſitione commendationis multum habet, et dicto Puſendorfii diſtincta eſt:

Optime tranquillitati ſuae proſpiciunt ciuitates, quae in anteceſſum conſtituunt penes quos ſolio vacante interea ſit reipublicae adminiſtratio.

nec non huic accedere *tertiam*, quae breui et diligenti tractatione totum argumentum complectitur, et titulum prae ſe fert:

Rebus anguſtis animoſus et fortis appare. „

Reſignata ſcheda victrice lectum eſt nomen: Georgivs Wiese, Roſtochio Megapolitanus. Qui autem *ſecundo* ac *tertio* loco laudem tulerunt, mox nomina ediderunt: Ioannes Carolvs Christian. Wackerhagen, Hannoueranus, et *Comes* Ernestvs de Oeynhavsen, Eques Paderbornenſis.

Ab *Ordine Medicorum:*

Quum in temperamentorum doctrina rite diiudicanda vel applicanda multa occurrant, quae ex ipſa

fabrica corporis et ſtructura pendere videntur: quaeritur: 1. quae ſit vera corporum diuerſitas, ex qua hoc vel illud temperamentum deriuandum ſit? 2. an detur integra et plenaria ex vno in alterum commutatio et conuerſio? 3. quae ſint praecipuae et efficaciſſimae huius commutationis rationes tam phyſicae quam morales, tam in ſtatu ſano, quam in morboſo animaduertendae?

Duae redditae erant Ordini commentatioues, altera cum dicto:

Natura monſtrante viam;

altera cum ſententia:

Si nec in praeſenti aliquem fructum demetere queamus, ſaltem aliquid ex eo extrahamus, quod in futurum proſit.

Commentationis prioris auctor laude ſua eſt mactandus, quod non alios ſequi ſed ſibi debere maluit rei expediendae modum; viam itaque ingreſſus eſt ſolvendae quaeſtionis, qua acuminis quidem ſui declarandi optatam habuit opportunitatem, in opiniones autem et hypotheſes incidit parum probabiles, oratione quoque vſus eſt nimis inculta, vt nullam omnino curam ei adhibuiſſe videri debeat. Alterius auctor, iudicii ſui acris et maturioris experimentum in vi et ſenſu quaeſtionis rite aſſequendo, doctrinae accuratae, induſtriae et lectionis variae in argumento rite tractando dedit; oratione quoque vſus eſt perſpicua ſatisque emendata. Quibus de cauſſis decreto Ordinis commentatio haec cum dicto:

Si nec in praeſenti aliquem fructum demetere queamus —

omnino fructum aliquem demeſſuit eumque ſatis vberem, *praemium quidem primarium;* ſchedula inſpecta pronuntiatum eſt auctoris nomen: Gvilielmvs Antonivs Ficker, *Paderborna Gueſtphalus;* proxime

xime ad principem locum acceſſiſſe iudicata eſt altera Commentatio: cuius auctor nomen ſuum nondum eſt profeſſus.

Ab *Ordine Philoſophorum*

praemium propoſitum erat ei, qui optime commentaturus eſſet de politia veteris vrbis Romae. Ne vero ſtudium eorum, qui illud ſibi exoptarent, latius euagaretur, quam oporteret, ſatis fore pronuntiatum eſt, *de iis rebus* diſſerere, *quae ad vrbis ſecuritatem, tranquillitatem, commoditates atque ornamenta potiſſimum ſpectarunt.*

Studia humanitatis et antiquitatis in academia noſtra habere multos, qui ea non perfunctorie aut primis labris attingant, cum magna voluptate etiam ex commentationibus cognouimus, quae in concertationem hanc miſſae ſunt. Sunt eae numero *quinae;* nulla eſt, cuius auctor non ſui ſtudii et operae, ex ipſa ingenii et calami exercitatione, tum ex inſtituta lectione et animi intentione, fructum percepturus ſit haud poenitendum.

Ex his Commentatio cum dicto:

Salus reip. ſuprema lex eſto.

nimis timide adhaeſit recenſui magiſtratuum, quibus politia mandata fuit; in iis, quae politiam conſtituunt, minus fuit diſerta. Non exiguam operae partem etiam in magiſtratuum recenſu poſuit *altera,* inſcripta:

η τρεις ἑξ η τρεις κυβοι.

nec tamen altera ſectione prorſus neglexit ea, quae ipſa quaeſtionis verba poſtulabant, et perſequuta eſt

Digitized by Google

non indiligenter ea quae ad ſecuritatem, tranquilliſtatem et vrbis commoditates ſpectarunt. Operoſius in ipſo quaeſtionis argumento enucleando verſata eſt *alia*, inſignita verbis:

ἐς Τροίην πειρώμενοι ἦνθον Ἀχαιοί.

quae a cura morum et tranquillitate (quae forte hic non commode coniunctim memoratae ſunt) procedit; ad vtramque religiones, inſtitutionem et educationem, tum cenſuram morum refert. Inde ſecuritatis publicae et priuatae curam, tum ſalubritatis, porro annonae tandemque curam vrbis, ſcilicet inſtruendae neceſſariis ad vitam, tuendae et ornandae, exponit. Multa docte et ſtudioſe eſſe conquiſita et collecta lubenter profitemur; orationis cultum maiorem curae fuiſſe malimus. Superſunt adhuc duae. Inſignita quidem altera Pindarico verſu:

ἐστὶν δ' ἀφάνεια τύχας καὶ μαρναμένων, πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι.

commendat ſe copioſa doctrina, diligentia et ſtudio eximio in conquirendis rebus ac locis ſcriptorum veterum; etiam Legum Romanarum rationem habuit, tum earum rerum, quae ad politiae notionem referri poſſunt, ambitum anquiſiuit; neque ipſi quicquam obfuit, niſi forte ipſa copia rerum paratarum, quominus ea quae ad politiae vſum non ſpectant, etſi per ſe in antiquitatis expoſitione locum habeant, reſecaret auctor, reliqua autem oratione curatiore ac politiore perſcriberet. Supereſt ea, quae inſcripta erat

Ἐστὶ δ' ἐν εὐτυχίᾳ πανδοξίας ἄκρον.

quae facile primum locum ſibi vindicat: tam accurata antiquitatis doctrina, iudicii in rerum delectu et conſtitutione ac diſpoſitione maturitate, in earum expoſitione ſubtilitate et diligentia, ea ſe commendat;

dat; oratio quoque eſt bene latina, ſatis terſa et caſtigata, qualem argumenti genus poſtulat. Huic igitur commentationi cum verſu Pindarico:

Ἐστὶ δ' ἐν εὐτυχίᾳ πανδοξίας ἄκρον,

praemium conſentientibus omnibus aſſignatum eſt; honore tamen ſecundo loco communicato cum ea commentatione, quae verſu altero ex Pindaro inſcripta eſt Ἐστὶν δ' ἀφάνεια τύχας.

Reſciſſis ſchedis exiluit nomen victoris: CAROLVS CHRISTIANVS HEVBACH, *Grunſtadio Leiningenſis.* Erat is, ſcriptione iam elaborata, ad *Gymnaſium Weilburgenſe* euocatus, vt *Collaboratoris* locum obtineret; nunc que adeo eam laudis ſuae praerogativam abſtulit, vt Gymnaſium illud praeclare ſecum actum putare debeat, cui talis docendae inuentutis auctor obtigerit. Commentationis autem altero loco commendatae auctor eſt IOANNES BINDER, Saxo Transſyluanus, Seminarii philologici Sodalis.

Cum autem Regis noſtri liberalitate Ordini Philoſophorum ſuperiore anno impertitum fuiſſet ius ac facultas praemium aliud extra ordinem pollicendi: propoſita erat Commilitonum ſtudiis alia quaeſtio:

Deſcribatur Geographi Nubienſis Africa more inter Geographos frequentato, ita vt maria, lacus, fluuii, montes, regiones, populi, vrbes ab eo commemoratae accurate, quantum fieri poteſt, finiantur; vt ſoli natura, et aeris temperies, incolarum indoles, mores et inſtituta diligenter notentur; Aegypti tamen nulla ratione habita; et ſubiunctis ex aliis ſcriptoribus non niſi iis, ex quibus lucem aliquam foenerari poteſt Geographus Nubienſis.

Duae Ordini exhibitae ſunt Commentationes: altera cum dicto:

Maiori cedendum:

Digitized by Google

altera cum verbis Abulfedae:

Scientia particulae rei cuiusdam melior totius ignoratione.

Vtraque ea doctrinae copia et lectionis apparatu eſt inſtructa, vt ſcholarum orientalium in hac academia habitarum vix vlla haberi poſſit honorificentior praedicatio. Et in prima quidem, loca per Edriſium ſparſa ſedulo ac diligenter ſatis ſunt collecta, in probabilem ordinem digeſta, et quae ad illuſtrationem facere poterant cum cura aliunde congeſta. Palmam ea iam manibus tenebat, niſi altera commentatio in medium fuiſſet adducta. Haec enim non modo illas ipſas laudes habet, verum easdem etiam maiores, et aliis laudibus inſigniter cumulatas. Nam non loca modo ex Geographo diligenter ſunt enotata, verum ſunt ea quoque ſollerter diſpoſita, et, quae ad illuſtrationem aliunde petenda erant, ſumma cum diligentia, ſagacitate et iudicio ſunt appoſita; tum vero critica adhibita eaque docta et ſubtilis cum in ipſo Geographo tum in locis aliunde allatis: quo inprimis factum eſt, vt multa auctor aliis non obſeruata obſeruauerit, rectius iudicauerit, alia emendatiora dederit. Verbo, votis et conſiliis Ordinis philoſophici auctor ita reſpondit, vt conclamaretur verius quam decerneretur praemium huic commentationi inſcriptae verbis Abulfedae

Scientia particulae etc.

At vero manet quoque honos ſuus alteri illi priori, et conſenſu Ordinis proxima laus, proximus honor, ei debetur quae inſcripta eſt verbis:

Maiori cedendum.

Erat autem is, cui cedendum fuit, qui que praemio fuit ornatus, Ioannes Melchior Hartmann, *Nord-*

linga

Digitized by Google

linga Sueuus. Is autem qui altero loco laudem meruit, Ioannes Philippvs Kvrzmann, *Thuringo-Mulhuſanus.*

Viuite felices, quibus eſt fortuna peracta Iam ſua! Inuidendam ſortem veſtram, qui virtutis ac diligentiae quisque ſuae fructus iam nunc retuliſtis, laudes publice pronuntiatas! Saepe, dum haec recitabantur, ſubibat animum cogitatio, quomodo *exultantia corda veſtra hauriret pauor!* quomodo inter ſpem metumque erecti haereretis! *Atque vtinam ex vobis vnus veſterque fuiſſem!* Redit enim animis noſtris iuuentutis olim ſine omnibus his virtutis excitandae ſtimulis exactae recordatio.

Supererat nunc ea officii pars, vt pronuntiarentur publice *quaeſtiones* in futurum annum in IV. Iunii XCII. ad concertandum vobis, Commilitones, propoſitae.

Ab iis igitur, qui de praemio ſuo concertare volent, poſtulat

ORDO THEOLOGORVM,

Vt ex certa quantum fieri poteſt hiſtoria exponant, qualem ſymbola ac regulae fidei veteris eccleſiae per tria priora ſaecula quantamque vim obligandi habuerint, quibusque ex fontibus eam traxerint; tum vero oſtendant, quo fine? quibus mediis? quaue progreſſione vis iſta ſaeculo quarto et quinto ſenſim aucta fuerit atque vlterius protenſa?

ORDO IVRIDICVS iubet

Exponi differentias inter tutelam et curatelam aetatis, nec non inter impuberes et minores, maxime ratione iurium,

quae minoribus ſine curatore in iudicio et extra illud competant; deinceps oſtendi, vtrum, et quoad, haec iura immutata eſſe cenſeri poſſint iure Germanico.

ORDO MEDICVS

deſiderat Commentationem *de Curatione Auditus difficilis.* Quidquid autem Theoriam redolet, anatomicae Organorum Auditus Structurae, vel phyſiologicae cognitioni ſuperſtructam, reſpuit. *Id requirit, vt obſeruationibus Medicorum Practicorum recentioribus et antiquioribus collatis conſideratisque ſuperſtruatur doctrina de variis ſpeciebus et curandi methodis morbi.*

Ab ORDINE PHILOSOPHORVM

proponitur primo loco quaeſtio mathematici argumenti:

Fundamenta calculi quem ab infinito nominamus. Plures, etiam qui illo adhibito ſcientiam inſigniter auxerunt, talia iudicarunt, de quibus, ſatisne firma ſint, iure dubitari poſſit. Adhuc ante aliquot annos, quaerenti ea de re Academiae Regiae Pruſſicae reſpondit dom. l'Huilier.

Graeci geometrae, *infiniti* vocabulo, eo ſenſu quo nos illud in calculo adhibemus, omnino abſtinuerunt, magnitudines vero aequales pronunciant, quarum differentiam demonſtrarunt adſignari non poſſe. Geometriae ſtudioſis cum aeque ac poetis conueniat:

exemplaria graeca
Nocturna verſare manu, verſare diurna;

deſideratur ab illis:

Oſtendere

Digitized by Google

Oſtendere quomodo iis, quae tradiderunt Evclides, Archimedes, Apollonivs Pergaevs, *innitatur calculus infiniti.*

Vix eſt vt moneatur, non poſtulari abſolutum ſyſtema calculi, ſed eruendas eſſe ex methodo et exemplis antiquorum notiones et propoſitiones, a quibus pendent praecepta calculi, tum eius qui variationum euaneſcentium rationes inueſtigat, cuius prima exempla tangentes praebent, tum alterius, qui ex variationum lege, quanta, quae variantur, colligit, vt: Superficierum et ſolidorum partes indefinitas.

Cum ex liberalitate Regia ſuperſit adhuc aliud praemium, quod Ordo Philoſophorum victori aſſignare poſſit, altera quaeſtio ab eodem eſt propoſita.

Quale ante ſex annos Palaeſtinae, nunc *Aegypti* poſcitur *calendarium oeconomicum, ex itinerariis collectum.* Quo quid nomine intelligamus, definiendum. Enotanda ſunt ex itinerariis ad omnes anni menſes, pluuiarum, coeli ſereni, frigoris et aeſtus, ſationis, floris, maturitatis meſſisque frumentorum, aliorumque edulium, arborum quoque et herbarum, quibus florent, maturosque fructus offerunt, vindemiae etiam quam quibusdam in locis Aegyptus habet, ventorum, incrementorum, exundationis et decrementorum Nili, tempora, pluuiarum adeo vtpote in Aegypto rariorum dies. Semper addendum teſtis non ſolum nomen, ſed et pagina itinerarii in quo id teſtatur.

Aegyptus cum a mari mediterraneo verſus Auſtrum per ſeptem aut octo gradus exporrecta ſit,

Digitized by Google

vnde magna coeli diuerſitas: ſemper et enotandum eſt, vbi teſtis id, quod ex eo, refertur, viderit, addito ſi fieri poteſt gradu latitudinis, in quo d'Anuillii tabulas, licet erroris non expertes, ſequi concertantibus licet. Veteres cum non eodem, quo nos, vſi ſint calendario, dies ab illis notati ad noſtrum referendi, idque ita, vt in ipſa orationis ſerie dies calendarii noſtri ponantur, veteris parentheſi incluſi addantur. Quod vt facilius ſit colligentibus, ſciant, veteri calendario ab anno inde 1700 dies vndecim, ante illum dies decem, aut ſeculo remotiore pauciores addendos eſſe, vt noſtri calendarii diem habeamus; calendario autem vetere vſos eſſe omnes vsque ad annum 1582, euangelicis ſacris addictos in Germania, Danos, Batauos, vsque ad annum 1700, Britannos, vsque ad annum 1752, Suecos vsque ad annum 1753.

Ratio argumentum tractandi, et enotata ex itinerariis diſponendi, qua in calendario Palaeſtinae Buhlius et Walchius vſi ſunt, cum placeat, bene fecerint concertaturi, ſi haec ſcripta anno 1785 publici iuris facta, legerint: gratum quoque futurum lectoribus, eorumque cauſſa ordini philoſophorum, talem ſi indicem adiecerint, qualem ſuo calendario Walchius.

Librorum autem, quorum vſus aliquis eſſe poterit, recenſum dabit harum rerum ſtudioſis Meuſelii bibliotheca hiſtorica. Etſi poſt Forſkalium ſubſidia alia acceſſerunt. Diſperſim nonnulla reperiri poſſunt in *Notitiis et Excerptis bibliothecae Regiae Pariſienſis* nuper trinis voluminibus vulgatis; tum in *Abdollatiphi*

latiphi Compendio memorabilium Aegypti edito a White. Comparanda quoque duo Calendaria ſunt, nec tamen pro exemplo, quod ſequamini, proponenda, alterum in *Aſſemanni Catalogo bibliothecae Nanianae* To. I. p. 31 — 44. alterum in *Notitiis et Excerptis bibl. R.P.* modo memoratis To. I. p. 256 ſq.

His quae noſtri erant officii ita peractis, Commilitones, agite, nunc curate ac proſpere peragite ea, quae veſtrarum ſunt partium. Nec tam praemia propoſita putate eſſe id, quod maxime ſit ſpectandum, quam veſtrarum ingenii et animi virium intentionem, ipſoque vſu et experimento corroboratarum et elaboratarum expolitionem et moderationem. Saepe etiam latent in mentibus virtutum ſemina, ingeniorum igniculi, quibus eliciendis deeſt opportunitas; admoto fomite, excuſſa ſcintilla, vivida ac lucida exilire poteſt flamma. At alius leuitate animi aut vanitate inflatus nihil non infra ſe poſitum arbitratus, cum ſe, Famae more apud poetam, ſuper hominum capita incedere putat, ecce ipſis rerum experimentis edoctus, antequam euolet, humi ſibi rependum eſſe videt.

Ceterum huius diei ſollennibus inuitati vota facimus ſupplices deumque O. M. precamur, vt horum bonorum auctorem et ſoſpitatorem, Regem, ſeruet ſoſpitem et incolumem, vt ſtatum ſuum reſp. teneat immotum et inconcuſſum, atque academia noſtra votis publicis priuatisque reſpondeat; rebus autem rite ac proſpere geſtis curatisque, fructus conſiliorum, curarum et laborum ſuorum, vnusquisque conſequamur vberrimos.

P. P. in Georgia Auguſta X. Iunii cIↄIↄ ccxci.

XVI.

Digitized by Google

XVI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. STEPH. PVTTER D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
HENR. AVGVST. WRISBERG D.
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS
IN A. D. II. IVLII CIↃ IↃ CCXCI.

Comparatur deportatio in nouam Cambriam auſtralem cum deportatione Romanorum in inſulam.

Libertatis ſuae caput haud vltimum, Commilitones, reſpublicae conſtituere ſolent in hoc, quod nec magiſtratus habent perpetuos nec niſi a ſe et e ciuium numero creatos. Cum ciuitas academica omnino ſpeciem reipublicae ſeu principum auctoritate ſeu populi ſuffragiis, ſub rege iisque, quibus ſumma poteſtas eſt mandata, ſuas res adminiſtrantis, prae ſe ferre videri poſſit: more fere communi magiſtratus academici non niſi annui aut ſemeſtres eſſe ſolent.

Digitized by Google

ſolent. Quo ipſo eorum, quibus magiſtratus hi mandantur, vtilitatibus conſulitur, ne a curis et ſtudiis ſolitis illi ad alia auocati diutius, quam par erat, detineantur. Eſt itaque dies iſte inter iucundiores habendus, quo, iuſto tempore exacto, magiſtratus inſignia deponuntur; multoque ille magis laetus ac ſollennis, ſi, ſalua et incolumi republica, proſpero rerum curſu, inter omnium fauentium ſtudia, magiſtratu decedere contigit. Eſt ea ipſa rerum conditio ac facies pro auſpicio ſecundo habenda ei, qui in abeuntis locum ſuccedens magiſtratum ſuſcipit. Hoc itaque nomine gratulamur noui magiſtratus laeta auſpicia Viro Illuſtri et Experientiſſimo,

HENRICO AVGVSTO WRISBERG D.

qui nunc reip. academicae curam ſuſcipit, eo cum animo ac voluntate, vt, quicquid Georgiae Auguſtae vtilitatibus, commodis, ſplendori, ornamentis, veſtris autem, Commilitones, commodis et ſtudiis, ſua opera ac cura accedere, a ſe parari poſſit ac proſpici, id a ſe ſedulo curatum et effectum iri, ſancte et ampliſſimis verbis polliceatur. Nec minus itaque vos ei promittetis ac ſpondebitis obſequium et amorem, conſentietisque et conſpirabitis in idem propoſitum retinendi et ſeruandi tranquilli rerum noſtrarum ſtatus, quo litterarum ſtudia ſine omni interpellatione et auocamento ingenia veſtra teneant, oblectent et ornent, nos autem muneribus et officiis noſtris religioſe obeundis induſtriae ac virtutis fructus optatos rite capiamus. Cum autem magiſtratus capeſſendi auſpicia ſollennia craſtino die facienda ſint publice, pompa in templum academicum ducta: iis vt frequentes fauenteſque adeſſe velitis,

Digitized by Google

tis, ſuo quisque loco, Commilitones, ſtirpe et genere, animi ingeniique dotibus conſpicui noſtrarumque rerum amantes, humaniſſime a vobis rogamini. Inter ipſa muneris auſpicia nouus Prorector ſuſcipiet vota pro rep. quibus vt faueatis fides ac religio noſtrique amor ſuadere debet. *Dux ea pro cunctis: eadem ſibi quisque vouebit.*

Facto hoc, quod iuſſi eramus, praeconio, aliud eſt officium, quod mos academicus, nec temere tamen ille aut conſtitutus aut ſeruatus, iniungit, vt diſputationem ſuper re ad communia ſtudia ſpectante inſtitutam iis, quae publice pronuntiata ſunt, ſubiungamus. Petamus, agedum, argumentum a re multis paſſim ſermonibus agitata, deportatione reorum apud Britannos in Nouam Cambriam auſtralem Regis iuſſu Conſiliique Regii auctoritate Senatusque populi ſcito ac decreto ſancita.

In poenis, quae criminibus et facinoribus conſtituuntur, ex ipſa eorum natura, culpae et reatus grauitate ac reip. vtilitate, definiendis, laborat ſapientiſſimorum hominum ſollertia, multo magis in emendandis quae de iis latae ſunt legibus. In noſtrarum quidem ciuitatum regnorumque primordiis, cum omnino prudentium conſiliis pauca, pleraque more et exemplo ſubitis caſibus nato, conſtituerentur, poenarum et ſuppliciorum genera adoptata ſunt, quae, barbarorum populorum ferocia, truculentorum dominorum ira et cupiditate inuenta, vſus frequentauerat, nec omnino de rationibus criminum et poenarum eſt laboratum. Conſuetudo enim, excluſis ſaepe melioribus, praua quaeque tanquam aliqua

aliqua ſanctitate ac religione imbuit, omnemque prudentiorum plerumque conſiliis viam intercludit. Expeditiſſimum et facillimum genus poenae viſum, morte plectere; adinuenit iraſcentium et ſaeuientium aſperitas aut immanitas varia genera, quibus, vt quis mori ſe ſentiret, efficeretur. Non magis in plerisque populis aut principum et magiſtratuum aut eorum, qui leges interpretarentur, ingenia de minorum criminum poenis ad certam aliquam normam conſtituendis ſollicita fuerunt. Adeo ira et cupiditas fecerunt et leges, et legum interpretationes; iudicio recto, et aequitatis ſenſui, et humanitati, interdum nihil plane relictum.

Ex quo tamen ſapientium ac prudentium virorum ſtudia ad hoc legum genus emendandum conuerſa ſunt, cum de nouiſſimis ſuppliciis aut tollendis aut minuendis et mitigandis ageretur, difficultates incredibiles ſunt exortae, quoties poenae capitali ſubſtitueretur aliud poenae genus, et quaereretur, ſatisne ea ſecuritati publicae eſſet proſpectum, et poſſetne illud ſine grauioribus impenſis ac moleſtiis ciuium adhiberi. Multo autem magis, quoties in rem praeſentem eſt ventum, ad intelligendum promtum fuit, innumeris difficultatibus hoc legum emendandarum genus obſeptum eſſe. Nam eorum, qui ad perpetuos carceres, vincula, labores, ergaſtula, metalla, damnantur, cuſtodia tantos ſumtus erogandos requirit, vt bonorum ciuium fortunas haud mediocriter afflictura ea ſit. Quaeſitum quoque eſt, an graviori capitali noxae, niſi per capitis ſupplicium, digna ſatis poena conſtitui poſſet; neque tamen placuit

Ioſephi

Ioſephi II. acerbitas, in hac ipſa cuſtodia ſupplicium omni ſupplicio atrocius ſciſcentis. Vita enim inter diriſſimas aerumnas ac cruciatus per multum tempus producenda plus atrocitatis habet, quam mors inter ſaeuiſſima tormenta ſemel inflicta. Alia incommoda aliunde ſubeunt; in plerisque ciuitatibus et regnis ne locum quidem habent exilium, fuga, proſcriptio, et huius generis alia. Similiter res ſe habet in aliis poenarum generibus, quae reprehendere facile, difficilius eſt emendare.

Vnum eſt genus emendandi quod latiſſime patet: modo res publicae legum ferendarum et emendandarum rationes ad illud ſedulo referre aut vellent aut poſſent! bonis, inquam, inſtitutis ac moribus plus tribuendo quam legibus; multitudinis inſtitutione publica priuataque; cura ac ſollicitudine in acuenda induſtria, in procurandis materiis, in quibus illa exerceri poſſit, in exquirendis et expediendis exportationis modis et victus quaerendi auxiliis; proſcribendo ditiorum luxu, potentiorum iniuriis, quas barbarae leges ſanciuerunt, ſublatis, plebis commodis plus quam paucorum vtilitati conſulendo, omninoque proſpiciendo, ne ſint, qui ex ſocietatis ciuilis congregatione non niſi mala ac moleſtias ſentiant, bonorum nihil aut parum. Horum deſpondentes aut fractos aut efferatos animos; circumſtantibus et vrgentibus ſuis ſuorumque neceſſitatibus, dum alios omni luxuriei genere diffluentes ſibi ſuperbe illudere vident, in ſcelera et facinora ruere non magis mirabimur quam aliorum luxu ac libidine corrupta ingenia. Eſt autem optabilius, vt proſpiciatur,

ciatur, ne ſcelera ſubnaſcantur, quam de hoc vno cogitare, quomodo illa, enata iam et adulta, ſint acerbe caſtiganda. Proximum eſt, cauere, ne ipſis poenis et ſuppliciis infligendis reip., cuius vtilitati conſultum ibatur, maior noxa inferatur, dum ciuium numerus minuitur et ſubducuntur hominum operae, vnde fructus et reditus publico ſunt expectandi. Expeditum ac facile eſt homines de medio tollere; ſalubrius, curare et efficere, ne triſtis illa neceſſitas ingruat. Praeſtant ceteris eae poenae, quibus et emendantur noxii et ſaniores ciuitati olim reſtituuntur. Capitalibus ſuppliciis imperia vacare non poſſe, ipſa Gallofrancorum populi comitia iudicarunt; quid de ceteris conſtitutura ſint, propediem audiemus. Interea eſt aliud in facinoroſos animaduertendi genus apud Britannos, quod ab aliquot inde annis audientium animos aduertit, deportatio ad nouam coloniam condendam in Noua Cambria auſtrali *a*), quae Nouae Hollandiae, non tam inſulae quam magni continentis, orientalis pars eſt. Nouum prorſus genus poenae infligendae, admirabile et commendans ſe multis vtilitatibus; ad quod tamen excogitandum facile adducere potuit ſuperiorum temporum mos et vſus, tum, illo ſublato, ſubnata neceſſitas. Iam inde enim a ſaeculi ſuperioris initiis deportandi reos in Virginiam mos

a) *New-Sudwales:* in ſinu *Jackſons-bay* dicto, quem praeſtare vidit altero ſinu antea coloniae collocandae deſtinato *Botanybay*, praeſes ac legatus regius *Arthur Phillips*, condiditque iam in eius littore nouam vrbem *Sidney Cove*.

mos inualuerat, ſanctione legis accedente ſub a. 1619. Nuper autem Americanis prouinciis imperio Britannorum ſe abdicantibus, reorum et damnatorum numero indies creſcente, de alio deportationis genere erat cogitandum: nec excogitari facile potuit aliud magis accommodatum, quam hoc, vt illi ipſi, qui deportarentur, nouae coloniae condendae conſilio coniuncto amandarentur, eo quidem in loco, qui et vndique mari clauſus et a patria ſatis longinquus et ipſis nauigationis vtilitatibus proficuus haberi poſſet. Nihil, quod cum tali conſilio comparari poſſit, aut praeſens aetas habet, aut veterum hiſtoriarum memoria; nec ſane in id incidere potuit niſi populus maritimus et nauigatione potens. Relegandi quidem morem omnes norunt populi; at ſolitudines, ad quas rei ablegentur, non habent forte alii praeter Ruſſos, apud quos in Sibiriae ſolitudines amandantur damnati. Multum tamen abeſt vt hoc deportandi genus ſiue ad humanitatis ſenſum ſiue ad publicas vtilitates pari conſilio inſtitutum ſit; vt verendum potius ſit, ne relegatorum numero aliquantum aucto nouarum rerum ſemina his ipſis in deſertis Aſiae ſint ſparſa. Sublatus quoque magnus hominum numerus, cum fructu ex iis ſperando; multarumque manuum vtilis opera hoc inſtituto eſt intercepta. Cultui autem locorum ſaltem primis experimentis tentando, verendum eſt, vt non modo prouiſum non ſit, verum etiam obnuntiatum. Imperantium quidem clementia multa mitigari haud cunctanter nobis perſuademus; leges tamen ipſae ſunt atroces et ipſius imperii rationibus aduerſae: ſi modo fides habenda

eſt

eſt iis, qui hiſce de rebus tradiderunt. Nam non modo omnino caput non habent exules, verum, etſi alii alia deportati conditione ſunt, proſcriptis ſimiles, qui diis Manibus ſacri erant, omnium iniuriis ſunt obnoxii, nec iniurias illatas poſſunt vlciſci; cum impune eos occidere liceat; nec acquirere quicquam poſſunt nec poſſidere, ita vt aliis liberum ſit labore parta iis eripere; ſunt quoque ab omni liberorum capitum commercio ac conuictu excluſi, adeoque aqua et igni interdicti; tandem duris et aerumnoſis laboribus non vnius generis ſunt addicti, vnde et victum ſibi parent et annuum tributum, ſeu multam dixeris, fiſco inferendam ſoluant. Praeſidum ac praefectorum humanitate, ipſiusque naturae humanae, niſi ira et cupiditate efferata ſit, lenitate ac miſericordia, legis immanitas dudum eſt mollita; improbis tamen et auaris obnoxia eſt exulum miſera conditio; ad frequentandas autem incolentibus terras expectantur meliora conſilia.

Habent forte alia imperia, aliae terrae, affine aliquod relegandi genus, quo vti poſſint, ſi in loca inculta, ſolo ac caelo inclementiore horrentia, cum tamen ſtrenuo et laborioſo terrarum cultu emendari poſſint, deportentur damnati, vt in iis nouas ſibi ſedes parent. Ita ericeta, deſerta arenoſa, terrae vliginoſae et aquarum eluuie paludoſae, mortis periculo ab omni parte laborem et operam detrectantibus propoſito, cultum forte aliquem poſſint induere. Videndum adeo, annon ii, qui vinculis haberi et ad publica opera damnari ſolent,

ad ſabuloſas et paludoſas ſolitudines amandari poſſint, quarum cultu inter aerumnas et labores, omni opere publico grauiores, vtiles tamen, operas poenae loco praeſtent. Verum videamus tempora antiqua, an quicquam occurrat, quod cum hoc Britannorum conſilio poſſit comparari. Habet enim aliquantum voluptatis comparare antiqua cum recentibus, et cognoſcere quid aut eodem aut alio modo geſtum factumue ſit. Interdum etiam incidimus in aliquid quod noſtra aetas forte nec ipſa reſpuat.

Antiquioribus temporibus, mitioribus belli iuribus nondum conſtitutis, cum victos aut occidere, aut in ſeruitutem vendere mos et fas eſſet, nec victor haberet quomodo victos praeſidiis diſpoſitis in obſequio retineret, aut terras occupatas in prouinciam redigeret, ſollenne erat, populos victos deportare in alienam terram incolendam; ſuppetentibus nimirum terris adhuc incultis aut hominum infrequentia laborantibus. Qua in re, cum nondum inſtrumenta et adiumenta vitae, quibus nunc vtimur ab arte excogitatis, parata eſſent, incredibiles exiſtere debuere aerumnae, incolentium loca aſpera, ſentibus obſita, caeli inclementiae obnoxia. Non mirum itaque, ſi Hebraeorum in Chaldaeam deportatorum querelis adhuc reſonant libri ſacri. Meliore forte loco erant illi, qui in terras ab iis relictas, cultu tamen ſuperiorum temporum nitentes, mittebantur. Ab Aegyptiis inſtitutum eſſe narratur mature, vt rei in deſerta relegarentur; nec tamen nunc vacat in haec diligentius inquirere.

Poſſunt

Digitized by Google

Poſſunt ipſi Iſraelitae, qui in Arabiae deſerta diſceſſerant, ex Aegypto relegati videri; celeri tamen, etſi inutili, regis poenitentia: Verum eſſet hoc nihil aliud quam in verbis ludere velle; veluti ſi Adamum primum omnium exulem ſeu relegatum dixeris; aut, philoſophi dicto vſus, ſi animae exilium in corpore appellaueris, aut cum poeta mortem aeternum exilium.

Inter Graecos exilii poena, inprimis in caede, quam quis imprudens fecerat, propoſita, intra priuationem patriae ſubſtitit, vt liberum eſſet quo quis vellet abire; cumque leges Athenienſium de criminibus ceteroquin eſſent valde acerbae, ea tamen fuit haec poena humanitate temperata, vt nec exulem extra fines deprehenſum occidere liceret: (Demoſth. in Ariſtocr. p. 631 ſq. ad quem multa Petit. de LL Att VII. 1, 6. ſq.) Coloniae autem aliis de cauſſis, ſeu neceſſitatis ſeu vtilitatis, deductae ſunt, nulla ad deportandos reos. Philoctetis in inſula Lemno relicti calamitas cum deportatione non conuenit.

Contra nullus facile eſt populus, qui in hoc poenae genere, quod ad exilium, relegationem et deportationem ſpectat, tantopere elaborauerit, quam Romanus; etſi nec ille eo deuenit, vt colonias damnatorum conſtitueret. Plebem quidem egenam et nouarum rerum auidam interdum in coloniam deductam eſſe conſtat, vti et ipſius Romae primordia a nonnullis ita facta tradi, vt e vicinis vrbibus proſcripti et exules in nouam vrbem confluxerint. Serioribus aetatibus ciuium inuenta ſunt exilia varii

 generis,

Digitized by Google

generis, de quibus traditum eſt a multis *b*): nos hoc quidem loco videbimus, an, temporum rerumque ratione habita ac diſcrimine diligenter facto, paullo planius de his tradi poſſit. In libera republ. *exilium* non ſupplicium fuiſſe ſed effugium portumque ſupplicii, notum eſt, vel ex Ciceronis verbis (pro Caecina c. 34). Si tamen exilium poenae loco indiceretur: *aqua et igni interdicebatur:* quae poena, etſi, quando primum irrogata ſit, non conſtat *c*), ab initio tamen nondum cum vitae periculo coniuncta videri debuit, quamdiu anguſti eſſent ditionis Romanae fines; confugere enim potuerunt relegati ad vrbes ſociorum, Praeneſte, Neapo-

b) Vulgaria in libellis antiquitatum Rom. et Iuris Romani apponuntur; add. Schulting. Iurisprud. Anteiuſt. p. 47. Theophil. I, 16, 2. et Intpp. inpr. Huber. Digreſſ. III, 7. p. 166 ſqq. Gryphiander de Inſulis c. 16. in multis emendandus; primo tamen loco Nic. Antonius de Exilio (Antw. 1659. f.).

c) Nam, etſi vtuntur vocabulo hoc ſcriptores, non tamen liquet, ſuine potius temporis more loquantur: vt Livius XXV, 4. ſub a. 540. in M. Poſtumium publicanum ita animaduerſum eſſe narrat, vt plebes ſciſceret, *videri eum in exilio eſſe, bonaque eius venire, ipſi aqua et igni placere interdici.* At vere ac propriis verbis C. Gracchus de P. Popillio, et Saturninus Trib. pl. de Metello Numidico apud Rhodios exulante tulit, vt aqua et igni ei interdiceretur: (Cic. pro domo c. 31. Liv. Epit. 69. Appian de B. C. I, 31.) Ciceroni cum aqua et igni interdictum eſſet lege Clodia, ad ſolam Italiam interdictum ſpectauit; nam in ipſa lege adiectum fuit: vt quadringentis millibus paſſuum ab Italia abeſſet. Iisdem Clodianis temporibus prima occurrit relegatio: cum L. Lamia a Gabinio Coſ. relegatus eſt: *quod ante id tempus ciui Romano contigit nemini:* noto loco Cicer. Epp. ad Div. XI, 16. Videtur ſola vrbe homini interdictum fuiſſe.

Digitized by Google

Neapolin, Tibur et alias: vt ipſe Polybius (VI, 14.) monet. Etiam, Italia iam perdomita, Maſſilia reſtabat aliaeque Galliae vel Hiſpaniae vrbes foederatae. Creuit poenae acerbitas, quo latiores facti ſunt fines. Mox cum factionum principes inter ſe certarent, ea fere, cuius res ſuperior facta erat, in aduerſarios ſaeuire, aliorum caedes patrare, alios proſcribere, in exilium agere, bonis exuere. (Appian. B. C. I, 2.) Grauiſſima quaeque, quae ſtatuerent in alios, populi fere lege, comprehenſa erant ſub nomine *perduellionis*, vt aliquis reip. hoſtis iudicaretur: quo facto eum impune occidere, aut ad magiſtratum retrahere, licebat: (id. I, 60.) Primus Sulla auſus eſt *proſcribere* aduerſariorum capita praemiis quoque propoſitis percuſſoribus et indicibus (Appian. I, 95). Ita perduelles perquiſiti, etiam profugi, et trucidati. Altera fuit proſcriptio Triumuirorum Octauiani, Antonii et Lepidi, cuius formulam habemus (ibid. IV, 8 ſqq.) "*Ergo, quod fauſtum felixque ſit: Ex his, quorum nomina huic ſcripto ſubiuncta ſunt, nemo quenquam domum recipito, neue celato, neue ablegato* (hactenus eſt vera interdictio aqua et igni), *neue pecuniis corrumpitor: quisquis autem vel ſeruaſſe, vel adiuuiſſe, vel conſcius fuiſſe deprehendetur, eum nos absque vlla excuſatione veniaque in proſcriptorum numerum referemus. Capita vero percuſſorum ad nos adferunto accepturi praemium.*" — Quod inſuper bona proſcriptorum publicantur, in hoc edicto, quantum quidem inde ſeruatum eſt a ſcriptore, non memoratum.

Rerum ſumma ad vnius imperium delata, habitum eſt inter dominationis praeſidia, ſeu reos ſeu

nouarum rerum ſtudiis ſuſpectos aut libertatis nimium memores, libertate variis modis circumſcripta coercere: Itaque iuſſus aliquis domo, agro, oppido, ſe continere, aut vrbe, etiam Italia, intra certum diem abire, modo prouincia excedere, certo loco abeſſe aut extra loci fines non vagari. Ita tandem res ad *relegationem* et *deportationem* rediit; vocabulis enim certis, inprimis iuris, opus erat, quibus diuerſi poenae gradus deſignarentur; fuere crimina, quibus poena conſtituta relegatio: in his inprimis adulterium L. Iulia (de qua v. Io. Guil. Hofmann. c. 4, 8. p. 86).

Totius huius generis ſubtilitas Auguſto debetur, Liuiae conſilio ſubnata (V. C. 757.), Dione ita tradente (lib. LV, c. 20. cf. 18.) ex ipſis Auguſti, vt apparet, commentariis: cum illa, "*via hac, ſecuritati ſuae principem ſine ſuppliciorum atrocitate et aliorum odiis melius proſpicere docuiſſet, ſi aut in villam et oppidum, aut in inſulam concluderet aliquem, non modo absque pecuniae et ſeruitiorum copia, ſed etiam cum cuſtodia: — quis enim hominem metuat nudum, priuatum, in medio imperii verſantem et armis Principis circumſeptum?*" Hac mulierculae calliditate, quanta multorum bonorum innocentiae pernicies fuit parata! Inde enim ſub malis principibus *plenum exiliis mare, infecti caedibus ſcopuli:* vt Tacitus Hiſt. I, 2. Ab hoc inde tempore *relegatio* et *deportatio* ad certa genera conſtituenda frequentari coepit; relegationis quidem poena mitior, non modo libertate (ciuili puta), ſed et ciuitate ſeruata, ita vt manerent omnia integra, ſalua quoque plerumque bona; at depor-

Digitized by Google

deportato ademta ciuitas, adeoque iura quae ex ea proficiſcuntur; relicta tamen libertate; nam ſeruitutem non irrogat deportatio; quam tamen et ipſam amittebant, qui *ad metalla aliaue opera publica erant damnati:* poenae quidem genere ad remp. vtili, modo non arbitrio iudicis aut principis relictum ſit. *Exilii* nomen, modo latius, modo anguſtius acceptum, tandem proprie de deportatione adhiberi coepit; ita, quod vel ex notis Ouidii verſibus conſtat, alius fuit exul, alius relegatus *d*). Deportatio poena erat capitalis, et capitis deminutio media. Verum haec vel tironibus nota. Videamus de ſubtilitate cauſſarum ac generum, quam in genus poenae, tam ſimplex, induxit principum cupiditas aut Iuriſconſultorum calliditas.

Relegationem quidem multis modis, inprimis locorum ac temporis diuerſitate, laxari vel adſtringi

S 5

d) Hinc interpretatio legum pro repugnantibus habitarum petenda. Marciani eſt altera L. 5. D. de interdict. et relegat. et deport. altera Vlpiani ibid. L. 7. comparato Theophili loco ſupra memorato: de quibus poſt tot virorum doctorum diſputationes videndus Cannegieter (Obſſ. J. R. I, 8.) Breuiter res ſic expediri poſſe videtur: Vlpianus *duo* genera *relegatorum* conſtituit; excludit adeo deportatos; at Marcianus latiore vocabulo *exilii* vtitur: *Exilium triplex eſt: aut certorum locorum interdictio* (quod relegationis genus eſt et alio modo fuga lata dici poſſet cf. loca ap. Noodt Probab. J. III, 3.) *aut lata fuga, vt omnium locorum interdicatur praeter certum locum* (h. fugatus eſt late, ab omnibus aliis locis, dum in vnum oppidum vel terram eſt incluſus, ſeu relegati ſeu deportati nomine), *aut inſulae vinculum, id eſt, relegatio in inſulam* (eſt haec deportatio; vſusque adeo eſt ICtus vocabulo relegationis improprie; niſi aliunde adiectum eſt).

Digitized by Google

ſtringi potuiſſe obium eſt. Potuit aliquis interdici a certa aliqua terra, a prouincia, ita vt liberum eſſet, omnes alias terras adire; potuit etiam relegari in agrum oppidumue Italiae, interdictus ab omni alio loco; mox et in inſulam includi *e*). Potuit etiam Praeſes relegare extra prouinciam, non vero deportare in inſulam, extra prouinciam ſaltem ſitam: (qua de re ex Vlpiano multa ſubtiliter tradita ſunt in D. h. tit.) At enim grauius aliquid addi coepit in deportatione, qua aliquis in inſulam non relegatur, ſed *deportatur*, naui puta, vnde nomen poenae ſubnatum eſſe probabile ſit; quod ciuitate priuatum reum, et quidem in perpetuum, et bonis publicatis, cuſtodia quoque appoſita, declarabat. Quas immanis ſupplicii notiones vnde tandem ortas et ductas eſſe putabimus?

Vulgo creditum eſt, *in locum interdicti ab aqua et igni ſucceſſiſſe deportationem*. Immo vero *deportationem acceſſiſſe* et cum eo coniunctam fuiſſe dicendum erat *f*). Scilicet aliud eſt, *interdici a certis locis* aut *ab omnibus locis praeterquam vno;* aliud *interdici aqua et igni*, quod idem eſt atque, interdici ab omnibus locis ac terris. Cui aqua et igni interdictum eſt, non habet intra imperii fines quo refugiat; ne itaque in hominum miſericordia ſpem haberet, qua, vt exemplo

e) Itaque *demoueri*, *ſummoueri* dicitur aliquis; iuſſus vrbe, Italia, decedere; *interdicitur* vrbe, agro, prouincia: (v. vel Briſſon.), alius *vrbe exigitur*, *Italia prohibetur*. Cf. Cannegieter l. c. Faber Semeſtr. II, 5. p. 104. Cf. ad L. 7. D. de interdict.

f) Quod recte viderunt recentiores, et iam Huber. in Digreſſ. III, 9.

plo vtamur, Metellum Rhodii complexi erant, prouiderunt inter bella ciuilia ii, qui in proſcriptionis tabulis mortem minarentur eis, qui proſcriptos domi reciperent. Qui metus ſi nullus eſſet, fieri vtique potuit, vt aliquis ad exteros populos, ad barbaros, ad Parthos, perfugeret. Additum igitur interdicto hoc, *vt inſula includeretur* damnatus: vnde toties apud Tacitum (vt III. Hiſt. 38.): *aqua et igni interdictum, appoſitumque vt teneretur inſula g)*. Atrociora deinceps adiecit principum ſaeuitia, initio ſeueritatis ab Auguſto facto V. C. 765. apud Dion. LVI, 27. Quum enim audiiſſet permultos exulum partim extra loca, in quae deportati fuerant *h*), commorari, alios in iis ipſis delicatius viuere: edixit, "*ne quis eorum, quibus aqua et igni eſſet interdictum, in continenti degeret, aut in inſula vlla, niſi quae vltra L. millia paſſuum ab continente diſtaret; ſolis tamen inſulis Co, Rhodo, Sardinia et Lesbo, exceptis; neue exul aliquo traiiceret, aut plures naues, quam vnam onerariam, mille amphoras capientem, et duas actuarias, neue ſeruos aut libertos ſuper XX. haberet; ne plus quingentis millibus numum poſſideret; minatus poenam et ipſis exulibus, et iis, qui contra legem in vlla re ipſis auxilio fuiſſent.*" Ab hoc tempore, nomine poenae manente, nouata ſunt plurima, cum haberentur rei in inſulis

g) Ex his illuſtrandus eſt Theophilus in loco vexato I, 16, 2. cum diſcrimen infert inter deportatum et aqua ignique interdictum: de hoc monens: ὁ δὲ — παντὸς εἴργεται τόπου: recte vtique; itaque adiecta interdicto deportatio in certum locum, in inſulam.

h) Videtur enim voc. ἐξορίζεσθαι h. l. ad vnum deportatorum genus ſpectare, et fuiſſe, qui ſimpliciter *in inſulam* (maris Aegaei aut alterius maris) relegarentur aut deportarentur.

Digitized by Google

inſulis aſperis, aut verius ſcopulis, nullo hominum cultu frequentatis, bonorum non parte modo ademta, ſed omnibus bonis publicatis, vix relicto, vnde ali et neceſſaria vitae parari poſſent, ita vt multi fame et inedia enecarentur. Exercita talis immanitas, ſeverius etiam quam lex (Iulia de adulterio) iubebat, in ipſam Iuliam Auguſti (Tacit. I, 53. Sveton. Octav. 65. Tib. 50.) et alteram Iuliam neptem (Tac. IV, 71.) Occurrunt quoque exempla auctae in eodem reo ſeueritatis, vt in Caſſio Seuero, *qui — vt Cretam admoueretur, effecerat;* (fuit adeo relegatus in inſulam) *atque — bonis exutus, interdicto igni atque aqua, ſaxo Seriphio conſenuit:* (Tacit. An. IV, 21.) Aliis ſubmiſſi qui eos occiderent: quorſum ſpectat, quod ſupra e Tacito memorauimus: *plenum exiliis mare, infecti caedibus ſcopuli.* Inter remotiora exilia, ſeu relegationis ſeu deportationis, fuere Oaſes Aegypti, quibus qui incluſi erant per deſerta Libyae reditum non reperiebant: (vid. Nic. Antonius c. 14, 16. cf. ad L. 7. §. 5. D. de interdict.).

Abſunt haec omnia longe a prudentia hac Britannorum noſtri aeui, qua non ſinguli, ſed magnus damnatorum numerus, certo conſilio, ex publica vtique vtilitate, in inſulam, non ſterilem et ſaxoſam, vt fame enecentur, ſed ad terras cultu frequentandas, non in inſulam intra imperii fines, ſed in altero orbe ſitam, cum ſpe et poenae exhauriendae et libertatis ciuilis et laetioris fortunae, relegantur. Cuius inſtituti, ſiquidem ſucceſſu ſperato haud deſtitutum fuerit, multae et magnae eſſe poſſunt vtilitates, multa ad nauigationem commoda;

poteſt

Digitized by Google

poteſt fundamentum eſſe iactum commerciorum cum inſulis per iſta maria; poteſt aliquando cultus generis humani nouus ex hac inſula ortum et cauſſas ducere; quid quod, vt Roma aſylo aperto per latrones et fugitiuos prima incrementa cepiſſe vulgo narratur, magni poſt plura ſaecula imperii per hos deportatos ſemina iacta eſſe poſſunt, vnde relegabuntur in Britanniam iudiciis Cambrienſium damnati.

Inter haec, Commilitones, ſi, in his noui magiſtratus auſpiciis, nominibus infauſtis parumque auſpicatis relegationis et aliis vſi eſſe videbimur: nolimus hoc ad religionem trahi, nec metum animis iniici. Abſit omen, nec illud accipimus. Integritas, innocentia, virtus, non habet cur tali ſuperſtitione tangi ſe patiatur. Contra fauſta quaeuis et ſecunda omnibus ac ſingulis ex noui magiſtratus auſpiciis portendi haud cunctanter aſſeueramus.

P. P. in Georgia Auguſta: Kal. Iuniis cIↄIↄccxcI.

XVII.

XVII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
HENR. AVG. WRISBERG D.
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
LIV
IN A. D. XVII. SEPTEMBR. cIↄIↄCCXCI
CELEBRANDA
RITE INDICIT

Reges a ſuis fugati externa ope in regnum reducti.

In ea tempora, Commilitones, vita veſtra incidit, quae, miris rerum conuerſionibus, inopinatis caſibus, conſiliis et euentibus fecunda, ſagaciori cuique et prudentiori maturam rerum experientiam et vſum parare poſſunt; expectari itaque a vobis poteſt, vt, quae patres veſtri multa ac varia lectione et auditione per magnam aeui partem comperta in vſus ſuos vertere ſolebant, ea vos rerum magnarum caſuumque copia et varietate edocti mature in memoriae et experientiae penum recondatis; ſuppetit quoque nunc rerum geſtarum maior et accuratior notitia, quam vnquam alias, et mature ſatis; ipſae ſubdolae calliditatis artes tectae intra breue tempus e latebris in lucem protractae patent. Ea porro iudicii

iudicii libertas ac veritas eſt, vt ea prudentia ciuilis, cuius laus malis artibus, improba vafritie et clandeſtina prauarum machinationum inſtructione continetur, nunc diris omnium bonorum deuoueatur. Itaque, quam patres noſtri in caelum laudibus efferebant, Verſalienſis conſilii ars politica nemini paullo ſagaciori nunc magnae erit admirationi *a*): cum multo maiorem ingenii vim et ſubtilitatem requiri intellectum ſit ad conſilia excogitanda et exſequenda, quae veram ac perpetuam, nec *paullo poſt poenitendam*, vtilitatem habeant. Multa porro, quae in praeteritarum aetatum hiſtoriis vix ſemel aut raro commemorata legimus, in hanc, quam viuimus, aetatem magno numero ſunt cumulata. Videramus ſuperioribus annis in magno rege, quid in difficultatibus expediendis pace belloque virtus et conſtantia valeret; vidimus inde alia ex aliis bella ſata, vtilitates vanas immenſis apparatibus quaeſitas, conſilia, quorum exitus ſiniſtros prudentior quisque facile praeuidebat, alia, virtute ac conſtantia aduerſariorum partim retuſa partim eluſa. Patere dixeris et his exemplis conſiliorum, quibus ad ſuſpectas et moleſtas aemulorum opes ſubruendas bella feruntur humanitati deteſtanda, vanitatem; firmantur enim illae his ipſis difficultatibus; quoniam, ad eas ſuperandas, vires exſerere et intendere neceſſe eſt; quo fit, vt ipſa illa gloriola, quae ex calliditate ſerendarum diſcordiarum et mouendorum

a) Vtaris verbis Senecae praef. lib. III. Nat. Qu. *Magna iſta, quia parui ſumus, credimus. Multis rebus, non ex natura ſua, ſed ex humanitate noſtra magnitudo eſt* etc.

rum odiorum bellorumque concitandorum, quibus frangantur imperia inuiſa, petitur, vix habeat quod ſucceſſu ſuperbiat. Per haec ipſa tamen, quanta populorum excidia facta ſunt! quae terrarum vaſtationes, caedes, rapinae! quot quantaeque calamitates acceptae! victi victoresque pariter viribus exhauſti, opibus ſpoliati, cum nullo ex vlla parte fructu. Et haec tamen habetur praeclara illa ſplendido nomine fulgens, aſtutia verius, quam prudentia politica! Verum, vt ab his, quae vnius arbitrio geſta putari ſolent, ad ea progrediamur, quae plurium conſiliis facta videri poſſunt, vidimus populorum voluntates magnas rerum mutationes conſciſcere, alio in populo iugum regium prona ceruice recipi, in alio excuti; in aliis libertatem male appeti per factiones, hic milite externo vocato, illic alienis opibus excluſis compreſſas; maiore prudentia in alio populo turbandis per paucorum opes rebus viam praecludi, licentiae potentium libertatem ſapienter legibus temperatam ſubſtitui, maiorum autem rerum ſemina ſpargi. Pergamus ad alia, quae vita noſtra vidit. Litteris ſuperiorum temporum, ex quaeſtionum ſubtilium acumine, multa eruditione, verboſa diſputatione laudem habentibus, ſucceſſit diſciplina vtilitatem ſolam reſpiciens, eoque ea ſubinde negligens, quibus ſolidior doctrina innititur; rerum, quas alma parens Natura alit, hominis ſocietatisque humani generis, leges, naturas et rationes, laetamur diligentius eſſe excuſſas et definitas, naturaeque humanae dignitatem vindicatam ab iniuria eorum, quorum intereſt, habere homines iumentorum loco ſuis vſibus deſtinatos.

Effer-

Efferueſcere inter haec multorum ingenia in bullas ſpumasque, nemo mirabitur, qui omnem rerum naturam ita comparatam eſſe meminerit, vt niſi ex elementorum diſcordia nulla concordia concentusque rerum coaleſcat. Verum in his nec ad vlteriora progredi nec futura ominari conſultum eſt. Vnum adhuc attingimus, quod etiamnum animos populorum ſuſpenſos tenet: poſt parum feliciter tentatum diſceſſum regis Gallofrancorum ad regni fines, qui tandem nunc expectari poſſint euentus ſeu ad pacandas regni turbas, ſancita a rege noua imperii formula, ſeu ad bella ciuilia mouenda, calidis aliorum conſiliis, qui vel exterorum armis regem, vt aiunt, liberari et priſtino iuri ſeu licentiae reſtitui volunt. Alienum eſſet a dignitate et loco noſtro, ſi in his diſerti eſſe vellemus; venit tamen in mentem cogitatio ſimilium caſuum, dum reges aut ipſi e regno profugi, aut a populis expulſi, mox alienis opibus reducti ſunt aut in regnum redire tentarunt, in hiſtoriis antiquorum temporum; e quibus, agite, ſeligamus potiores, et quid in iis ſeu vtilitatem et ſalubre monitum ſeu mirationem habere poteſt, breuiter diſpiciamus. Quod ſi quis luſui haec propiora eſſe dixerit, aequo feremus animo; nam proludendum nobis eſt ſollennibus anniuerſariis; ſeuerioribus autem ſtudiis ab omni inde tempore et inter omnes populos interdicere ſolet feſtorum dierum hilaritas.

Tentatos igitur *regum fugatorum reditus ac reductiones* dum in antiquis hiſtoriis circumſpicimus, aduertemus animos non modo ad ipſos caſus et euen-

euentus, verum multo magis partim ad cauſſas et conſilia, partim ad iuris rationes ac praetextus, quibus vtraque pars aut vſa eſt aut vti videri voluit. Omittemus itaque ea exempla, quae nude et ſummatim tradita ſunt memoriae; ſeiungemus quoque ea omnia, quae cum propoſito non arcte coniuncta ſunt; non memorabimus reges victos, mox ſua recuperantes, nec reges victis a victore datos, ab his eiectos et reductos; nec in populis barbaris diſputationis ſummam collocabimus, in quibus pleraque geruntur vecordi audacia, ſeruili patientia. Faciemus itaque et hic initium a Romanis, tanquam ab eo populo, qui in arte imperandi et in iuribus regni finiendis recentium temporum imperiis praeiviſſe videri debet.

Et in hoc quis non ſtatim meminerit Tarquinii regno pulſi et primo per Porſenam, mox per Veientes et Tarquinienſes a rege compellatos, tandem per Latinos, infauſto euentu tentati reditus! Qua in re tanto maiorem mirationem facit infelix ſucceſſus, quod regi nec acre ingenium, nec opera ſtrenua, nec animi audacia defuit; nam, quod aliorum conatus ſimiles retudit, fuit ipſorum regum ſocordia, fluctuans inter incerta animus, conſilii inopia, deſpectus ſuorum. Prima hic eius virtutis, qua imperium orbis terrarum adeptus eſt, conſtantiae inquam et perſeuerantiae, exempla edidit populus Romanus; actum erat de omni fatorum ordine, quae mox inſequuta ſunt, ſi a Porſena obſeſſa et ad vltimum redacta vrbs animo defeciſſet. Sunt igitur haec duo, quae diximus, ea e quibus de ſimili conatu

Digitized by Google

conatū iudicium facere et euentum praeſagire licet. Nec minus tamen habebant Romani, quod fortunae acceptum referrent, cum populi illi, qui regis reducendi cauſſam ſuſceperant, non iunctis viribus, ſed alius poſt alium, Tarquiniorum cauſſam ſuſcepiſſent. Coniunctis viribus, et fida ſocietate, ſi modo ea inter plures qui diuerſam quisque ac ſuam vtilitatem reſpiciunt, eſſe poſſet, inualidae noui regni opes facile opprimi potuiſſent. Praeualentibus enim viribus cedunt etiam fortiſſima, nec vllus eſt libertatis amor tam peruicax, qui non maioribus iuſto viribus oppreſſus extinguatur. Hoc vnum itaque eſt, quod fatale dixeris libertati, ſi maior vis ingruat; reliqua in manu hominum poſita ſunt. Iam quae ab vtraque parte, et Regis fugati et Romanorum qui eo eiecto libertatem tutabantur, pro cauſſa tuenda dicta ſint, etſi memoriae traditum non eſt, licet tamen ea partim ex ipſa re aſſequi, partim operae pretium eſt videre, quae Livii et Dionyſii iudicio cauſſae inſeruirent. Et Romani quidem iniurias, caedes, facinora, iure conquerebantur: at Tarquinius, vt ſui reducendi conſilium caperent, Vejentes Tarquinienſesque his maxime mouebat, quod *eiusdem eſſet ſanguinis; "alios peregre in regnum Romanum accitos, ſe regem, augentem bello Romanum imperium, a proximis ſcelerata coniuratione pulſum; — patriam ſe regnumque ſuum repetere et perſequi ingratos ciues velle; ferrent opem, adiuuarent; ſuas quoque veteres iniurias vltum irent, toties caeſas legiones, agrum ademtum"* (Liv. II, 6.) Porſenam autem Cluſinum regem Tarquinii orabant: "*ne ſe oriundos ex Etruſcis, eiusdem ſanguinis nominisque, egentes exſulare pateretur;*

nunc monebant etiam, *ne orientem morem pellendi reges inultum ſineret; ſatis libertatem ipſam habere dulcedinis; niſi, quanta vi ciuitates eam expetant, tanta reges regna defendant, aequari ſumma infimis; nihil excelſum, nihil quod ſupra cetera emineat, in ciuitatibus fore. Adeſſe finem regnis, rei inter deos hominesque pulcherrimae.*" Rationes a cognatione gentis ac ſtirpis, a ſuſpicione ac metu, ne alii reges ſimilem fortunam experiantur, a prudentia petitas auditis; de iure nihil. Atqui poterat afferre rex Tarquinius meliora: extenuare Sexti flagitium, legibus reum iudiciisque permittere, reip. opes ſua opera egregie auctas oſtentare, ſi qua acta ſua ſiniſtre eſſent accepta, ſe ad rationem reddendam eſſe paratum, poſthac ſe in legum obſequio fore. Et ad hunc fere modum ſcenam inſtruxit Dionyſius (lib. V, 4); legati enim Tarquinienſium Romam miſſi in Senatu verba fecerunt: "Tarquinium poſtulare, vt data ſibi fide publica cum paucis venire liceat, primum quidem in Senatum, quemadmodum eſt aequum, deinde vero, ſi hoc a Senatu impetrarit, tunc etiam in concionem prodire; rationem redditurum omnium, quae geſſerit ab eo tempore, ex quo regnum ſit adeptus, iudiciumque totius populi Romani ſubiturum, ſi quis ſe accuſarit; Vbi vero ſe purgarit, et omnibus probarit, ſe nihil exilio dignum perpetraſſe: ſi ciues regnum ſibi reſtituerint, denuo, quibus conditionibus voluerint, ſe regnaturum; Quod ſi regium dominatum amplius noluerint vt antea, ſed aliam reip. formam conſtituere maluerint: manentem in vrbe, patria ſua, et in ea familiam ſuam habentem, aequo cum ceteris ciuibus iure

iure vſurum." Haec ſi Tarquinius pro ſe dixiſſet, annon aequa dixiſſe videri debuiſſet? Verum in cauſſis ſimilibus non dicta fidem faciunt, ſed dicentis mores et ingenium.

Iidem Romani, ſuae libertatis tam acres vindices, admodum iniqui fuere aliis populis libertatem ſuam vindicantibus. Scilicet grauiſſima fere ſeruitus ſolet imponi aliis ab iis qui ſua libertate gloriantur: quod vel ſuo exemplo docent Britanni. Neque itaque Romani reges a popularibus ſuis ob iniurias et flagitia expulſos reducere cunctati ſunt. De Ptolemaeo reducendo quanta Romae certamina fuerint, ex multis Ciceronis locis memoria tenemus. Iam antea ad occupandum regnum Alexandrum Phyſconis f. quem a Mithridate captum receperat, miſerat Sulla (Appian. B. C. I, 202). Diuerſus eſt alius, item Alexander dictus, idemque Ptolemaeus Philadelphus, quem a ſuis eiectum reducere fruſtra allaborauit Caeſar (Svet. 11. Cic. in Rull. II, 16. 17). Priuatas vtilitates ſectabatur vterque; fraudem vero et iniuriam Antiochus Epiphanes, rex Syriae, in reducendo Philometore, quem in ſua poteſtate habebat; volebat enim regem in perpetua tutela, regnum in ſua manu retinere; arma itaque Aegypto intulit, vnde retractus eſt legationis Romanae, in qua Popilius erat, auctoritate: praetexebat Romanus ſocietatem et amicitiam cum rege Aegypti factam. Diſſidiis nouis aliquot annis poſt inter fratres ortis Philometor a fratre pulſus Romam venit; quem Senatus ita remiſit, vt per legatos concordiam inter fratres redintegraret. At

Digitized by Google

nobilior his eſt deductio Auletae, ignauiſſimi regis ſimulque crudeliſſimi. Is a ſuis, quos tributis exhauſerat vt ſuam luxuriem paſceret, regno expulſus ad Romanos confugit, a quibus ſocius et amicus fuerat renuntiatus (Svet. 54. Dio XXXIX, 12). Senatus, ſi iuſtitiam ſequi volebat, belluinum hominem vrbe abigere debebat; ſaltem anniti, vt, ſi reditum ipſi pararet, ſeuerioribus legibus obſtrictus in nullam licentiam ac libidinem effreni animo ferri poſſet. Attamen vix alio tempore tam manifeſtum factum, quantopere a priſca aequitate et abſtinentia deſciuiſſent Romani. Corrupto per opes effuſas Senatu rex eſt admiſſus; Alexandrinis legatis, ad eum accuſandum Romam miſſis, per ſicarios ſublatis, partim deterritis aut pecunia corruptis, corruptis mox iudiciis, factum tamen SCtum, vt cum exercitu reduceretur; interceſſit Cato Trib. pl. producto oraculo Sibyllino; re infecta Roma profectus rex tandem ingentibus praemiis Gabinium, perditae audaciae hominem, tum Proconſulem Syriae, permouit, vt cum armis ſe in regnum reduceret; neque Aegyptii duobus praeliis a Romanis fuſi obſequium detrectare potuerunt. Nihil hic de iure, nihil de aequitate, quaeſitum eſſe videtis. Patet tamen et hoc exemplo, nullum libertatis tuendae ſtudium ſatis validum eſſe, quo minus maioribus viribus ſuccumbat (Dio XXXIX, 12 ſq. 55 ſq.). Etſi fatendum eſt Alexandrinos multum in ſe deſiderari paſſos eſſe animi prudentiam et conſtantiam, quam libertatis vindicandae auſum requirit, quippe qui aduerſus Gabinium moenibus vrbis educti, cum caſtra vallo atque foſſa cingere iuberentur, vniuerſi

ſuccla-

Digitized by Google

ſucclamarunt, *vt id opus publica pecunia faciendum locaretur* (Valer. Max. IX, 1, ext. 6). Non poenitebit apponere, quae de eorum ingeniis Dio narrat (c. 58): *Alexandrinis quidem*, inquit, *ad audenda omnia ſatis eſt animorum, naturaque ſunt ad effutienda, quaecunque in animum venirent, promtiſſimi; iidem vero ad bellum eiusque pericula omnium ineptiſſimi; quanquam in ſeditionibus, quae apud eos et frequentiſſimae et maximae eueniunt, ad caedes ſubinde deueniant, vitamque in flagranti contentione nihili ducant, quin mortem prae ea velut bonum quoddam inprimis expetendum ſectentur.* Conueniunt cum his aliorum iudicia, inprimis Ammiani (XXII, 11.), et teſtatum faciunt, factionibus et bellis ciuilibus exortis hominum ingenia odiis, iris, ipſisque rerum euentis ita ſaepe mutari, vt ab indole ſua et more prorſus diſceſſiſſe videantur, neque adeo opinioni de eorum ingeniis vulgo ſuſceptae bene conſilia attemperari.

Reges ſuos Parthis reddere aliquoties ſtuduere Romani. Idem Gabinius, ad Mithridatem ab Orode fratre regno deiectum reducendum profectus, mox opimiore praeda ex Ptolemaeo reducendo obiecta auocatus eſt (Dio XXXIX, 56). Octauianus Tiridatem a Phraate eiectum remiſit, Tiberius Vononem, Phraatis filium inter obſides habitum, (Tacit. II. Ann. 4, 58.) et aliquanto poſt alium Phraatis filium Phraatem, eoque in via mortuo, Tiridatem (ibid. VI, 31. 32), Claudius autem Vononis filium, Phraatis nepotem, Meherdatem (XI, 10. XII, 11 ſq.). Non memorabimus reges et dynaſtas Aſiae ab iisdem Romanis modo regno exturbatos, modo in regnum

 reductos.

reductos. Nihil in his niſi ex temporum rationibus actum, et per artes regnandi, quibus vtilitas quaeritur, plerumque parum conſulto, iuſti ratio nulla habetur, niſi vt illud per ludibrium praetexatur ad plebem aut ludendam aut vexandam et ſpoliandam. Quod ſi regibus bella gerenda eſſent non niſi viribus corporis ſui, ſuae fortunae opibus, ſuique capitis diſcrimine: liceret ſane pro lubitu alterum alterius regis cauſſam ſuſcipere; enimuero ſi ius fasque non eſt reges bella mouere niſi pro populorum ſalute et incolumitate, quandoquidem illa populorum opibus et ſanguine geruntur: multa in conſiderationem veniunt, antequam pronuntiari poſſit, num regis exteri cauſſam bello defendendam iure ſuſcipiat rex alius; ſtirpis enim communitas, regii nominis et cognationis reuerentia, neceſſitudo, amicitia, ad arma pro altero mouenda valere non poſſunt, ſi modo, id quod ius fasque eſt facere, populi ratio habetur; niſi alia grauiora acceſſerint, quae incolumitatem et ſalutem ipſius populi ac regni attingunt.

In Graecis hiſtoriis pauca eſſe, quae ad hoc argumentum faciant, facile intelligetis, ſi populum populari ſtatu plerumque vſum eſſe memineritis. Eſt tamen in heroum vita nobile illud bellum Thebanum nulla alia de cauſſa ſuſceptum, quam vt alter fratrum regno per iniuriam depulſus Adraſti ſoceri et ſociorum ope in regnum reſtitueretur. Valuit adeo iam tum affinitatis nomen ad reducendos reges. Serius exemplum eſt, ex antiquioribus tamen, Piſiſtratidarum expulſorum ab Athenienſibus. Iam de Hippia

Digitized by Google

Hippia reducendo Cleomenes Spartanorum rex conſilia agitauerat, homo ferocis et immanis ingenii, nullo iuſti et aequi reſpectu; poſtquam ea nullum effectum habuerant, ad Perſas Hippias confugit. Ab Artapherne Ioniae Satrapa eum recipere iuſſi Athenienſes adeo ira exarſerunt, vt Ionibus nouas res aduerſus Perſas molientibus claſſe ſuppetias mitterent, Sardesque incendio delerent. Mox inter cauſſas expeditionis a Perſis in Graecos ſuſceptae putes et hanc fuiſſe, vt Hippias reduceretur; ſaltem Hippias Perſas Marathonem adduxit (Herod. VI, 102). Tyrannos a ciuibus ſe in libertatem vindicantibus expulſos nouimus multos, nonnullos etiam vi ſuam dominationem recuperantes, vt Dionyſium iuniorem; at tyrannos in vllam Graeciae ciuitatem reductos non meminimus. Eſt tamen aliud quod in Graecis hiſtoriis haud raro memoratur, exules in ſuam ciuitatem vi externa reducti. Inprimis Spartani hoc in artibus dominationis habuere, vt in ciuitatibus populari ſtatu vtentibus magiſtratus conſtituerent ex optimatibus, in quorum manu resp. eſſet; qua quidem iniuria et inſolentia intolerabilior cogitari poteſt nulla, cuius nec ius nec obtentum habuere alium praeterquam principatum inter Graeciae ciuitates *b*).

Iam

b) Adeo populus libertatis ſtudium acerrimum prae ſe ferens ſeruitute oppreſſit alios, etiam populares ſuos, indigniſſima. Amplexi erant Spartani hoc inſtitutum mature; (Thucyd. I, 19.) maxime tamen in id incubuere poſt pacem Antalcidae (Xenoph. H. Gr. V, 2 ſq. Diod. XV, 5). Arrogarunt ſibi hoc idem iuris in Athenienſes; pace conceſſa, vt legibus ſuis vterentur, mox Lyſan-

Iam vt ea, quae modo memorata penitius inſpicienti ſe offerunt, vniuerſe ſubiiciamus, duo maxime in oculos incurrunt: primo, raro proſperos ſucceſſus horum conatuum ad reges pulſos reducendos fuiſſe. Et eſt in promtu cauſſa: regibus aequis et prudentibus tale infortunium vix vnquam accidere poteſt. Vtantur reges aequis et iuſtis conſiliis, non habebunt vnquam quod metuendum ſibi eſſe putent; non niſi ad extrema redactum vulgus onus intolerabile excutit. At regum fugatorum mores fuerant inuiſi; ipſi aut impotentes et crudeles, aut ad infames libidines proiecti, aut ignaui et ſtupidi, ſeque et ſua permittentes perditis hominibus ſibi aſſentantibus. Alterum, quod mireris, eſt, quod tam pauca in antiquis ſcriptoribus reperias ſuper grauiſſimis iuris gentium et imperiorum quaeſtionibus. De regum expulſione nusquam ita narratum vidimus, vt, quid iure an iniuria factum eſſe putaret ſcriptor, appareat. Nusquam quaeſitum vidimus, regno diſſidiis internis diſtricto fasne vicinis ſit interponere ſe alienis et iis immiſcere ſe, exemplo quod nemo in ſe ipſum ſtatuere velit. Si ab alterutra factione ſunt appellati: cauſſa videri poteſt magis idonea inferendi ſe rebus turbidis; ſi tamen aequi et iuſti eſſe volent, non niſi cauſſa ante diligenter cognita; ſin ab ipſo rege aduerſus populum:

Lyſander magiſtratum XXX virorum inſtituit et exules in ciuitatem recipere iuſſit: Diod. XIV, 4. 5. Apud Xenophontem (lib. II, 2, 10) videri poteſt hoc ſtatim ipſo foedere iniunctum; ſed recitat hic conditiones ſerius adiectas. Verum hoc docte iam exſequutum eſſe videmus Schneiderum, virum doctiſſ. in noua editione Hiſt. Gr. l. c. ad §. 22.

lum: ante omnia diſpiciendum erit, vter iniuriis alterum laceſſiuerit. Hoc aut ſimili modo putetis veteres ſcriptores de his ſtatuiſſe *c*). Nec tamen, praeterquam in Tarquinii cauſſa, in alicuius ſcriptoris iudicium incidimus. Multo minus edocuit nos antiquitas, duobus regnis foedere iunctis ad depellendas mutuo iniurias ſibi illatas, ſpectetne illud foedus etiam ad diſſidia inter populum et regem orta, vt regi, a quo populus ſeceſſionem fecit, auxilium ferre alter rex iubeatur, et quidem ſine omni iuſti et aequi reſpectu, nec diiudicatione facta, ſuane culpa odia et iras ſuorum is in ſe concitauerit. Romanos quidem ſuperſediſſe in cauſſis Ptolemaeorum ab omni tali cognitione, ſupra vidimus. Enimuero Romanos, non magis in cauſſis regum et populorum inter ſe, quam in iis, quae cum exteris ipſi peragerent, aut iuſtitiae aut libertatis, ne quidem iurium humanitatis, rationem habuiſſe, fatendum eſt; iura putabant ſibi nata, libertatem tantum ad ſe ſpectare; reliquo generi humano ſeruitutem pro conditione naſcendi eſſe impoſitam. At, ſi de iure populorum tam parum fuere ſolliciti, artes et cauſſas, quas Europae reges praetexunt ſuis conatibus immiſcendi ſe in res aliorum regnorum, ne noſtra aetas ſe ſolam ſapere putet, notas ac tritas habuere omnes: modo ſocietatis et amicitiae iura allegando, modo alterutram factionem fouendo, ad res componendas operam ſuam pollicendo, modo ſuae incolumitatis metum cauſſando. Quid? quod ipſas religio-

c) Vattel *Droit des gens* liv. II. ch. 4. pag. 126 ſq. de Martens *Droit des gens de l'Europe* III, 2, 61. pag. 88.

religiones et Cylonium ſcelus nondum expiatum inter cauſſas belli in Athenienſes mouendi retulere Lacedaemonii (Thucyd. I, 126). Fiunt pactiones ſuper alienis regnis ac prouinciis, ſpoliantur reges ex condicto, transigitur de hereditate, in quam neutri ius erat, renuntiantur qui regni habenas capeſſant nullis populi ſuffragiis lecti. Licet itaque hoc ſaltem gloriari, iuris quidem, ſi non vſu, cognitione tamen, nos priſcis praeſtare; in prudentia autem ciuili, ſeu aſtutia, nihil habere tempora noſtra, quod antiquitatem eis poſthabendam eſſe putemus. Obſeruatu dignum eſt, quod tentata fruſtra Tarquiniorum reductione et ex pactione depoſita, Romam haud cunctatur Porſena pro libera ciuitate habere, etſi Tarquiniis adhuc viuis et videntibus; et venerunt in cenſum liberorum populorum Romani ſine omni confeſſione, immo cum refragatione Tarquiniorum. Hoc idem exemplum Romanorum docet libertatem populi ratam et validam eſſe poſſe, etiamſi is, qui antea populo imperauerat, eam ratam habere et imperio ſe abdicare noluerit: qui Steckio (*Verſuchen* VIII. p. 49) vnus videbatur eſſe modus, quo populus vere ſui iuris eſſe et haberi poſſit. Atqui Stuartia gens nunquam ſe imperio abdicauit nec libertatem Britannorum ratam habuit; quin potius frequenter, vt circa tempora pacis Aquisgranenſis (v. *Mercure hiſt. et polit.* 1748. To. II. p. 215. 488) litteris publice miſſis et inter acta Europae publica relatis contradixit, de iure ſuo ſibi cauit, et de iniuria facta cum multa obteſtatione eſt conqueſta. Sufficit multis ad recuperandum regnum fruſtra tentatis nihil eſſe effectum. Eſt et hic praeſcriptio aliqua

aliqua pactioni par et aequalis. Romanorum libertatem plene ratam fecit ſubſequuta paullo poſt gentis Tarquiniae extinctio.

Et haec quidem hactenus. Nam reboant in auribus tympanorum et campanarum ſonitus, quibus pompae in templum academicum ſollennis deductio ſignificetur. Gratiae agendae ſunt Deo O. M. propitiumque eius numen exorandum pro re publica ac priuata. Prodibit interpres noſtrorum ſenſuum et verba publice faciet Collega noſter,

CHR. G. HEYNE,

paucis proludendi cauſſa praemiſſis ad dictum illud Simonidis: (apud Ammian. XIV, 6.) *beate victuro ante alia patriam eſſe conuenit glorioſam.* Rogatos itaque volumus eſſe vos, quotquot his ſacris noſtris litatis, Comites Illuſtriſſimi, proſapia, animis ingeniis, nobilitatem praeferentes Commilitones, vt bonis votis pro rep. ſuſcipiendis fauere velitis. P. P. in Georgia Auguſta XVI. Sept. cIↃIↃccxcI.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
HENR. AVG. WRISBERG D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
LVIDERVM KVLENKAMP D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSA
COMMENDAT
IN A. D. II. IAN. clↄ Iↄ ccxcii.

Iudiciorum de vniuerſitatibus litterariis recognitio.

Duplex eſt congratulatio, Commilitones, quam ad vos afferimus, fauſtorum auſpiciorum vtraque, altera noui anni, quem bono cum deo ingreſſi ſumus, altera muneris et magiſtratus academici, qui, per vices ſemeſtres mandari ſolitus, transibit nunc ab eo, cuius nomen praeſcriptum eſt, ad virum ſumme Rev.

LVIDERVM KVLENKAMP D.

cuius grauitatem, induſtriam ac vigilantiam, cum iam olim eodem munere geſto cognouerimus, veſtram autem,

Digitized by Google

autem, Commilitones, modeſtiam ac verecundiam per ſuperius ſemeſtre ſine offenſione exactum vos approbaueritis: licet ſane et de hoc, quod nos excipiet, tempore bene augurari. Eſt enim facilius bene conſtituta retinere, quam prolapſa reſtituere. Faxit deus O. M. vt conſilia ad vtilitatem publicam priuatamque inita per hunc quoque annum felicem ſucceſſum habeant! id quod veſtra potiſſimum virtute nos conſequuturos eſſe ſperamus; ſi legum obſequio, morum integritate et honeſtate, bonarum litterarum ſtudio, bonae famae et laudis amore, inter vos certabitis. Nos vtique, vt officio noſtro ac fidei ſatisfacere videamur, religioſe curabimus, neque vnquam animo dimittemus, qua ſtatione locati, quo ſacramento adacti ſimus, quae nos, vbi ſummus imperator vocauerit, militiae praemia maneant. Ad magiſtratus inſignia in ſucceſſorem transferenda die craſtino, per hoc ipſum edictum concione vocata, verba fient vtrinque ſimulque bona vota pro fauſto ac ſecundo rerum noſtrarum curſu. Vt itaque nouum magiſtratum deducere et frequentia veſtra in officio hoc peragendo ornare velitis, id a vobis, Commilitones, ſeu ſtirpe et gente, ſeu ingenio, doctrina, omnique virtute florentiſſimi, ita impetratum eſſe cupimus, vt veſtrae humanitati veſtroque in nos amori imputari illud a nobis poſſit.

Cum autem ex more academico haec noſtra ſollennium craſtinorum nuncupatio non ſine praefatione aliqua aut epilogo recte fieri poſſit; ſepoſito argumento doctiore, quod ad manum forte eſſet, agite arripiamus aliud, quod magis populare ſit,

ex

ex ipſa vita rebusque, in quibus verſamur, petitum. Quid vero inter nos, qui in ſtudiis et in vniuerſitate litteraria viuimus, tempeſtiuius et accommodatius, quid cum ſtudiis ac curis noſtris coniunctius, eſſe poteſt, quam vniuerſitatum litterariarum indoles et natura, bona ac mala, laudes et reprehenſiones, inprimis in hac quotidiana iudiciorum vanitate ac temeritate, iudicantium autem inſcitia et illiberalitate: cum tamen vix eſſe poſſit inſtitutum aliud, de quo iudicia vt ferantur explorate et conſiderate, magis in votis habendum ſit; nullum, de quo in tanta rerum, quas illud complectitur, et cauſſarum diuerſitate, tam varie iudicari poſſit; nullum, in quo ſint tam multa cum ipſa naturae rerumque humanarum fragilitate et imbecillitate coniuncta, vt vitia quidem animaduertere facillimum ſit, etiam minus ſagacibus ingeniis, remedia autem reperire aut adhibere difficillimum.

Nihil itaque eſſe poteſt deſiderabilius, nihil exoptatius, quam vt multi acuti et graues viri rerum vſu et experientia inſtructi curas et operas ſuas in hoc conferant, vt vniuerſitatum litterariarum conſilia et cauſſas, naturas, viciſſitudines, incrementa, decrementa, inquirant, quidnam illud ſit, quod mutatis temporum rerumque rationibus minus conveniat, et qua cura et prudentia melius certis conſiliis attemperari nonnulla poſſint. Quod ſi nullum eſt inſtitutum humanum, ne legum quidem et rerum publicarum, quod non ſimili opera indigeat, vt cum temporum decurſu noua perluſtratio ac recognitio eius habeatur, emendenturque ea, quae in

in vitium abierunt; perficiantur autem alia quae tantum inchoata erant: faciendum id vtique eſt tanto magis in iis, quae, ab antiqua origine aut profecta aut ad ſimile exemplum informata, per temporum ſucceſſiones, viciſſitudines et rerum hominumque mutationes, ſiue ab antiquo ita deſciuerunt, vt a recto deflexerint, ſiue in iis, quae poſt tantas rerum conuerſiones non conueniunt, antiquum inſcite retinent. Iam autem vniuerſitates litterariae habent inſtituta ſua, leges et iura, ex iis aetatibus, quibus conditio vitae et reipublicae erat longe diſſimillima. Per corporum et collegiorum iura iſto tempore nihil non conſtituebatur, ipſae religiones ac ſacra in manu certorum ordinum erant; quid mirum ſi litterarum quoque profitendarum ius certis corporibus in collegia diſpertitis fuit datum? Nec vero alio modo iſta aetate litterae renaſci et effloreſcere potuiſſent. Cum temporum rerumque progreſſu, reip. ſtatu mutato, ſacris inprimis emendatis, multa iam in melius ſunt mutata, alia vt mutari recte poſſint, in votis eſt habendum; at cum his alia bene fundata labefactare velle, parum conſultum foret; inprimis cum ipſa remedia, quae adhibenda ſint, nec malum omnino ſint ſublatura, et alium praeterea morbum illatura. Facite enim tollantur ex academiis et aboleantur ſimulacra haec diſputationum et examinum, de quibus multi conqueruntur; facite ceſſet ſummorum in diſciplinis honorum et iurium conferendorum mos: quid tandem habemus, quod in eorum locum melius ſubſtitui poſſit, vt reſpublica de ciuium ſuorum ingeniis, doctrinis et profectibus

 iudicet?

iudicet? At ſeueritatem maiorem deſideratis? Scilicet ea in aetate, in qua luxu et mollitie relaxata diſciplina domeſtica in publicam ita iam ſe inſinuavit, vt ſeueriora iudicia pro iniquiſſimis ſint habituri plerique. Conceſſum eſt temporum neceſſitati, vt latini ſermonis vſus in diſciplinis tradendis et diſcendis remitteretur: quot et quanta detrimenta ea res litterarum ſtudio ipſique rei publicae attulit! Abiiciamus omnem docti ſermonis vſum: ita tandem de ſtudiis ſeuerioribus actum eſſe videbimus. At remedia circumſpicienda ſunt! Vtique, ſi corpora contacta remedia ferunt, quae ad morbum repellendum ſatis efficacia ſint. Quod in academiis noſtris iuuenilis aetatis cuſtodia tantum non omnis ſublata eſt; quod ad diſciplinae paternae indulgentiam iudicis et magiſtratus ſeueritas eſt reuocata: multa magnaque damna rei litterariae et publicae inflixit. At praecipite conſilio mutare talia velle, imprudentis hominis eſſet. Expectandae ſunt temporum aut viciſſitudines aut opportunitates, quibus vni vel alteri malo occurri poſſit. Verum ſatis multa de his dicta ſunt a viris doctis, qui de vniuerſitatibus litterariis ſcripſerunt; inter hos principe loco fuit b. noſter Michaelis; alia in recenſibus noſtris litterariis, quoties librorum huius argumenti acta eſt cenſura. Quaeſtio quoque propoſita fuit a Societate R. Scientiarum de Vniuerſitatibus Germaniae litterariis, earumque conſtitutione et conditione, commutationibus et progreſſionibus ad perfectiorem indolem et ſtatum; ad quam quaeſtionem grauiſſimam vtinam homines illi, qui ſibi in vniuerſitatum litterariarum cenſura tam mulum arrogant, ſui

ſui iudicii et acuminis documentum aliquod proponere voluiſſent! At illi malunt anicularum inſtar ſedere, ſuper rebus parum exploratis multa effutire ac nugari, fabellas illiberales illiberalibus commentis onerare, et non cenſoris, ſed, modo ſcurrae modo quadruplatoris perſona ſumta, calumniari ac conuiciari.

Dicat aliquis, ad nouam omnino formulam, quam ipſa litterarum et diſciplinarum mutata facies, incrementa, et viciſſitudines rerum poſtulant, refingendas eſſe litterarias vniuerſitates; tollendas eſſe eas, quas vocant, Facultates; eſſe enim valde diverſas nunc litterarum ſtirpes ac familias ſubortas. Recte; modo aut in harum conſtituendarum rationes, ſaltem internas, conſentiant viri docti; nam in externis, quae a ſtudiorum conſiliis vtilitatibus et finibus petuntur, multo maius diſſidium eſt; ſunt quoque ipſa haec pro locorum, temporum et hominum diuerſitate, diuerſa. Tum vero iſta, quam requiritis, formula noua haberet forte locum in vniuerſitate litteraria noua condenda, et quidem ea, quae ſuis ipſa opibus ſatis pollens non metuat in contemtum venire ipſa hac deſcriptionis ſuae nouitate, praeſertim, ſi nec in hac ipſa nouitate conſtituenda virorum doctorum ac prudentium iudicia conſentiunt.

Iam ſi a rerum ſumma et toto genere in rem praeſentem venimus, et vniuerſitates litterarias paullo diligentius conſideramus: incredibile eſt, quot et quantas difficultates habeat omnis mutatio in iis, quae per leges et iura ſemel conſtituta ſunt. Nulla

eſt vitii emendatio, quae non aliquam iniuriam faciat. Habet vniuerſitas litteraria multas partes, quae cum aliis reipublicae partibus coniunctae ſunt, habet ipſa et continet partes inter ſe valde diuerſas et alias ab aliis adminiſtrandas; diſciplina academica quot quantisque vrgetur difficultatibus ac moleſtiis! tum publica negotia, quae ad politiam referri ſolent, quam multa ab ipſis ciuitatibus, in quibus academiae conſtitutae ſunt, a ciuium iuribus, a libertatis reſpectu, ab ea, quam iuuenilis aetas ſibi poſtulat, indulgentia, ab innumeris cauſſis aliis proficiſcuntur, quae aut officiunt, aut obſtant aut interpellant! Inter haec tamen, ne iis vnice vacare animos poſſe putes, praecipua cura danda eſt cum ipſis litterarum ſtudiis, tum ea profitentibus ac diſcentibus; paranda ſunt ſubſidia ſtudiorum, adminicula, inſtrumenta; ad haec omnia ſunt erogandi ſumtus, colligendae copiae et opes aliis reip. partibus non minus neceſſariae; quae ſi non ſuppetant, pro noſtrarum rerumpublicarum ſeu paupertate ſeu impenſarum faciendarum nimis magna mole, omnis concidit perficiendarum aut emendandarum rerum ratio. Eant nunc, qui tam aſpere caſtigant academiarum inſtituta, ſi qua parte laborare videri poſſunt, atque ante omnia ſapientibus conſiliis ſumtuum erogandorum venas nouas rimentur, viasque patefaciant.

Cum praeterea non vnum ſit academiarum genus, non vna inſtitutio: habet vna quaeque bona aliqua et mala, ex ipſa conſtitutione, ſiue quatenus ſuis legibus regitur et ſuis reditibus alitur, ſeu quate-

quatenus collegiis maioribus, inprimis eccleſiaſticis, obnoxia eſt, ſeu alia ratione et cura adminiſtratur. Quam diuerſas naturas habent eae, quae exterorum frequentiam non deſiderant, ab iis, quae ab exterorum hoſpitum concurſu frequentiam expectant! habet vtrumque genus et bona ſua et mala. Latius patent haud dubie vtilitates, ad litterarum quoque expolitionem, earum academiarum, quae ex omnibus vndique terris et doctorum et audientium coetus cogunt; at eaedem illae nec diſciplinae ſeueritatem admittunt tantam, vt ſingulorum erroribus mature ac ſtrenue ſatis occurri poſſit.

Quam multa in his occurrant, quam varia, alia ex aliis nexa, inter ſe diſſidentia, vix in vnum complexum cogenda, videtis, Commilitones; videte nunc et hoc, an illi, qui vniuerſitatum litterariarum cenſuram agere ſolent, de his et infinitis aliis, quae in conſiderationem veniunt, vnquam cogitarint? et an illi vſu rerum et experientia inſtructi, diligenti contemplatione ac deliberatione adhibita, ea, quae accuratiore rerum inſpectione et meditatione perſpexerint, in medium afferant. Res eſt etiam tenuioris et forte obtuſioris ingenii, in omnibus iis, quae ad regna ac ciuitates ſpectant, animaduertere ea, quae vt melius conſtituta ſint in votis habere licet; at enim longe maiore acumine et ingenio opus eſt ad perſpiciendum, quaenam illa ſint, quibus effectum ſit vt haec nec melius conſtituta ſint nec conſtitui poſſint; quae remedia, ſi ſalutaria et efficacia ea eſſe volumus, ſint adhibenda, vnde ea ſint expectanda, qua cura praeuia, qua

manu, qua prudentia ſint adhibenda, vt vim et effectum habeant, neue ea, quae ſarta tecta eſſe volueris, altera ex parte grauiorem ruinam trahant. Omnia autem haec, vt generali aliqua ſententia et conſilio vniuerſe facile in medium poſſunt proferri, ita in ſingulis cauſſis nouas ac proprias habent difficultates, impedimenta et obſtacula.

Cum his tamen nolumus inficiari, eſſe multa in academiis, quae et emendanda ſint, et ſiue publica auctoritate ſeu priuato conſilio, cura ac religione, emendari poſſint; eſſe porro magnam gratiam habendam iis, qui de his publice monent, latentia vitia patefaciunt, vlcus vetuſtum aperiunt, morbi medelam indicant. Magnum vtique beneficium vitae noſtrae affert haec publice monendi et caſtigandi libertas: quae ne vnquam nobis eripiatur, etſi plures male quam bene ea vtantur, diligenter prouidendum eſt. Enimuero nec animis dimittendum eſt, multo magis caſtigandum eſſe eum, qui, cenſoris publice perſona ſumta, cum Neſtoris aut Vlyſſis prudentiam praeſtare debeat, Therſiten agit, et vociferando, conuiciando, calumniando, ſe partes ſuas egregie expleuiſſe ſibi videtur. Annon flagitioſum eſt, cum nullam operam dederis vt res diligentius quam ceteri inſpiceres, cum nullam meditationem et conſiderationem adhibueris, prodire in medium et modo animi leuitatem, modo inſcitiam, modo ſtuporem, modo malitiam tuam teſtatam facere? de rebus vtilibus vtiliter nihil monere, de rebus grauiſſimis nihil ſatis compertum habere, leuiſſimam famam aut fidem alienam ſequi,

id

id tantum agere, vt adſpergas labem iis inſtitutis et viris, quorum dignitatem et auctoritatem vel vtilitatis publicae cauſſa omnes boni intactam eſſe volent!

Ne vero declamatorio more, quo illi vti ſolent, et ipſi haec enuntiaſſe videamur: attingamus capita nonnulla earum rerum, quarum reprehenſionem facere ſolent multi aut indocte aut inique aut imprudenter: vt his exemplis muniantur iudicia veſtra, Commilitones, aduerſus iuuenilem leuitatem et petulantiam, qua exultare multos noſtis. Et primo quidem loco deſiderantur multa, quae in academiis eſſe nec poſſunt, nec debent, ſi ea bona adeſſe volumus, quibus academiae cenſentur. Aulicorum hominum elegantiam, facetias, dicacitatem in circulis, magnorum coetuum celebritates, conuictus, conuiuia, vſus quotidianos, ex vniuerſitate litteraria exulare nemo conqueretur rerum ſatis intelligens; actum de ea eſſet, ſi haec ac ſimilia vitae academicae eſſent propoſita; quod in votis habemus, eſt vt ruſticitas, importunitas, proteruia abſit. Si a profeſſoribus expectatur et iure meritoque poſtulatur, vt et officiis ſuis peragendis et litteris ac diſciplinis ſuis augendis ornandisque vacent: quomodo ab iisdem expectari poteſt, vt in circulis otioſorum hominum bonas horas conſumant? haud enim facile ſermones de rebus grauibus aut doctis cum iis habeas, qui plerumque de hac ſolitudine et infrequentia conqueruntur; quid? quod ſi cum iis ad te commeantibus in confabulationem deſcendas, praeter rumuſculos populares et gerras iuueniles inaneſque, nihil habent vnde ſermonum vices

ſuſtentent; ſin vero ad vtiliora ſermonem deflexeris, obmuteſcunt et media confabulatione abrupta aufugiunt tanquam malo ſidere afflati. Vt autem vxores ac liberos in circulos adducant boni patresfamilias, quis ſatis ſanus poſtulet, ſi reputet, eſſe in iis eosdem illos, qui petulantiae ſuae ac malitiae materiam et alimentum circumſpiciunt, bonae omnium famae inprimis muliebris ſexus inſidiantur, nil niſi ridicula aucupantur, ſi nulla vident, impudenter mentiuntur, et ementita illa adeo publice libellis editis euulgant? qui, cum ipſi, hominum rerumque vſu deſtituti, aut ſermones ſerere aut confabulationes iucundas habere neſciant, criminantur alios, qui extorquendo ex obmuteſcentibus voculas et ſtrepitus verborum inanes operam perdere nolunt. Adeo iniqui ſunt illi cenſores, vt ſuam ipſorum tarditatem et inſulſitatem in aliorum reprehenſiones vertant.

Ea porro, quae ſub cenſuram veniunt, qualia eſſe putabimus? grauia ſcilicet et ad reip. academicae et litterariae vtilitates ſalutaria? Quis enim improbaturus foret, ſi de nepotibus ſuarum opum profuſis coercendis, de pernicioſiſſimis Iudaeorum artibus e rep. tollendis, de menſae publicae ad pignorandas res inſtitutae rationibus circumſcribendis, de luxu minuendo, de ſodalitiis euertendis, aut ea quae vera ſunt memorarent, aut noui conſilii aliquid ac remedii in medium ferrent? *a*) Quis non curatum

a) [Sunt tamen ex his plura his ipſis annis emendata, quam ipſi tempora ferre videbantur, profundendarum opum impunitate ſublata, foeneratorum prauitate coercita, Iudaeorum numero imminuto, ſodalitiorum, quae omnium academiarum peſtes ſunt, licentia ſeu ſublata ſeu repreſſa.]

Digitized by Google

tum id velit, vt in popinis et tabernis ciborum parandorum ac coquendorum melior ratio ineatur? vt fraudibus et artibus ſordidis eorum, qui hoſpitia locant, obſtruatur? vt cupiditati ac ſocordiae occurratur eorum quoque, qui cauponariis artibus in ipſis litteris locum eſſe volunt? Enimuero haec et his ſimilia aut omnino non attingunt lepidi illi homines, aut tam parum explorate et conſiderate de iis loquuntur, vt, quam imparati ad ea acceſſerint, qua cum voluntate, facile intelligas. Primo enim vitia ea, quae in paucis locum habent, vbique regnare clamant; tum exempla narrant aut ab hominibus facetis omnino ficta, aut aliorum, qui ingenium calliditatemque oſtentare volebant, figmentis obſcurata, aut antiqua per iocum inuenta denuo recocta, aut auditu tantum accepta; nihil apponunt ſua fide interpoſita; quae nulla eſt tum quoque ſi eam ementientes interponunt, atque interfuiſſe ſe aiunt iis quae aliunde auditu acceperant; Eorum autem omnium, quae ad emendanda illa, de quibus tanta cum leuitate pronuntiant, aut vim habere poſſunt, aut iam fuere adhibita et tentata, qui fuerint ſucceſſus, aut cur ii non ſint maiores aut perpetui, horum omnium ſunt ignariſſimi; nec vident, pleraque ex iis, quae in reprehenſionem cadunt, non academiis poſſe imputari, ſed ex vita publica, ex ſaeculi ingenio et indole, ex aetatis iuuenilis inconſiderantia, ab ea inſtitutione, quam plerique ex domo paterna ſecum afferunt, ex imprudentibus parentum conſiliis, eſſe deriuanda.

Ferri tamen haec poſſint; nam quomodo adoleſcentulus aliquis, aut qui ei comes additus eſt, vbi

per aliquot menſes, forte vnum et alterum annum, in aliqua ciuitate vixit, et, quod ipſi vel maxime conqueri ſolent, hominum grauium, vſu et experientia rerum inſtructorum, adeundorum copiam nullam habuit, rationes rerum, vias, anfractus, tranſitus, exitus tenere poſſit? Ferri poſſit et hoc, quod grauiſſimarum rerum, de quibus moneri poſſit, loco leuia et aliena et inepta narrant; modo a ſcelere et flagitio abſtinere vellent! Enimuero ſolent plerique ex his cenſoribus, cum de inſtitutis academicis, de vitiis eorum et virtutibus, iudicare profeſſi eſſent, dicenda ad homines, ad profeſſores, transferre. Iam etſi impudentis hominis eſt, de viris ſummis, ad quorum conſortium et ordinem ille vix vnquam merito ſuo ſit peruenturus, et quidem de pluribus, quos nec multo et longo vſu cognitos habeat, ipſe nec ingenio et doctrina, nec rerum perſpicientia et experientia praeſtans, de iis, inquam, temere et inconſulte iudicium non modo ferre ſed et proferre: condonator tamen hoc, ſi quis ea, quae de viri alicuius doctrina, peritia, dotibus, facultatibus, viribus ingenii animique, ipſe ſentiat, paullo liberius profiteatur; tametſi his hominibus plerumque parum ſunt perſpecta, quae in profeſſore laudanda aut reprehendenda ſint, ita vt in hoc ordine ea deſiderent, ſeu naturae et ingenii, ſeu fortunae bona ſingularia, quae ab hoc doctrinae ac vitae genere aliena eſſe, nec in cenſum venire, ſaltem non omnibus ac ſingulis communia eſſe poſſe recte dixeris; ita vt, ſi ea adeſſent quae illi volunt, non meliores ſed deteriores haberemus doctrinarum interpretes: At quid cenſebunt aequiſſimi quique

de

de eo, qui vitam profeſſorum domeſticam rimatur, arcana familiae, quae ſancta et intacta eſſe ipſa humanitas iubet, in lucem profert, quae cum publica vita, cum munere, doctrina, nihil habent commune aut coniunctum! Annon hoc flagitium eſt compedibus ac flagris vindicandum? An grauius peccat is, qui parietes perfodit, domum ſpoliat, furatur, rapit? Atqui iſte homo in penetralia domus, in ſanctuarium patrisfamilias, irrumpit, rem omnium pretioſiſſimam, bonam famam et exiſtimationem, ſine qua ne vita quidem iucunda eſſe poteſt, aufert; et aufert patrifamilias, matronae, filiae familias, ei ſexui qui imbellis et inops nihil habet, quo iniuriam a ſe propulſet! quis tandem effractor et expilator grauius damnum vnquam intulit? Quid vero? ſi hoc ille fecit in iis domibus et familiis, a quibus ipſe hoſpitio ac menſa fuit exceptus? ſermonibus familiaribus et confabulationibus fuit exhilaratus? aut ad communes iucunditates, oblectamenta, luſus ſymphoniacos, ſaltationes, admiſſus? quid porro, ſi falſa et ementita narrat? ſi auditu accepta tanquam quibus interfuerit? ſi audita in aliam ſententiam detorquet, cauillatur? ſi male accepta truncat, infucat? ſi, quae otioſi homines excogitarunt, vt aliorum ſtupori illuderent, tanquam vere geſta narrat? in vulgus imperitum et malignum effert? ſi ſcurrile ſuum aut alterius dictum ingenioſo viro tribuit, vt illud auctoritatem ab eo mutuetur, dum ad eius auctoritatem potius eleuandam valeat? quid, ſi in his fuit, qui omnium rerum egens humanitate et miſeratione aliorum ſuſtentatus, mox cum ſuo vitio commiſiſſet vt hinc diſcedendum eſſet,

Digitized by Google

eſſet, in eandem domum maledictis ſaeuiret, in qua fuerat recreatus? Hosne homines auctoritatem aliquam habituros eſſe putabimus in iis quae de vniverſitatibus litterariis narrant et iudicant?

Nec vero vos, Commilitones, ita ſtatuetis, nec iudicium veſtrum ſimilibus calumniis ac conuiciis ita obſcurari patiemini, vt aut de noſtra aut de alia vniuerſitate litteraria ſecundum illa iudicetis. Quae nos premant incommoda, ſentimus et ipſi; attamen et vos teſtes adhibemus, eſſe ea plerumque ita comparata, vt mala noſtra non pertingant niſi ad eos, qui bonis noſtris recte vti nec norunt nec volunt. Ceterum aequo animo ferre poſſumus, ſi inuidorum et aemulorum ſtudia et irae in nos inſurgunt; praeſtat, nos habere qui nobis inuideant, quam qui noſtram fortunam miſereantur. Non ignoramus, omnia mortalia eſſe fluxa et incerta; at nos, quamdiu in ſtatione erimus, nec arma nobis, nec decora parta, extorqueri manibus patiemur, et, vt Georgiae Auguſtae gloria quam diutiſſime nobis ſuperſtes ſit, ſumma cum induſtria et ſtudio annitemur; etſi nouimus eſſe, in quos illud Horatianum transferas: *Sunt quibus vnum opus eſt intactae Palladis arces* perpetuis dictis oppugnare, *indeque decerptam fronti praeponere oliuam*, certe parum decoram aut perennem.

Cetera, quae in manu noſtra non ſunt, prouidentiae diuinae a nobis mandata ſunto; quae etiam per hunc annum nos noſtraque incolumia ſeruabit, etiam inter timores et pericula, quae tranquilli-

quillitati publicae minantur. Non enim deſunt nec voluntates multorum nec conſilia, quibus cum totius Europae tum Germaniae inprimis ſtatus labefactetur: modo rerum gerendarum neruus ne deeſſet; cum tamen et priuatis in rebus id interdum euenire videas, vt proiecta audacia etiam per ſummam inopiam tententur viribus maiora, metuendum eſſe apparet, ne, vt in maleſartis, ſi ſemel conquaſſata fuerint, ruina ruinam ducat.

Precamur itaque ſummum rerum moderatorem, vt libertas et incolumitas reip. votis noſtris condonetur, tanquam bona praeſtantiſſima, quae hanc vitam ornare ac beare poſſint *b*).

P. P. in Georgia Auguſta Kal. Ian. cIↄIↄccxcII.

b) Gerraei Arabiae, cum Antiochus in eos arma verteret, miſſis legatis orabant, ne ſibi eriperet *τὰ παρὰ τῶν θεῶν αὐτοῖς διδόμενα, ἀΐδιον εἰρήνην καὶ ἐλευθερίαν.* Polyb. XIII, 9. p. 455. Haec ſunt ea quae nos in votis habemus: *pax et libertas.*

XIX.

XIX.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
LVID. KVLENKAMP D.
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV. IVNII ANNI HVIVS CIↃIↃCCXCII
REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI CIↃIↃCCXCIII
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.
M. IVNIO CIↃIↃCCXCII.

Natali Regis noſtri Auguſtiſſimi, Ciues, d. IV. Iunii, ſollennia rite indicta et habita eſſe memoria tenetis. Verbis e cathedra factis ſuper quaeſtione: cum

Digitized by Google

cum litterarum inter Gallofrancos magna mutatio partim facta ſit, partim ſit expectanda, *ſitne illa ad litteraturam Germaniae effectus aliquos habitura? quasue vtilitates Germanorum litterae ex his ipſis Galloſrancorum litteraturae fatis capere poſſint?* quam quidem in vtramque partem diſputationem hoc loco iterare nec iuuat nec attinet; tranſitum eſt ad *quaeſtiones* ab Ordinibus Academiae ſuperiore anno propoſitas, et pronuntiata ſunt *Ordinum iudicia* de iis *commentationibus*, quae ceteris *palmam* praeripere viſae ſunt. Quae quidem nunc publice quoque ſcripto proponere lex et mos et aequitas iubet. Enuntiabuntur autem illa, vti et antea factum eſt, ipſis Ordinum, qui praemia decreuerunt, verbis.

"Propoſitum fuerat

ab *Ordine Theologorum:*

vt ex certa, quantum fieri poteſt, hiſtoria exponeretur, qualem ſymbola ac regulae fidei veteris eccleſiae per tria priora ſaecula vim obligandi habuerint, quibusque ex fontibus eam traxerint? tum vero oſtenderetur, quo fine? quibus mediis? quaue progreſſione vis iſta ſaeculo quarto et quinto ſenſim aucta fuerit, atque vlterius protenſa?

"Praeter expectationem noſtram contigit, vt argumento, non nimis certe difficili ac ſubtili, vix vllus ex coetu nobis addicto parem ſe crederet, atque in certamen, tam multis propoſitum, prodiret. Sperari nimirum non ſine cauſa poterat, fore, vt ab ipſa quaeſtionis indole ac natura plures allicerentur, quae cum multis et variis aetatis noſtrae ſtudiis intime connexa, atque ita inſuper eſſet comparata, vt, quantum diligentiae in conquirendis

et

Digitized by Google

et colligendis, tantum etiam iudicio, in diſponendis ac proferendis ſnis momentis, relinqueret: ſed vnus tantum inuentus eſt, quem vel iſta, vel laudis ac praemii cupido, ſatis excitabant, vt labori ſuſtinendo ſeſe ſubmitteret. In hac vero fortuna eo laetius nobis euenit, quod vnus ille talem ſe oſtendit, qui cum pluribus etiam certa cum laude potuiſſet congredi, ſi deſcendere in arenam plures voluiſſent. Etſi enim in commentatione ab ipſo oblata, tum quoad cultum orationis, tum quoad artem in collocanda, conſilium in diſtribuenda, ac parſimoniam in congerenda materia, non pauca forſan a ſeuero cenſore poſſent deſiderari, eruditionis tamen, ſollertiae atque ingenii etiam, tam multa ſimul et tam praeclara exhibuit documenta, vt digna noſtro arbitrio luce publica, adeoque dignus etiam auctor praemio regio videretur."

Scheda verbis Hilarii inſcripta:

> *Habet non tam veniam, quam praemium, ignorare, quod credas: quia maximum ſtipendium fidei eſt ſperare, quod neſcias.*

nomen habuit:

Io. Phil. Kvrzmann, *Thuringo-Mulhuſanus*; idem qui iam ſuperiore anno ad quaeſtionem ſuper Africa e Geographo Nubienſi deſcribenda ſecundam palmam abſtulerat *a*).

Ordo Iureconſultorum iuſſerat

> *Exponi differentias inter tutelam et curatelam aetatis, nec non inter impuberes et minores, maxime ratione iurium, quae minoribus ſine curatore in iudicio*

a) [Praematuris fatis anno inſequente abreptus eſt iuuenis vita longiore digniſſimus.]

Digitized by Google

iudicio et extra illud competunt; deinceps oſtendi, vtrum et quoad haec iura immutata eſſe cenſeri poſſint iure Germanico?

"Traditae ſunt Ordini commentationes ſeptem hisce dictis inſignitae:

I. *Non eſt Teutonico cumulata pecunia cordi;*
Nec ſibi quaerit opes, ſed pulcrae laudis honores.
GÜNTHERVS in Ligurino lib. III.

II. *A viris laudatis laudari optima laus eſt.*

III. Ὁπότερος δέ κε νικήσῃ, κρείσσων τε γένηται.
HOMER.

IV. *Sperat infeſtis, metuit ſecundis,*
Alteram ſortem bene praeparatum
Pectus. — HORAT.

V. *Aurea cui blando riſit Victoria vultu,*
Laetitiamque ſuis fert patriaeque decus.

VI. *Aſcanium ſurgentem, et ſpes heredis Iuli*
Reſpice.

VII. *Serpit humi cautus nimium timidusque procellae.*
HORAT.

"Palmam reliquis praeripere praemioque digna Ordini viſa eſt *commentatio* V., cui inſcriptum ſymbolum:

Aurea cui blando riſit Victoria vultu &c.

Summa enim diligentia non ſolum conquiſita ſunt, quae ad rem pertinebant, argumenta; ſed magna etiam iudicii ſagacitate adornata, iuſtoque ordine et ſermone ſatis culto ea propoſita ſunt."

Scheda reſignata nomen lectum eſt:

IO. FRID. DE MEYER, *Moeno-Francofurtenſis*, fauentibus omnibus, qui eius ingenium litterarum bonarum varietate expolitum et honeſti pulcrique ſenſu imbutum cognitum habebant.

"Proxime acceſſit praemio decernendo *exercitatio* I. cum effato ex Güntheri *Ligurino:*

Non eſt Teutonico cumulata pecunia cordi.
Nec ſibi quaerit opes, ſed pulcrae laudis honores.

Pari enim lectionis copia et inprimis legum Germanicarum conquiſitione ornata omnino *pulcrae laudis honores* merebatur; niſi re ipſa iuſtius expoſita viciſſet eam, quam primo loco nominauimus, commentatio." Auctorem ſe huius commentationis profeſſus eſt Io. Chr. Brandenbvrg, *Roſtochio-Megapolitanus.*

"Eodem hoc loco accedere poterat ſcriptum VII. cum dicto Horatii: *Serpit humi cautus* etc., niſi poſthabita certaminis lege longe ſerius iuſto exhibita eſſet.

"Nec certe reliquis ſua laus deneganda eſt, quum nulla earum doctrinae adparatu deſtituta ſit; licet in iis quoque, quam *ſecundo loco* nominauimus cum ſymbolo: *A viris laudatis laudari optima laus eſt*, ceteris praeſtare videatur." Laudem hanc conſequutus eſt Henr. Adolph. Lehzen, Hannoveranus.

Ordo Medicus deſiderauerat

Commentationem *de Curatione Auditus difficilis.* Quidquid autem Theoriam redoleret, anatomicae Organorum Auditus Structurae, vel phyſiologicae cognitioni ſuperſtructam, afferre vetuerat. Id requiſiuerat, *vt obſeruationibus Medicorum Practicorum recentioribus et antiquioribus collatis conſideratisque ſuperſtrueretur doctrina de variis ſpeciebus et curandi methodis morbi.*

Excluſa adeo et abiecta omni doctrina ſubtiliore, expectaſſes haud defuturos, qui acri cum ſtudio

ſtudio ad ſcripta medicorum expilanda concurrerent, ea, quae in curandis auditus morbis vſu recepta aut caſu oblata, aut forte tentata eſſent, enotarent. Nec enim eſſe potuit, quod quenquam deterreret aut conatum retunderet; niſi forte et nunc dixeris docuiſſe experientiam, quod dudum rerum vſu conſtitit: quo expeditior, planior ac facilior via ipſis paretur, eo remiſſiore curſu homines incedere, aut etiam, inertia retardatos, ne curſu quidem inito, ad ipſos carceres deſidere. Quicquid eſt, etſi non defuiſſe conſtet plures, qui arma ſtringerent, nemo in certamen deſcendit.

Ab *Ordine Philoſophorum*

primo loco quaeſtio mathematici argumenti propoſita erat:

> *vt Fundamenta calculi quem ab infinito nominamus explicarentur, vtque doceretur, quomodo iis, quae tradiderunt Euclides, Archimedes, Apollonius Pergaeus, innitatur calculus infiniti.*

Exhibitae ſunt Ordini ampliſſimo commentationes duae; altera inſcripta verbis:

> *Exemplaria graeca Nocturna verſate manu, verſate diurna.*

Altera dicto inſignita Galeni:

> τὰς ἀρχὰς οἱ πλεῖστοι διαφωνουμένας λαμβάνουσιν &c.

paullo ſerius quam oportuerat, die dicto iam elapſo, tradita eſt; cuius auctor, etſi calculi analytici haud ſatis gnarus, cum nec in ſolis mathematicis ſtudiorum ſuorum ſummam poſuiſſe videatur, egregiae tamen induſtriae ſpecimen propoſuit in locis veterum geometrarum conquirendis et cum recentiorum effatis comparandis; ſcriptionis quoque vſu et

facilitate ſe commendauit. "Auctor ſcripti, cuius ſymbolum: *Exemplaria graeca* cet. laudabili diligentia retulit ex Euclide, Apollonio Pergaeo, Archimede, quae pertinent ad comparandas figurarum magnitudines, tangentes curuarum ducendas, aſymptotas, parabolae quadraturam, et ſolidorum, inprimis rotundorum, ſuperficies et menſuras. Quomodo ea, quae iam *infinite parua* dicimus, adſertis Euclidis nitantur, bene docuit. Item: quod rationes ab Euclide aequales ponantur, quarum differentiam adſignari non poſſe oſtenditur. Reliquis ſcripti ſui articulis vtique conſenſum eorum, quae antiqui docuerunt, cum calculis recentioribus, illuſtrat. Reperiuntur quidem, quae rectius poſſint enunciari, aut maiori in luce collocari. Haec tamen facile condonari poſſunt iuueni, cuius forte primum hoc eſt ſolidioris eruditionis paulo amplius ſpecimen. Noluimus adeo eum propterea, vt ICti loquuntur, formula cadere, quod rectius interdum ſenſit, quam loquutus eſt. Et breuitati, cui ſtudere illum oportebat, aliquid dare aequum eſſe viſum eſt, nam de illis quae tractauit libri ſcripti ſunt. Itaque, non vituperandum iudicauimus eum, qui, contra ac faber Horatianus, ſatis felix operis ſumma, vngues et capillos minus ſubtiliter expreſſit.

"Quod igitur hoc opuſculum, analyſeos recentioris laudandam in iuuene matheſeos ſtudioſo peritiam oſtendit, antiquorum vero geometrarum exempla plurima imitanda noſtris excitat, credidit Ordo ampliſſimus bene collocatum iri in auctorem Regiam munificentiam." Aperta charta inſcriptum vidimus nomen:

Io.

Io. Wilh. Christiani, *Kilonienſis*, Stud. Matheſ. Alterius tamen ſcripti auctor induſtria ſua, lectionis copia et orationis perſpicuitate meruiſſe viſus eſt, vt *acceſſiſſe* priori proximo loco videretur. Nomen ille ſuum profeſſus eſt: Io. Binder, *Saxo-Tranſylv.* Semin. philol. Sodalis; qui iam ſuperiore anno ad quaeſtionem de politia Romanorum altero loco palmam obtinuerat.

Cum ex liberalitate Regia ſupereſſet aliud praemium, quod Ordo Philoſophorum victori aſſignare poſſet, altera quaeſtio ab eodem erat propoſita:

Quale ante ſex annos Palaeſtinae, nunc Aegypti calendarium oeconomicum, ex itinerariis collectum.

Edocuerat Ordo ampliſſimus, quaenam in eo conficiendo eſſent ſequenda et curanda, vnde materies petenda, quibusque finibus opera circumſcribenda.

Non protracta eſt vita eius, qui auctor quaeſtionis fuerat *b*), in hunc diem; laetaturus ille eſſet doctorum iuuenum diligentia et ſtudio, qui in concertationem progreſſi ſunt, alter quidem ſcripto verbis inſignito Pindaricis:

ἐμοὶ μὲν οὑτοσὶ Ἆθλός γ' ὑποκείσεται· τὺ δὲ πρᾶξιν φίλαν δίδοι.

Alter dicto in fronte libelli praeſcripto:

Tentanta via eſt.

Comparatis inter ſe duobus his ſcriptis ſatis conſtare viſum eſt, vtrique lectionis variae, doctrinae et induſtriae, laudem deberi, doctum botanices

X 3 ſtudium

b) Io. Dav. Michaelis, olim noſtri.

ſtudium defuiſſe; quo factum eſt, vt de plantis non ſatis certa fide nonnulla memorent; dum plantas ſyſtematico nomine ipſi deſignarunt, quas patrio ſermone aut vulgari nomine latino peregrinatores vocauerant. Occurſum tamen eſt huic rei nominibus ſcriptorum diligenter adſcriptis, quos ii, qui tali calendario vti volent, poterunt adire, et auctoritatem ac fidem ex eorum doctrina vel imperitia botanices aeſtimare. Quod ſi, haec ſubtilius ab vtroque vt tractata eſſent, in votis erat; habet vterque praeter modo dictas communes laudes nec minus propriam aliquam laudem; prior quidem commentatio inſigni cum ſtudio et induſtria eſt confecta, quod quidem ad lectionis copiam, excerpendi et excerpta diſponendi intentiſſimam curam attinet; altera maiore cum ingenii ſollertia ac perſpicacia perſcripta eſt; non ſatis habuit auctor colligere ac diſponere, verum etiam iudicio adhibito ſingula in ſummam aliquam colligere, quae pluribus communia ſunt elicere et quid ex obſeruationibus ſequatur, conſtituere. Hactenus locum habere videri poterat id, quod barbarus ille interpolator Virgilii intertexuit: *Et vitula tu dignus et hic et quisquis.* Quando quidem tamen non criticum ſtudium, nec iudicium, aut examen rerum a peregrinatoribus traditarum in quaeſtione, quod ipſa verba docent, requiſitum erat, ſed tantum opera gnaua et intenta in colligendis et ſollers ac felix induſtria in diſponendis iis, quae ex peregrinatorum libris conquirere et comperire licet: prior autem commentatio hoc ipſo alteri praeſtat, atque indice quoque inſtructa eſt: Ordo ampliſſimus iudicauit priori illi,

quae

Digitized by Google

quae inſcripta eſt *verbis Pindaricis*, praemium deberi; alteri, cui inſcriptum eſt, *Tentanda via eſt*, honorem. vt altero a priore loco illa laudem et fauorem, cunctis probantibus, ferret. *Non equidem nec te, iuuenis memorande, ſilebo.*

Reſciſſa ſcheda victrici commentationi annexae nomen prodiit:

Car. Henr. Chph. Nordmeier, *Hannoueranus*, inter Seminarii philologici Sodales adſcriptus. Altero loco laudem egregiam retulit Nic. Gvil. Frevdenthal, *Stadano-Bremenſis.* Idem anno ſuperiore in certamine theologico erat loco ſecundo victor pronuntiatus.

Pergite Pierides. Recitatae ſunt his peractis quaeſtiones in annum ſequentem XCIII. propoſitae. Verum pace veſtra liceat leges in memoriam reuocare iis, qui in certamen deſcendere volent. Etſi enim illae ſatis notae et poſſint eſſe et eſſe debeant, cum in programmatibus noſtris et ab initio a. LXXXIV. fuerint propoſitae, et ſubinde repetitae: fugere tamen eas aut fallere multorum memoriam paſſim vidimus. Exhibendae ſunt commentationes ſeu Decano Ordinis ſeu Prorectori ſeu cuilibet alii Profeſſori ante Kal. Apriles, libellis obſignatis, vt auctor lateat. Perſcriptae autem illae ſunto ſcriptura nitida et expedita, ne moleſtiam faciant legentibus; oratione bene latina; tum vero curandum eſt, vt plagulis paucis abſoluantur; nec ad molem iſtam excreſcant, ad quam nonnullas ex commentationibus victricibus aſſurgere vidimus; verboſa itaque abeſto expoſitio et protracta rerum

 e triuio

Digitized by Google

e triuio petitarum expoſitio. Nam hoc vnum in his ſcriptionibus ſpectatur, vt ingenii veſtri ac profectuum ſpecimen exhibeatis, virium et litterarum periculo facto, quid de vitae futurae conſiliis conſtituendum vobis ſit, intelligatis, ſimulque vtilitas aliqua litteris ipſis prouideatur, vno et altero argumento ex variis diſciplinis veſtra opera diligentius excuſſo ac perpolito.

In futurum itaque annum

ab ORDINE THEOLOGORVM poſtulatur

Narratio critica de interpretatione locorum N. T. in quibus donorum Sp. S. quae vulgo extraordinaria dicuntur, mentio iniicitur.

ORDO ICTORVM deſiderat,

vt exponatur natura et indoles dominii vtilis, eiusque veſtigia et vſus in inſtitutis iuris Romani et Germanici; et vtrum vſusfructus, in variis iuris Germanici inſtitutis obuius, cum dominio vtili pro eodem haberi poſſit?

Quaeſtio ORDINIS MEDICI:

Quum medicorum de aliorum atque aliorum ex vegetabilibus praeparatorum extractorum efficacia ſententiae non raro tantopere diſcrepent, illudque diſſidium in modo extracta illa parandi, ac in delectu vegetabilium ipſo, latere videatur: quaeritur, quaenam illa conficiendi methodus, ſi ſenſuum externorum iudicium, ſana chemicae artis principia, multifaria chemicorum conſilia atque experimenta, et medicorum probatae fidei teſti-

teſtimonia in ſcriptis eorum obuia, ſollicite inter ſe comparentur, virtutes vegetabilium et maxime intemeratas ſeruet, et quaſi concentret.

Ab ORDINE PHILOSOPHORVM:

Aſiae Herodoteae difficiliora geographico more explicanda; et nunc quidem: I. *ex maribus:* rubrum ſ. auſtrale, cum ſinu Arabico; Euxinus pontus cum Helleſponto, Propontide ac Maeotide palude; Caſpium mare. II. *e fluuiis:* Euphrates, Tigris, Is, Gyndes, Araxes, Aces — III. *fines Aſiae Herodoteae* quoquouerſus deſcribendi.

Habetis nunc, Commilitones, materiem laudum, in qua vires quisque ſuas ingenii, induſtriae, iudicii ac doctrinae, experiri poſſitis; neque vnquam animo dimittite illud, praemio hoc XXV. aureorum ducatorum propoſitum eſſe vobis aliud non inferiore loco habendum, quod opportunitas vobis data eſt, qua igniculos ingenii in vobis latentes excitare, orationis copiam parare, ſcriptionis vſum et facultatem aſſequi, pudorem praeclaros auſus retardantem vincere, vires ingenii ipſo conatu acuere et augere, poſſitis. Iudices veſtrorum conatuum nanciſcemini aequos, veſtrisque ſucceſſibus fauentes.

His peractis ad vota reditum eſt, quae huius diei ſollennia poſtulabant, pro auctore huius munificentiae, qua ſtudia veſtra, Commilitones, excitantur, eorumque ſucceſſus ornantur. Soſpitet deus O. M. Regem cum ſtirpe regia, cumuletque eum bonis omnibus, quae vitam iucundam et beatam

reddere poſſunt. In tantis per omnem Europam motuum ciuilium et bellicorum aut terroribus, aut ſuſpicionibus ac minis, vtinam resp. cum Britanniae tum Germaniae in ſtatu permaneat tuto et tranquillo! nec Gallorum, libertatem, rem bonam et praeclaram, conſiliis malis ac peruerſis vindicantium, furoribus laceſſita regna vicina ad arma prouolent, neque ab aliis aliorum libertati fraudulentae machinationes ſtruantur. Faxit deus, vt principum curis ac conſiliis, omni cupiditate ex aliorum malis creſcendi abiecta, bellorum contagio reprimatur, res turbatae pacentur, ciuiles furores reſidant, nec, peſte occulte ſerpente exulceratis ſemel animis, ſemina licentiae latius ſpargantur; contra iniuriae ab impotenti multorum dominatione, nobilium ſuperbia, aliorum inuidentia, aſtutia ac malitia profectae, tollantur, iuſtitiaque et aequitate, moderatione et verecundia, per omnes ordines reſtituta, animi ad communem, non vnius, aut paucorum, ſed pro virili omnium, vtilitatem ac proſperitatem publicam attemperentur et informentur. Ita tandem tranquillitate inconcuſſa, eaque omnibus fructuoſa, non ex ſtupore ac metu ſeruientium quaeſita, ſed populi conſenſu, inferiorum quoque ordinum confeſſione firmata, frui licebit. Ita quoque litterae efflorescent, quae non magis inter licentiam multitudinis, quae libertatis nomen iactat, quam in imperio, quod aſtutis conſiliis hominum ingenia circumſcribit, animos occaecat, voluntatesque enecat, tanquam peſtilenti ſidere afflatae contabeſcunt.

P. P. in Georgia Auguſta M. Iunio cIↄ Iↄ ccxcii.

XX.

Digitized by Google

XX.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
LVID. KVLENKAMP D.
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
LV.
IN KAL. SEPTEMBRES CIƆ IƆ CCXCII
CELEBRANDA
RITE INDICIT
SIMVLQVE
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
THEOPHIL. IACOB. PLANCK D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT.

Vani Senatus Romani conatus ſub Imperatoribus reſtituendi libertatem reipublicae.

Si ſenium procliue eſſe dicitur in immodicas rerum, quibus melioribus annis interfuerat, laudes, vt *laudator temporis acti* ſit omnis ſenex: ſane contraria via

Digitized by Google

via cauendum eſt, *Commilitones*, quando annos experientia anteuertimus et temporum praeteritorum notitiis inſtructi ſenectutis comitem, prudentiam, maturius parauimus, ne iniqui *reprehenſores et obiurgatores temporis acti* ſimus. Adeo enim omnis rerum geſtarum memoria abundat malorum conſiliorum, fictarum virtutum, peſſimarum artium, fraudum, inſidiarum, ſcelerum, flagitiorum, exemplis, vt nullum omnino reperiri poſſit tempus, in cuius recognitione et contemplatione animus lubenter et iucundae acquieſcat. Nam et omnino nulla magna virtus, quam quidem homines admirantur, exiſtit niſi inter humani generis aut mala aut vitia; et per illa ipſa tempora, in quibus ſumma ingenia floruiſſe, magnis virtutibus respublicas aut imperia inclaruiſſe legimus, tamen modo rerum geſtarum cauſſas, modo conſilia, modo eorum exequendorum rationes, modo exitus parum probare poteſt ſapientiſſimus quisque. Nam cum ea, quae ſtrenue et animoſe, fortiter et conſtanter, geſta ſunt, aut in bello, adeoque cum aliorum hominum pernicie, edita corporum ſtrage, vrbium direptione, agrorum vaſtatione, aut inter furores ciuium, aut ad vlciſcenda malorum principum facinora ac flagitia, inter diſcrimina per cupiditates, ſcelera et ſtolida paucorum conſilia conflata, inter terrores et trepidationes, expedita eſſe videmus: nulla percipi poteſt iucunditas, quae nihil acerbi, nihil moleſti ad humanitatis ſenſum, admixtum habeat. Si Romanorum virtute incredibili geſtae res admiratione mentem percuſſerunt: concidit omnis haec legentis voluptas, ſi bella iniuſte ſuſcepta, arma latronum more

more ad vicinas quasque gentes circumferri ſolita, iras in eos, qui libertatem retinere ac tueri, quam ſeruire maluerant, rapinas, ruinas, excidia, ſi victarum gentium moeſtitiam, ſqualorem, ſalutis deſperationem, victorum ſuperbiam et immanitatem, captorum ſeruitium, reputes *a*). Quo fit, vt, ſi forte ex te quaeſiueris, quem potiſſimum fructum ex ea lectione perceperis, vix habeas, quod memores, niſi forte hoc, te miſeram humanitatis conditionem ex praeclaris his virtutibus et virtutum laudibus perſpectam habere. Hoc vnum tamen praeterea lucramur, quod ad ea, quae noſtro aeuo eueniunt, non obſtupeſcimus tanquam ad inaudita, nec noſtram aetatem accuſamus tanquam corruptelis maioribus, quam vllam ſuperiorum, laborantem. Nam illa vtilitas, quae ex rerum memoria petenda erat, cuius cauſſa ſapientiſſimi viri hiſtoriam perſcriptam eſſe voluere, *vt inde capiamus, quod imitemur, vt, quod foedum inceptu, foedum exitu vidimus, vitemus*, ea, veremur, vt vllo tempore tanta, quanta eſſe potuerat ac debuerat, percepta ſit ex his exemplorum documentis in illuſtri monimento poſitis; ad

a) Tacitus Ann. IV, 32 fortunam ſuam conqueritur, quod ſibi annales condenti non talis rerum materies ſuppetat, qualis iis fuerit, qui veteres populi Romani res compoſuere. At quae putabimus eſſe illa tam praeclara? *Ingentia illi bella, expugnationes vrbium, fuſos captosque reges, aut, ſi quando ad interna praeuerterent, diſcordias conſulum aduerſus tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina, libero egreſſu memorabant.* An quicquam horum fuit, quod nullis cum hominum calamitatibus et aerumnis coniunctum eſſet? Tu ſi vnus ex regibus captis vinctisque fuiſſes, haec tam voluptatis plena, tam praeclara exiſtimaturus eſſes?

ad priuatam enim vitam ſpectant pauca; at ii, ad quos ea ſpectabant, principes et populi, iisdem cupiditatibus, conſiliis, curis, ſtudiis tenentur, quorum euentus ſiniſtros per omnia dudum ſaecula hiſtoria vel imberbes pueros docere debuerat. Nimis benigne de genere humano ſentiunt, qui ad prudentiae aliquam maturitatem populos aut perueniſſe, aut labentibus annis peruenturos eſſe ſibi perſuadent. Omne litterarum beneficium, omnem experientiae vtilitatem intercipit hoc vnum, quod homines ſumus, quod ſenſibus, cupiditatibus, iris obnoxii a rebus externis, neceſſitatibus, caſibus, fortunae incertis, quot quot ſumus ſapientes et inſipientes, pendemus; quod que nec ſine ſociali conſortio viuere, nec ſocietatis vllam conditionem omnibus tolerabilem habere poſſumus. Sunt itaque et erunt bona et mala, quae iam ante fuerunt; et, niſi forte natura humana aliquando mutabitur, iidem hominum errores, ſtudia, virtutes, vitia. Fient eadem, ſed aliter. Fabula eadem per omnes aetates agitur, aliis hiſtrionibus, alia ſcena. Quicquid per artes, per litteras, proficimus, in mala noſtra vertimus; nec eſt facile, quo veteres vincamus, niſi forte, quod, poſtquam Sophiſtarum cavillationes aetas deleuit, nos ſeriores aut ſumma cum ſubtilitate argutas vitiorum diſtinctiones et excuſationes excogitauimus, aut principia conſtituimus, quae pro fundo rationem perfectam habeant, quae aut in hominem non cadit, aut non niſi in hominem conſummatiſſimae ſapientiae. Fruſtra adeo de populis ac principibus ita diſputamus, quaſi illi omnes e Stoa vel Academia prodirent.

Scribun-

Scribuntur, Commilitones, quae his pagellis proponi ſolent, ingenii potius luſu, quam ſtudii intentione et doctrinae apparatu, quandoquidem perſona, tempus, conſilium ſubtilem operam nec deſiderant nec admittunt. Arrepta igitur ex iis rebus, quae cum maxime agerentur, occaſione, antiquiorum temporum exemplis declaratum dederamus a. LXXXIX. *libertatem populorum raro cum magno ad eos fructu recuperatam;* ſcribebamus iſta inter exultationes et exclamationes multorum ex recuperata a Gallis libertate. Alia proluſione a. XC. *Opum regni Macedonici auctarum, attritarum et euerſarum cauſſis probabilibus* expoſitis, occurrebamus iudiciis eorum, qui imperiorum, ad interitum ruentium, vitia et cauſſas in nouiſſimis quaerunt, nec vident, ſemina in iis ipſis eſſe ſata, per quae imperia opibus ac copiis ſuis quam maxime florere, fortuna exultare ſunt viſa; cum fortuna moderate vti, frugalitatem, temperantiam, continentiam in copiarum affluentia retinere, peſtilentis luxus contagium, ne corpora et animos frangat ac perdat, auertere, multo minus datum ſit populis quam privatis. Anno ſequente XCI. alia opportunitate data fortunam vidimus ſatis miſeram ac flebilem *regum, qui a ſuis fugati externa ope in regnum fuerunt reducti.* Agite in praeſenti, quandoquidem aliquid praefandum eſt praeconio, eique duplici, *de anniuerſariis ſacris* et *noui magiſtratus auſpiciis*, videamus fortunam ac ſucceſſum *conatuum Senatus Romani ſub Imperatoribus reſtituendae libertatis publicae.*

Docebit ipſa res exemplorum documentis admodum luctuoſis, in *populis per praepotentes paucorum*

opes

opes ac luxum perditis, multo magis ſi ex *victoriarum ludibriis* animi arrogantia et ſuperbia, cum aliorum contumeliis, intumuerint, aut ſi *commerciorum* per aliarum gentium et terrarum iniurias *cumulatorum rapinis* virtus publica ac ciuilis extincta fuerit, *ad foedam ſeruitutem omnia primo vergere, mox ruere;* eam *per multos annos ipſa tolerandi neceſſitate in ius verti;* tandem *intolerabilem viſam*, vbi nulla remedia fortunae caſus attulerit, (nam ii, qui in aulis regum ſapiunt, de his nihil cogitant) *fortuita de cauſſa, populari plerumque licentia, finiri;* hanc autem *nullis prudentum conſiliis poſſe regi.* Magiſtratuum enim auctoritas a verecundia, lege ac more proficiſcitur: quibus ſemel extinctis meliorum ſuaſus ridentur a plebe, atrociſſimis adſueſcente per temporum licentiam; quam in vtilitatem ſuam vertunt homines factioſi, alii ex aliis per factionum viciſſitudines ſibi ſuccedentes, malis deteriores, mox iis deterrimi: multo magis, ſi, nobilitate luxurie et ignauia fracta, nemo inter eos, qui genere et opibus praecellunt, eſt qui non aut contemtui aut odio habeatur. Ita eo res deueniunt, vt malorum nec auxilium ſuperſit nec remedium, niſi ab armis; his autem vt nec modus ſit expectandus niſi a ſatietate. Non enim facile, niſi exſatiatis per clades caedesque mutuas iris et odiis, fractisque per longas calamitates animis, exhauſtis per direptiones et vaſtationes opibus ac copiis, ſublato partim inter arma, partim per proſcriptiones et ſupplicia, fortiſſimo quoque et contumaciſſimo, ceteri malorum, quae vident dominationis ſeu aequare mala ſeu ſuperare, pertaeſi, ex tempore medelam, quamcunque fors obtulerit, arri-

arripiunt, ita vt grauiora plerumque, quam quae tulerant, mala ſuccedant, vt que illi poſt Caeſares et Antonios aſtuti et imbellis ſubſeſſoris, Octauiani, dominationem tolerent. Vana itaque ominantur, qui vno ictu vulnus inſanabile Galliarum recidi poſſe ſibi perſuadent. Repetendae tamen et horum malorum cauſſae ex ſuperiorum ſunt temporum vitiis, quibus corrupti animi nec mala nec malorum remedia pati poſſunt. Stultitiam auorum, nec modo ſuam, luunt nepotes etiam tum, cum in noua mala ſe praecipites agunt, vt ea effugiant, quibus iſti ſe induerant. Vti plerique temporum, non ſuis, vitiis miſeri ſunt: ita patrum plerumque vitiis et deterior et miſerior fit progenies. Poſteris itaque ſuis execrabiles ſunt, qui vitia blanda ac ſpecioſa in remp. admittunt, quibus nepotes, tanquam lenta tabe aut veneno, ſunt perituri. Attamen hoc ipſum imprudentes agimus omnes, qui noua luxus inſtrumenta, ſumtuoſi ſplendoris exempla, aut etiam vitae ad maiorem mollitiem expolitae elegantiam, inter ciues et populares vulgamus, impenſarumque ſupra fortunae, loci, ordinis, modum faciendarum neceſſitatem aliis facimus oſtentatione noſtra; aut qui ſeu ingeniorum ſeu artium inſidioſis operibus editis voluptatum et libidinum irritamenta proponimus.

Iam primum Senatus Romanus ſub ipſis ſuſcepti ab Octauiano imperii primordiis ſeu metu et cunctatione, ſeu incuria et incogitantia commiſerat, vt vix vlla aut temperandae libertatis aut poteſtatis Caeſarum immodicae circumſcribendae ſpes et facultas relinqueretur. Tam diſſimilis ille erat patrum,

Digitized by Google

qui aliquando Tarquiniis expulſis exploratam ſtatim ac deliberatam habebant reip. conſtituendae rationem, et conſilia vnanimi conſenſu in vnum hoc iungebant, vt dominationem abolerent, ordini vniuerſo, non ſibi quisque potiores reip. partes aſſerentes *b*). At nunc corruptelis omnis generis deprauata ingenia non libertatem publicam, ſed priuatam licentiam circumſpicere, metuere ſibi, publica parum curare, generoſe nec pro ſe nec pro aliis quidquam audere. Acceſſit quod nec ſupereſſet, qui fortunae Octauiani par aut eſſet aut haberetur. Hic autem notis artibus vſus, quas inter dominationis arcana haberi voluit, reip. priſtina ſpecie relicta, nominibus et vocabulis iisdem, noua iura conſtituit; inprimis autem Senatus dignitate ſeruata, magiſtratibus iisdem manentibus, *munia Senatus, magiſtratuum, legum, in ſe traxit nullo aduerſante*, (*Tacit. An.* I, 2.) vtque honoribus priſtinis patrum decreto delatis imperii omnis vis et poteſtas ſibi mandaretur, obtinuit.

Facile quidem intelligitur, in re noua et improuiſa non occurrere potuiſſe ea, quae vſus et experientia mox edocuit; nec poterant patres Caeſari extorquere imperium militare, legiones, prouincias, quibus ſumma imperii continebatur. At illud miremini factum, quod nihil a Senatu prouiſum ſit, vt poteſtas militaris vlla lege coerceretur; vt ſuam ipſe Senatus dignitatem tutam ab iniuria et intactam ſeruaret; vt ſaltem gladium a iugulo arceret. Quid? quod nihil omnino aut lege aut Senatus

b) Egregie diſputata ſunt hanc in rem plura ap. Machiavell. Diſc. in Liv. I, 17 ſqq.

Digitized by Google

Senatûs decreto conſtitutum ac definitum nec tum eſt, nec poſtea, quod ad ſummam rerum ſpectaret; ne illud quidem, quod primo loco prouidendum erat, vt de ſucceſſione in imperio lex, quae pro fundo omnis iuris publici eſſet, ferretur; id quod multo magis a Senatu expectari potuiſſe putes, ex quo ſub Tiberii principatus initia e Campo in Curiam comitia fuerant translata. Ita euenit, vt imperium, tanquam peculium, in manu Principis eſſet, quod ille liberis hereditatis iure relinqueret; qua ipſa rerum facie etiam animi ad induendum habitum dominationis tanquam iure et more perferendae, quippe a mancipatis principi et in dominio habitis, deflexi ſunt; omnis autem Senatus auctoritas fuit euerſa.

Vt tamen res hunc progreſſum haberent, hoc maxime modo eueniſſe credimus: principio nec videbat nec videre poterat Senatus, quae ſibi iura aut ſeruanda eſſent aut conſtituenda: nam relicta ei videri voluit Auguſtus omnia; ipſe e ſua vtilitate eſſe ratus, vt cuncta in incerto relinquerentur. Difficile autem eſt, cui ſemel de tuo iure conceſſeris, etiam inique imperata detrectare; adeo praeceps eſt in deteriora obſequium; hoc iure tamen potentes vti norunt, etiam, qui multa alia ignorant. Per haec ipſa Principis poteſtas increſcere, ipſo vſu et aetate inualeſcere; Senatus autem raro et in dies cunctantius alia, quam quae grata erant, cenſere ac decernere. Cum tamen ne hoc quidem Senatus prouidiſſet, vt ne in ſuum ordinem legerentur, niſi quos ipſi probaſſent, factum eſt, vt a malis principibus improbiſſimus quiſque et inhoneſtiſſimus allegeretur.

geretur. Ita ruere plerique in foediſſima obſequia, facere inuidiam bonis, criminari ſeueriores, moderata quaeuis calumniari et in ſuſpicionem vocare. Ex his metus, vt malis coercendis vtilis, ita bonorum libertati inimicus; vtque ſcelus audacius committit, qui ſocios ſe habere nouit, ita, qui ab aliis ſe deſtitutum aut videt aut ſollicitus timet, in optimarum rerum conatibus cunctatur et fluctuat, eoque auſibus excidit. Aſſenſum eſt itaque palam probroſiſſimis principum iuſſis; cum nulla amplius ex honeſto eſſet ſpes, contra *publica mala ſingulis in occaſionem gratiae traherentur*, omne autem certamen aut vanum aut periculoſum eſſet, ſtricto in quemque, qui aliter ſentiret, gladio. Curiam viliſſimorum mancipiorum ergaſtulum diceres; Nigritas Afros, non Senatores Romanos, aſſidere. Tantam ad animos deprimendos vel erigendos vim habet libertas ac ſeruitus. Quid mirum itaque, ſi ſtatuas, nec minus fieri poſſe, vt, ſublatis ſuis Caligulis et Neronibus, abiectiſſimi quique Romanos ſpiritus ſumant. Nec tamen ſtatuendum eſt, nullum ſuperfuiſſe generoſius ingenium, aut extinctam fuiſſe omnem virtutem Romanam. Etiam prudentium iudicio temeraria eſt virtutis oſtentatio, tibi periculoſa, aliis publice priuatimque nihil proficua. Nec fuit quicquam in his, quod non ipſa res, tempora, mores hominum ita ferrent, aut quod etiamnum intra aularum cancellos aliter fiat. Pauci erunt, qui, eodem in loco, fortuna, diſcrimine conſtituti, cum ſuis malint inter infeſta perire, quam in tutiora ſe differre. Eſt et haec iniuria, quam miſeris facimus, quod fortunam iis imputamus, ipſi

extra

Digitized by Google

extra aleam conſtituti. Atqui fortuna cuiusque fingit mores, prudentia externum habitum; et facilius eſt, dum ipſe liber ſis, aliis ſeruilem animum exprobrare, quam in ſeruitute animum erectum ac liberum retinere.

Inter haec principes, cum ſummam poteſtatem in militari imperio poſitam eſſe viderent, quo quisque deterior et ad licentiam effrenem pronior, eo effuſior erat ad milites largitionibus corrumpendos. Vt exhauſtum per eas aliasque profuſiones aerarium per iniurias et ſcelera in dies noua ſupplerent, vnicum erat ſtudium eorum, qui in gratiam principis irrepere vellent. Hoc autem in aulis ſtudium cum primum ſubnatum auctumque fuerit, extincta iacent omnia ſtudia honeſta; et, niſi mature occurſum fuerit, actum eſt iam tum de republica; manet flagitium praeſentem, exitium futuram aetatem. At legiones et largitionibus et diſciplinae remiſſione in licentiam effuſae, cumque iis multo magis praetorium ſub moenibus vrbis habitum, tandem in ipſos principes ſaeuire, alios principes pro lubitu necare, alios ſalutare; promta ad deteriora plebe: cuius rabies, ſi ſemel legum metu exſoluta fuerit, non niſi laniena compeſci poteſt.

Quod patres in principatu recens conſtituendo non prouiderant, id ſub extrema tempora, Auguſto ſene Principe longa potentia valido, ſibi iure ſuo vindicare multo minus auſi ſunt, vt deliberationem, quis ei ſuccederet, ad ſe pertinere palam profiterentur. Ita confecta eſt omnis res artibus domeſticis, permiſſumque Auguſto, vt tanquam heredem familiae

ſuae circumſpiceret, modo Marcellum, modo C. et L. Caeſarem, tandem, meliore quoque extincto, Tiberium.

Euenire hoc vidimus per omnes aetates, vt modo tempora ingeniis, modo ingenia deeſſent temporibus. Nemo tunc ſupererat, qui aut imperio dignus haberetur, aut qui tantum, ſi non virtute, audacia ſaltem, valeret, vt dignum ſe oſtenderet. Audacia ſcilicet ac ſcelere graſſari facilius eſt in diſcordiis ciuilibus, quam in rebus tranquillis. Ceſſerat quoque, inter longae pacis blanditias, reipublicae cura curis priuatis; ſibi quisque metuere, ſibi nouas ſpes proſpicere, de ſumma rep. ne cogitationi quidem pares eſſe; ſordent cito ſtudia et infructuoſa et principi haud grata, et prolabitur ingenium, excelſius quoque, in alia minus obnoxia. At hoc ſaltem tempore id obtulerat fortuna Senatui, vt circumſcriberet hominis in principatum ſubrepentis impotentiam legibus, quae pro fundo omnis publicae poteſtatis et libertatis eſſent, cum ille ipſe prae ſe ferret, non niſi a Senatu ſe imperium impetrare *c*). At defuit melioribus auctor, vnoquoque ſcilicet pro ſe timente, ne periculum ſecum adire nollet quisquam alius, quamuis cupidis omnibus praemia ſucceſſus in ſe trahere. Ita nemo hiſcere; vultum pro re quisque induere; vnus metus eſſe, ſi intelligere viderentur, ſimulate agi a Caeſare. Ita iterum in Tiberium delati principis honores, cumque iis vſurpata ab Auguſto, tanquam more,

c) Tiberius hoc ipſum famae dabat, vt vocatus electusque potius a rep., quam per vxorium ambitum et ſenili adoptione irrepſiſſe videretur. Tacitus An. I, 7.

Digitized by Google

more, ſumma poteſtas *d*), ius arbitriumque omnium rerum; ita noua dominatio ab omni parte tuta et munita viſa. Toleratum quoque eſt, vt, primum quod faceret nouus princeps, eſſet hoc, vt priuato iuſſu per *codicillos e*) Agrippa de medio tolleretur. Aſſentandi enim certamen ſemel ortum non habet, vbi ſubſiſtat; aut metu aut ſpe ad infima prolabitur, qui ſemel ſe indigna aut dicere aut facere cogitur.

Mireris tamen inter haec etiam ſerius inſediſſe animis eam opinionem, ad Senatum, in quem populi poteſtas fuerat translata, pertinere, vt, qui ſuccederet, ab eo ſtatueretur. Nullus itaque fuit ſiue Caeſar ex teſtamento aut per adoptionem, ſiue Imperator a Praetorio vel exercitu ſalutatus, qui non aut in Senatum prodiret, aut Senatui militum voluntates nuntiaret, ſolitosque ab eo honores reciperet; Nec neceſſe eſt, ire per ſingula *f*).

Noua ſe obtulit Senatui opportunitas recuperandae et libertatis et priſtinae dignitatis poſt caedem Caii. Caſſius Chaerea, tribunus cohortis praetoriae, dignum Romano facinus auſus, Bruto et

d) Hoc enim fuit, quod Lege Regia ſciſceretur; nihil de iuribus Senatus, nihil de iure populi, nihil de reip. poteſtate. Adeo hoc videtur eſſe *inter nouiſſima generis humani inuenta*, quod primum occurrere putares, *vt principatum habere vellent cum libertate.*

e) *Lettres de cachet.*

f) Inter alia traditum erat, *Traianum orationem ad Senatum mittere voluiſſe, petiturum, vt, ſi quid ei eueniſſet, principem Romanae reip. Senatus daret, additis duntaxat nominibus, ex quibus optimum idem Senatus eligeret.* Spartian. Adr. 4. cf. Curtius de Senatu Rom. III, 1 ſq.

Caſſio etiam in hoc ſimilis quod, quomodo ſucceſſu vtendum eſſet, ante facinus audendum non ſatis reputauerat, rem ad Conſules (Pomponius Secundus et Cn. Sentius Saturninus erant) detulit; qui, edicto ad populum propoſito, cum Senatu et cohortibus vrbanis forum Capitoliumque occuparunt, aſſerturi communem libertatem. (Sveton. Claud. 10.) Relatum inde ad Senatum de republica. Euenit et hoc tempore, quod toties in collegiis et conſeſſibus multorum fieri obſeruatum eſt *g*): vbi facto opus eſt, nusquam magis delirari quam ſi prudentium multitudo conſilia in vnum contulerit. Legendus erat confeſtim maxime idoneus, et ſancienda legibus quae ſuperiorum temporum vſus docuerat. Ne ſic quidem praeciſae malorum artes, nec perpetua erat reip. ſtabilitas, duratura tamen aliquamdiu. At in Senatu multae variaeque dictae ſententiae; aliis, ſummam reip. populo reſtituendam eſſe, aliis vnum principem habendum cenſentibus; ſed hi rurſum alius alii principatum deferebant. Prioribus illis nihil aut dici aut cogitari potuit ſtolidius; quomodo enim in magno populo diuturnae ſeruituti adſuefacto, nullis virtutibus ciuilibus imbuto, luxui et inertiae addictis nobilibus, popularem libertatem aſſeras? aut ſi aſſerueris annon eam ſtatim ab ipſo ortu praecipiti lapſu in dominationem omnium teterrimam verti neceſſe erat? Protracta per hanc diuerſa ſentientium diſſenſionem deliberatio, et reliquum diei totaque nox abſumta. Nolumus repetere, quae ſatis nota ſunt, milites interea

g) Nemo haec diſertius et viuidius declarauit quam *Retz. Memoires.*

interea rapinae cauſſa palatium ingreſſos Claudium mortis metu in obſcuro angulo latitantem protraxiſſe, mox agnitum Imperatorem ſalutaſſe et in caſtra duxiſſe. Tam foedo exitu finita eſt intempeſtiua Senatorum deliberatio: cum audiiſſent conſenſu militum, mox et populi, acceptum imperatorem, tandem ipſi quoque aſſenſi ſunt et imperium Claudio cum ceteris honoribus decreuerunt *h*). Haud facile magis ineptam et abſurdam de creando principe deliberationem narratam repereris, niſi forte per hinnitum equi creatum regem Perſarum memineris; qui tamen equi hinnitus multas multitudinis acclamationes aequare potuit.

Per omne ſequens tempus Senatus imperatoribus ad omnia obnoxius non facile animos ſumſit, niſi quoties ſe id tuto facere poſſe putaret. Neronem, iam ab omnibus deſertum et latebris abditum, hoſtem iudicauit, vtque more maiorum puniretur, decreuit, (Svet. Ner. 49.) cum ſatis eſſet, tyrannum e medio tolli. Doctum profecto et litteratum Senatum fuiſſe dices qui tam antiqua reuocaret, nec parum ſibi in eo, quod cenſeret, placuiſſe.

h) Dio Caſſ. LX, 1. Sveton. Claud. 10, et diſertius Ioſeph. XIX, 1. 2. 3. Parata Caio caedes *inter ludos et ſollennia*, *tentatum* aliquoties facinus et *dilatum*, *perpetratum* tandem eſt vltimo ludorum die, *inter celebrata ſpectacula*, *in loco caliginoſo* in *turba deducentium*. *Sumtum ſupplicium* de Chaerea et Lupo; at *ceteris coniuratis venia data* pro beneficio in remp. collato. Etiam haec iis ſimilia, quae alio aeuo euenerunt. Forte nec illud prorſus nouum, quod *Iudaeus*, Rex Agrippa, ſeu pecunia ſeu conſilio, partes egit praecipuas in imperio Claudio vindicando; neque hoc ſine verſuta malitia, qua Senatum circumuenerat.

Digitized by Google

cuiſſe. Domitiani iam occiſi memoriam damnauit Senatus. (Svet. c. 23.) Reſtituta eſt patribus dignitas et auctoritas per bonos principes, Neruam, Traianum, Adrianum, Antoninos; iterum imminuta per Commodum; dubia et fluctuans ſub principibus, qui eum exceperunt; profligata enim a Septimio Seuero, refocillata ab Alexandro, Maximini tyrannide oppreſſa; in quem ſaeuiente plebe Senatus repente ira efferbuit adeo, vt imperii hoſtem eum renuntiaret. Gordianis tamen occiſis cum Maximo et Balbino, ad legionum arbitrium iterum imperii deferendi poteſtas eſt relapſa. Gallienus tandem Senatores a legionibus interdixit et a militia excluſit; ita omnis resp. ad militarem ordinem fuit translata.

Caeſo in via inter Byzantium et Heracleam Aureliano *i*), noua lux ſeu libertatis priſtinae recipiendae ſeu imperii emendandi affulſit. Amiſſo enim principe legatos ſtatim Romam miſere milites, *vti ſuopte arbitratu patres imperatorem deligerent. Quibus, hoc ipſorum potiſſimum conuenire muniis, reſpondentibus, rurſum legiones ad eos reiiciunt. Ita vtrinque pudore ac modeſtia decertabatur — tandem Senatus menſe circiter poſt Aureliani interitum ſexto Tacitum e conſularibus creat.* (Aurel. Vict. Impp. 35. 36.) Vnde haec militum modeſtia profecta ſit, non edocemur; parum enim idoneos ſcriptores horum temporum habemus, neque quicquam ab iis accurate expoſitum.

i) a. C. 275. De hoc Aureliano Vopiſc. 37. *Senatus mortem eius grauiter tulit, grauius tamen populus Rom. qui vulgo dicebat:* "Aurelianum paedagogum eſſe Senatorum." Nihil praeterea additur; apparet tamen, eum licentiam hominum ferula compeſcuiſſe.

Digitized by Google

ſitum. Vopiſcus quidem *vino ruſo maxime delectatum eſſe* Aurelianum, et alia paris momenti diligenter notauit, etiam docte de altero hoc poſt Romulum interregno diſputat; exclamat ſane et ipſe: *quae illa concordia militum! quanta populo quies! quam grauis ſenatus auctoritas fuit! Nullus vsquam tyrannus emerſit; ſub iudicio ſenatus, et militum, populique Romani, totus orbis eſt temperatus; non illi principem quenquam, vt recte facerent, non tribunitiam poteſtatem, formidabant,* "ſed, quod eſt in vita optimum, *ſe* timebant." (putes aliquem ex noſtris acutis ſcriptoribus, calamiſtrata dictione ferocientibus, audire.) Narrat inde *odio praeſentium* (h. eorum, qui in exercitu erant: cf. Aurelium c. 40 et 41) exercitum ad Senatum litteras miſiſſe — *Verum*, pergit, *ſenatus ſciens lectos a ſe principes militibus non placere, rem ad milites retulit. Dumque id ſaepius fit, ſextus peractus eſt menſis.* Prudenter nec ne Senatus partes ſuas in hac cunctatione egerit, cum et prouinciarum motibus et militum leuitati opportunitas daretur, in tanto monimentorum defectu iudicari nequit. Sufficit Senatum a conſilii grauitate et conſtantia adeo abfuiſſe, *vt imperatorem per ſex menſes, dum bonus quaereretur, reſpublica non haberet;* nactam tamen eam eſſe *ſanctum et grauem imperatorem*, qui cuncta ex Senatus ſententia et poteſtate ſe decreturum eſſe polliceretur *k*). Sed inuidit fructum huius beneficii diuturnum fortuna; exſpirauit enim Tacitus intra ſextum

k) Quanta Senatus laetitia fuerit, quod eligendi principis cura ad ordinem eum redierat, vide ap. Vopiſc. Tac. 12. Florian. 5. 6. Inſignis eſt ea in cauſſa Oratio Metii Vocontii: quam ſeorſum illuſtrauit C. G. Schwarz miſcell. polit. human. c. 5.

ſextum menſem; nec fuit adeo in prouidentiae decretis, vt orbis terrarum per bonum principem recrearetur; tanto diuturnius fuit imperium Conſtantini eiusque ſimilium. Probum, qui Tacito ſucceſſit, legiones Orientis imperatorem renuntiauerant, dum *praeuenire* ſtudebant *Italicos exercitus, ne iterum Senatus principem daret.* (Vopoſc. 10.) In prima Oratione ad Senatum Probus: *Recte atque ordine,* inquit, *Patres conſcripti, proxima ſuperiore anno factum eſt, vt veſtra clementia orbi terrarum principem daret, et quidem de vobis, qui et eſtis mundi principes, et ſemper fuiſtis, et in veſtris poſteris eritis — Nunc a militibus nobis delatum eſt nomen Auguſtum — quaeſo vt de meis meritis faciatis, quicquid iuſſerit veſtra clementia.* (ibid. c. 11.) Eo anno ſexto caeſo a militibus (a. C. 282.) Senatus omnis auctoritas prorſus euerſa in legendo principe. Audiamus Sext. Aurelium Victorem ſaeculi quarti ſcriptorem (Caeſ. 37). *Abhinc militaris,* inquit, *potentia conualuit, ac Senatus imperium creandique principis ius ereptum ad noſtram memoriam: incertum an ipſo cupiente per deſidiam an metu ſeu diſſenſionum odio — dum oblectantur otio, ſimulque diuitiis pauent, quarum vſum affluentiamque aeternitate maius putant, muniuere militaribus, ac pene barbaris, viam in ſe ac poſteros dominandi.* Videmus iisdem artibus ac vitiis, quibus Ordinum prouinciarum et regnorum multis in terris ius ſublatum et auctoritas profligata iacet, iam tum Senatum ſibi ipſi vires praecidiſſe, et, dum ſuis rebus conſulunt ſinguli et deſidiae auaritiaeque indulgent, reip. libertatem ac poſterorum incolumitatem ac proſperitatem prodidiſſe.

Quid

Digitized by Google

Quid igitur, in tanta rerum caligine, in his incertis caſuum, magis eſſe poteſt conſentaneum, quam quae cuique agenda ſunt agere religioſe ac prudenter; cetera optimo et ſapientiſſimo numini permittere ſeu publica ſeu priuata. His, et multo grauioribus, quibus ſanctior doctrina nos initiauit, confiſi, etiam in praeſenti aequis animis accipiamus ea quae aliunde nuntiata mentes turbare poſſunt, dum ſcelerum ſucceſſus, bonorum conſiliorum infauſtos euentus, narratos audimus; et, noſtra rerum conditione acquieſcentes gratias agamus deo O. M. cuius prouidentiae haec otia noſtra debentur. Perſoluentur eae publice in ſacris anniuerſariis, quae in craſtinum diem hoc ipſo praeconio indicuntur, et ab iis agentur, qui in publicum prodibunt et ducta in templum academicum pompa in cathedram eſcendent. Cum enim Patrum ſcito, ſummi in regendis his terris conſilii auctoritate rato facto, placuerit, *magiſtratus academici ſucceſſionem cum anniuerſariis ſacris coniungere*, et *vtrumque ſollenne in Kalendas Septembres reiicere:* ab eo, qui nunc magiſtratu deceſſurus eſt, tradentur inſignia Viro Summe Reuerendo

THEOPHILO IACOBO PLANCK D.

quem veſtrae pietati, commilitones, multis verbis commendare nihil attinet; tantam inter vos exiſtimationem eſſe nouimus de huius viri integritate morum, vitae ſanctitate, in officiis peragendis fide et religione. Vos itaque et ipſi veſtri officii eſſe reputatote, vt eum frequentes deducatis, dicentem fauentes audiatis.

P. P. in Georgia Auguſta pridie Kal. Sept.

Digitized by Google

XXI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
THEOPH. IAC. PLANCK D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IVST. FRID. RVNDE D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSA
COMMENDAT
IN A. D. KAL. MART. CIↃIↃCCXCIII.

Leges agrariae, peſtifere et execrabiles.

Cum Senatui academico placuerit, vices magiſtratus academici ſemeſtres ita conſtituere, vt in Kalendas Martias ac Septembres in poſterum illae reiectae ſint: nolite mirari, Ciues, vocari vos in diem craſtinum, ad celebrandum coetum et frequentia veſtra ornandum, in quo magiſtratus inſignia transferentur in virum Conſultiſſimum,

IVSTVM FRIDERICVM RVNDE,

quem ne verbis vobis commendemus amplioribus, ſuffragia veſtra tacita faciunt, quibus viri conſtantiam in

in iuſto et aequo vindicando, et in morum ac diſciplinae ſeueritate tuenda, vos ipſi ſatis commendatam habetis.

Faciet ille verba de *vera nobilitatis notione, pro diuerſa temporum ratione maxime diuerſa, inprimis ad illuſtrandum ea, quae Tacitus de antiquiſſima Germanorum nobilitate refert.* Quibus ſubiicientur bona vota pro reip. incolumitate, ſecuritate et tranquillitate, qua quocunque modo intercepta vel turbata actum eſt de litterarum ſtudiis deque earum laude ac lumine.

Hactenus praeconio noſtro cum ſatisfecerimus, vellemus quidem hoc tempore ſatisfeciſſe videri officio noſtro: quandoquidem difficile eſt dicenda reperire, quae animos audientium teneant. quae autem animos tenent, nec expedit dicere nec noſtro loco conuenit. Cum tamen more et lege ſubiicienda ſit diſputatio aliqua, agite, in honorem eius diſciplinae, quam profitetur is, qui magiſtratum initurus eſt, ſi non de re, ex hiſtoria iuris petita, ſaltem paucis de voce agamus, hominum paſſim ſermonibus celebrata et male accepta. Audimus enim homines inter Francos fanaticos et furoribus ciuilibus lymphatos, qui, cum nullam ſuarum rerum iacturam facere poſſint, quandoquidem *illis mala abunde omnia ſunt, ſed neque res neque ſpes bona vlla*, facile et expeditum habent, aliena patrimonia praedam facere, iactare frequenter *leges agrarias*, et ita ferre, vt dicant, eo rem deueniſſe, vt ad aequandas hominum fortunas, tanquam veram libertatis et aequalitatis normam, *lex agraria* ſit ferenda, qua aequalis agri portio ſingulis ciuibus ſit aſſignanda; eaque

in

in re prouocare eos ad *leges agrarias Romanorum*, easque tanquam exemplum, quod omnibus vbique mortalibus ſequendum ſit, laudare. Quae antiquarum rerum ignoratio tam pernicioſa cum inducere in errorem poſſit etiam meliora ingenia: operae pretium facturos nos eſſe putamus, *ſi notionem legis agrariae variamque acceptionem* declaremus doceamusque, quomodo facinoroſorum hominum fraude ac ſcelere ad euertendam non modo libertatem, ſed omnem omnino ſocietatem et humanitatis coniunctionem, *legis agrariae nomine et vſu* aliquando peruentum ſit. Continemus intra fines hos iudicium noſtrum; vt enim ad Francorum res haec transferamus, nec loci noſtri nec moris nec conſilii eſt; noſtrum eſt vota facere, vt omnes mortales aut ſapiant aut reſipiſcant; et pro virili id agere, ne culpa noſtra iudicia de rebus praua in vulgus emanent.

Iam primum promtum eſt ad intelligendum, homines, per tribus ac ſtirpes, aut per familias, in terras aut omnino incultas aut infrequenter habitatas immigrantes, agros inter ſe diuiſiſſe aut lubitu aut neceſſitate aut caſu, raro diſtribuiſſe aequis portionibus pro capitum familiarumue numero, certe parum ſubtiliter de modo et bonitate ſoli ſtatuiſſe; tantum ſcilicet quisque occupauit, quantum aut coleret aut ſpem colendi haberet. Subtilius fieri debuit iudicium in coloniis e ciuitatibus liberis educendis in terras nouas incolendas; in quibus tamen ipſis ab initio ſumma aequalitas fuit excluſa; non enim omnes facile *eiusdem ordinis et loci* fuerunt, qui patria excederent. Ita nec in coloniis Romanis, omni-

omnibus ac ſingulis, niſi qui eiusdem ordinis eſſent, idem iugerum modus fuit aſſignatus. Atque haec ſeu verbis ſeu ſcripto concepta formula prima fuit *lex agraria:* cuius generis in coloniarum hiſtoriis, tum in Iure coloniarum Romanorum, multa proſtant exempla; ſcilicet ſunt formulae a Senatu ac populo iuſſae, quibus praeſcriptum eſſet, quot capita, et quibus conditionibus, a quibus, in quas terras, eſſent deducenda; nec poſtulare videtur res, vt pluribus de his agamus.

Hae, ſiue coloniae ſiue in ipſis vitae humanae primordiis natae ciuitates (*συνοικίαι*) modo per agros ac colles ſparſae, modo per vicos et oppida collectae, ſiue a bonorum aequalitate ſiue ab inaequalitate aliqua profectae, innumeris de cauſſis intra vnam et alteram aetatem inaequales et diſpares ſingulorum fortunas habuere; inde aliorum pauperies, obſcuritas, egeſtas; aliorum opes, honores, potentia: quam, cum nullis ea legibus eſſet circumſcripta, per ſuperbiam et iniuriam male iis, quibus alios antecellerent, vtentium, intra breue tempus intolerabilem viſam eſſe facile credere licet. Quaeſitum eſt malo remedium. Alii potentes ac diuites per factiones vrbe eiecerunt, alii populari rep. conſtituta diuites et nobiles plebi aequarunt, alii ſecundum cenſum aut nobilitatem honores, magiſtratus et militiam conſtituerunt. Ita nullum eſt reip. inſtituendae genus, quod non experta ſit aliqua Graecarum ciuitatum. Fruſtra; nulla enim eſt ſocietatis forma ac deſcriptio, quam cupiditates hominum non perturbent, et aliquando euertant.

Maioris momenti experimenta Graeci propter virium tenuitatem facere non potuerunt; nulla enim erant magna imperia et regna, niſi barbarorum per Aſiam, quae, male conſtituta, regum et aulicorum luxu, mollitie, ſuperbia, modo praedationibus et ſeditionibus, modo incurſionibus ac bellis, alia ex aliis interire videbant. Nondum viderant magna imperia ac regna ſtudiis ciuium, induſtria, ſollertia, inuentis, artibus, commerciis, florentia. At Graecorum conſilia intra anguſtos, quos diximus, terminos continebantur; mirumque adeo non eſt, ſi e Graecis ciuitatibus fuiſſe memorantur, quae eo deuenirent, vt *fortunarum aequalitatem* tutiſſimum *libertatis munimentum* eſſe putarent; eminent in his Cretenſes, eorumque veſtigia prementes Lacedaemonii: quorum cum inſtituta alio loco expoſita ſint *a*), nec paucis de iis exponi poſſit, vrgeant autem nos grauiora et arctius cum re praeſenti coniuncta, de hoc *legum agrariarum* genere, quibus aequales agrorum ſortes fuere factae, nihil adiicimus, niſi hoc, quod ea res ne tentari quidem potuit niſi in exigua ciuitate; quod ea non ſine multorum iniuriis euentum habuit, nec eum diuturnum; et mala alia et quidem maiora intulit; nec omnino ea pro exemplo vlli ciuitati ac reip., multo minus magno alicui imperio, propoſita eſſe poteſt. Melius aliae ciuitates id egerunt, vt, in ipſa *fortunarum inaequalitate, iuris* conſtituerent *aequalitatem*, ſi non adminiſtrandae reip. et honorum, attamen *vnius cuiusuis*

a) *De Spartanorum rep. et inſtitutis in* IX Vol. *Commentation. Soc. R. Gotting.*

Digitized by Google

cuiuſuis in ſe ſuaque re tuenda b); quae ſi cui contigit, *in quacunque tandem reip. adminiſtrandae conditione ille priuatus vixerit*, nae is praeclare ſecum actum eſſe putet; ad maiora ne adſpiret!

Transeamus ad Romanos, ad quorum *leges agrarias* homines illos, qui fortunarum aequalitatem iactant, inprimis prouocare accepimus. Omnino *libertatem Romanam* quis non praedicari et ad coelum efferri audiuit! quis non ipſe praedicauit! Iam primum, ſi qua alia in re, quantopere ex opinionibus acceptis pendeant homines, apparet, in hoc de Romanorum libertate iudicio id manifeſtum fit. Nulla ea fuit, ſaltem nullus eius fructus, niſi potentibus, nobilibus, opulentis; at ii, qui non niſi mediocribus fortunis vterentur, aut nullis, tam miſera erant conditione, quam noſtro tempore ii, qui in ſimili fortuna et loco conſtituti ſunt. Quid? quod *nemo noſtrum eſt in mediocri fortuna conſtitutus, qui non libertate maiore ac meliore gaudeat quam ciuis Romanus e plebe.* Homine enim plebeio in Romana ciuitate nihil fuit magis obnoxium lubidini potentum, ſuperbiae nobilium, iniuriis optimatium, ipſique factionum popularium audaciae. Delectibus et militia attritus, agro ad eam tolerandam aut oppignerato aut in ſolutum dato, pater familias vnde viueret, non habebat, cum nullae vigerent artes et operae et mutua commercia, quae noſtra habet aetas. Nec eſt *vllum reip. Romanae tempus*, in quo Romae vixiſſe aliquis in votis habeat, niſi is aut

 ad-

b) Graecis ſunt voc. *ἰσομοιρία — ἰσοτέλεια — ἰσοψηφία — ἰσοπολιτεία — ἰσονομία*: haec vltimo loco poſita in quouis reip. genere veram libertatis notionem continet.

adſcriptus patribus eſſet, aut in factionibus potens, aut vnus ex iis qui remp. quocunque modo pecularentur, aut foenore, vectigalibus, publicis conducendis, prouincialibus expilandis, interdum ex praeda militari diteſcerent. Ceteris ſolatium erat relictum, ſe populum orbis terrarum victorem, marium terrarumque dominum et poſſeſſorem, lare ac foco carere, cum ambitioſis candidatis de ſuffragio paciſci, factioſis hominibus ſe addicere et largitionibus peſtilentibus ſe paſcere. Quae plebis conditio niſi fuiſſet: nec factionum nec bellorum ciuilium inſtrumenta ſuppetiiſſent, nec Octauiani dominatio vnquam ſtabiliri potuiſſet. In noſtris itaque imperiis, in quibus *libertas tolerabilis*, et *iuris aequalitas in ſe ſuaque re tuenda*, quam ſupra diximus, *integra et incolumis habetur*, nullo modo ſimiles hominum furores aut locum habere, aut vnquam ſuccedere poſſunt.

Fuit ea inter Romanos ſeu fama ſeu ſcriptorum opinio, inter Romam conditam condendamque *tot agrorum ſortes* fuiſſe, *quot erant capita* cum Romulo ab Alba longa profecta. Succeſſere *coloni* aliunde, quibus et ipſis ager ſuus eſt aſſignatus, vt fieri neceſſe eſt in ciuitate nouis aduenis aucta. Sub regibus ſaepe *deductas colonias* legimus, ſcilicet in agros vicinorum oppidorum bello captos ciuibus Romanis aſſignatos, quibus intra fines anguſtos vrbis ager non ſuppeteret. Interdum quoque, agri bello capti parte inculta et longo ſitu horrida relicta ſine colonis, edictum, vt colerent, quibuscunque libuiſſet, modo decimam frugum et ex arbuſtis quintam partem prouentus, vectigalis nomine, penderent.

derent. Mature tamen aequalitas fortunarum *inaequalitati* ceſſit; memorantur enim ſub ipſa Romae primordia gentes patriciae et plebeiae, incerta origine et cauſſa, ſed certo diſcrimine etiam rei familiaris. Conſtitutas videmus ſub Seruio Tullio *claſſes ex cenſu*, adeoque diuitum et pauperum. Mox regibus exactis omnis regia poteſtas ceſſit patribus; habita ſane comitia populi creandis conſulibus, ſed *patres fiebant auctores;* adeoque *paucorum* erat *dominatio* etſi *nomine libertatis praetexto.*

Interea *plebs* perpetuis bellis ac tributis, partim incurſibus hoſtium, *attrita*, vt neceſſitatibus ſatisfaceret, aere alieno ſe demerſerat; ad quod ſoluendum cum agri eiusque inſtrumenta et bona non ſuppeterent, iure antiquo corpora in nexum ducebantur; hoc eſt debitores nexi, ſeruili opera, opus facere cogebantur. Ita ditiorum foenore obſtricta plebs, et magna pars intra eorum aedes vincta et nexa. Ad paucorum opes rediit omnis resp. saeviſſima quaeque et iniquiſſima in ciues ſuos ſtatuentium; et tantum abfuit, vt ipſi modum iniuriae facerent, vt potius agros ab hoſtibus captos, inter egenos diſtribuendos, notis locati conducti artibus ſibi vindicarent, ſuarumque diuitiarum acceſſiones facerent; quid? quod bella, plebis tributis et delectibus gerenda, eo conſilio ſuſcepta et continuata ſunt, vt noui agri acquirerentur, vnde patres opibus affluerent. Si recte rem aeſtimes, ex hac maxime hominum cupiditate omnis Romanorum virtus et fortuna fuit nexa; nam, natis ſic bellis aliis ex aliis, virtus Romanorum habuit quo acueretur; et altera ex parte fortunarum illa inaequalitas

litas ab iisdem bellis continuis progreſſa eſt, cum alii re familiari perpetuis ſtipendiis afflicta ad inopiam et egeſtatem deprimerentur; vnde tam incredibilis egenae plebis multitudo, quae potentibus turbas et factiones excitare volentibus promtas manus locabat; alii autem ex agris partis, coemtis, raptis, immodice diteſcerent.

Tolerauit plebs aliquamdiu *patrum iniurias.* Si *plebem* dicimus, non de vili hominum turba ac faece eſt cogitandum, verum de iis omnibus, qui non ad numerum illum haud magnum gentium patriciarum ortum ſuum referebant; quarum, vt fieri ſolet, ſuperbia ex ea ipſa paucitate increſcebat. Tandem viginti fere poſt reges eiectos annis plebs malorum medelam quaeſiuit, primo vt *nexus ob aes alienum* non tam tolleretur: nam hoc perfici non potuit, niſi poſt CXX. demum annos, V. C. 428. Lege Poetelia: verum vt, ſi legi eſſet parendum, ſaltem id ſine lubidine et iniuria fieret; Eoque conſilio, vt crearentur tribuni pl., ad quos ab iniquis conſulum, (qui patricia ſtirpe orti patribus modo ſtudebant modo obnoxii erant,) iudiciis prouocari poſſet, per leges ſacratas effectum eſt V. C. 261. Quae a patribus ad eludendum omne hoc plebis auxilium excogitata et inuenta ſint, quae fuere innumera et incredibilia, hoc loco commemorare nihil attinet. Nam eo tantum conſilio haec narrata ſunt, vt appareat, quomodo ad *legum agrariarum* iniiciendam mentionem res adducta ſit.

Scilicet ciuium, delectibus crebris aut hoſtium in agros incurſibus ad vltimam inopiam et egeſtatem redacto-

redactorum, neceſſitatibus potuiſſet ſuccurri *agro publico inter eos diuidendo.* Iam ab initio Roma condita ager publicus fuerat relictus, cui acceſſit, quoties victis populis adimeretur, certa pars, reliquis inter populum diuiſis. Ager ille publicus aut paſcuus erat aut arabilis. Conductus ille primo a patribus, mox poſſeſſione longa habitus in dominio quiritario; fruſtra reclamantibus plebeiis. — Primus plebis cauſſam ſuſcepit Sp. Caſſius Coſ. 268. Victis Volſcis et Hernicis, data ei erat legum foederis cognitio: agri partes duae ademtae; publici ne an priuati quoque, non liquet. Adiectus alius ager publicus, a priuatis poſſeſſus, et de agro diuidundo actum apud patres. Magnus his incuſſus terror, rerum ſuarum periculo. Iniecta callide ſuſpicio, conſulem periculoſas libertati opes ſtruere. Conſul parum prudenter adſcitis in agri diuidundi ſocietatem Latinis et Hernicis, imminuta ſic plebis Romanae portione, ipſe beneficium ſuum euertit. Plebis animis alienatis, eo res adducta, vt ille regni affectati reus populi iudicio de rupe Tarpeia deiiceretur. Addit Liuius, ſtudens patrum cauſſae ſcriptor: *Tum primum* (ſcilicet nouo hoc ſenſu de agro publico inter egenos diuidendo) *lex agraria promulgata eſt, nunquam deinde vsque ad hanc memoriam ſine maximis motibus rerum agitata.* Recte vtique. Quomodo enim ii, qui agros poſſidebant, tam facile iis cederent? Et erant, qui a maioribus acceptos, aut ab aliis emtos et acquiſitos, iuſto titulo poſſiderent; noua adeo iniuria facienda, ſi iis adimeretur.

Sp. Caſſio ſublato e veſtigio plebem poenitentia inceſſit; facto enim inter primos animorum motus

ac terrores SCto, *vt Decemuiri crearentur, qui, agro publico finibus ac terminis deſcripto, pronuntiarent, quantum eius locandum et quantum plebi diuidendum eſſet,* mox, vbi periculo ſe liberatos viderunt, negare patres e rep. eſſe vt res perficeretur; protracta re in alterum annum, dicere: SCta eſſe vnius anni; alia ex aliis nectere illi ac mouere, nouas iniurias in plebem cumulare, etiam dilectu indicto, vt in bellum illa educeretur. Longum eſſet ſingula commemorare; ducta per contentionem controuerſia, et, vt fit, alienis a quaeſtione interiectis, tandem ad alium tanquam ſcopulum adhaeſit, obliterata controuerſiae eius, vnde in altum euecti erant auctores, memoria. Lata ſcilicet Lex Terentilla V. C. 293. a C. Terentio Arſa Trib pleb. *vt Quinqueuiri crearentur legibus de imperio conſulari ſcribendis.* Obſcure hoc dictum, ita eſt accipiendum, vt legem ad libidinem et licentiam conſulum in iudicando coercendam ſpectaſſe intelligas, cum nec Tribunorum auxilium ſufficeret, quoties in cauſſis, inprimis de nexis ob aes alienum, iniquae ſententiae dicerentur. Coſſ. enim ius dicentes, pauca e legibus, partim e Pontificum libris, pleraque ex arbitrio decernebant. More itaque et vſu inualuiſſe videtur, vt varie ius diceretur inter patricios et plebem. Poſtulabatur adeo a plebe *iuris aequatio cum patriciis,* quae poſthaec facta eſt fundus LL XII. Tabb. Reſtitere tamen patres ad a. 300. quo SCtum factum, non tam de iure aequando, quam, ſi forte res differri et vltra protrahi poſſet, de tribus legatis in Graeciam mittendis. Creati tandem a. 303. *Decemuiri de legibus ſcribendis, omnes e patribus;* adiectum *vt ſine pro-*

prouocatione eſſent, nullique alii magiſtratus. Duo in his maxime miramur, primo, quomodo tandem eo res adduci potuerit, vt in legibus XII. tabb. aliqua tamen plebis haberetur ratio; tum quomodo tam parum caute et prudenter cupiditati ſuae hoc dare potuerint patres, qui, vt plebi terrores iniicerent, magiſtratum ſine prouocatione crearent, eoque ipſo in ſummum diſcrimen libertatem etiam ſuam, non modo plebis, adducerent. Perlatae leges in Comitiis centuriatis; priſca inſtituta in eas recepta, partim emendata; ius nexorum ob aes alienum manſit, tantum circumſcriptione facta *c*); Tam paucorum hominum eſt libertas in ciuitatibus liberis! Meliora tamen edocti plebeii per ea ipſa, quae vſu rerum cognouerant, coepere ab hoc inde tempore libertatis ſuae fundamenta ſubſtruere; ſubverſis primo auſpiciis patrum per connubia, tandemque conſulum, inde aliis magiſtratibus cum plebe communicatis. Ingentes ſuper his turbae et clamores patrum; nec illi conceſſere, niſi maioris diſcriminis metu; nam, cum a. 378. Legem Canuleiam de creando Conſule e plebe reuocarent Tribb. pl. *C. Licinius* et *L. Sextius*, acerrimi viri, promulgauerant illi ſimul alias leges aduerſus patrum opes; primo *de aere alieno*, vt, deducto de capite eo, quod vſuris praenumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio aequis portionibus ſolueretur; quae prima fuit *lex ſoenebris;* tum *de modo agrorum;* quae *altera*

 fuit

c) Nec ſublatum niſi lege Poetelia 428. Liv. VIII, 28. Etſi oppreſſa plebs aere alieno etiam ſerius memoratur, vt 467. cum ad Ianiculum ſeceſſit; compoſitae res ita, vt Q. Hortenſius Dictator *ἀποκοπὴν* faceret Liv. Epit. XI.

Digitized by Google

fuit *lex agraria;* nam lege Terentilla (293.) abducta fuerat plebis contentio ad alia; etſi aliquoties nouae turbae propter agrariam rem exortae erant, vt 337 338. deductae quoque paſſim coloniae; non tamen res niſi nunc iterum in publicam concertationem fuit reducta. *Lex* haec *Licinia de modo agrorum, ne quis plus quingenta iugera agri poſſideret d)*, ſcilicet, vt quicquid agrorum ſupra praeſcriptum modum ſupereſſet, inter plebem aequo pretio diuideretur, hactenus non iniqua videri poterat, quandoquidem agri erant publici, quos poſſidebant priuati, ſatisque fortunarum haberi poterat, praedictum iugerum numerum poſſidere; patri enim familias cum familia bina iugera ſatis eſſe viſa ſunt *e*). Vt tamen hanc ſuarum rerum iacturam auerterent, maluere patres plebi concedere, vt a. 387. lex perferretur de altero vtique e plebe conſule creando; etſi haec ſummi honoris cum plebe communicatio plus detrahere debuit patrum opibus, quam ſi agrorum, quos ne ſatis quidem colere poterant, iacturam cum aequitate et moderatione feciſſent.

Obliterata contentio de *agraria lege* vltra CC. annos; fuere tamen interea deductae paſſim coloniae

d) Sic Liv. VI, 35. Addit Appian. B. C. I, 8. *ex agris publicis; neue paſceret plus centum capitibus maioris, plusue quingentis minoris. Decretum praeterea eſt, vt ad curanda opera ruſtica certum numerum liberorum hominum aleret quisque;* cum non niſi coemtis ſeruitiis diuites vterentur, ne, ingenui ſi eſſent, militiae cauſſa euocarentur ab opere.

e) v. *Opuſcula* Vol. I. p. 250 ſeq.

niae *f*) in remotiores ab vrbe agros, diuiſos viritim in duo, mox in quina et ſeptena iugera. At prima contra Senatus optimatiumque voluntatem lata huius generis *lex agraria* fuit ea, qua diuiſus eſt ager Gallicus et Picenus a. 522. haud diu ante bellum Punicum II. C. Flaminio Trib. pl. ferente; quam legem Polybius mutatorum in deterius morum populi Romani cauſſam et originem fuiſſe dictitat *g*). Interea Italiae conditio fuit triſtiſſima; per bella continua illa exhauſta viris, tributis attrita, ne quidem habebat, vnde malis mederetur. Nam maior Italiae pars occupata erat per latifundia diuitum, qui fructuoſiorem agriculturam cernentes eſſe per ſeruos, paruo parabiles et a militia vacuos, ipſos Italos ingenuos ne ad conducendos quidem agros admittebant. Inde vacuitas agrorum, colentium paucitas, et in colendo agro ex paupertae ſocordia; non facile enim laetus agri cultus eſſe ſolet inter oppreſſos egeſtate. Inde coniugia rara et liberorum orbitas, quos alere non poſſent; et ex eo difficultates dele-

f) Inde ab a. V. C. 472. quarum recenſum habes ap. Vellej. I, 14. temporibus ſuis aſſignatas dabit Sigonius de ant. iure Ital.

g) Polyb. II, 21, 7. 8. *ἀρχηγὸν τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον τοῦ δήμου διαστροφῆς.* Polybium inter Scipiones et Fabios eſſe verſatum facile agnoſcas. Corrumpi per has colonias plebs vix potuit, niſi quatenus hoc exemplo erecti alii quoque egeni ciues, quippe qui corporibus ſuis ac vitis remp. ſuſtentabant, poſtularunt, vt ſuae miſeriae ſuccurreretur. Atqui, ne ii poſtularent, aliis modis ciuium inopiae ſuccurrendum erat. Verum talia fuerunt iſtorum hominum iudicia, vt iis, qui iniurias diu toleratas vlciſcerentur, nihil excuſationis ex eo eſſet, quod diu toleratae eae erant, contra vero in crimen vertebatur hoc, quod diutius iniurias tolerare nollent!

delectuum, et virium infirmitas. Malorum tamen tantorum emendatio erat longe difficillima; hereditas cuiusque aedificiis et opere exculta quomodo ſine iniuria eripi poterat? *Reduci plebs in agros vnde poterat ſine poſſidentium euerſione, qui ipſi pars populi erant? et tamen relictas ſibi a maioribus ſedes aetate, quaſi iure hereditario, poſſidebant* h). Miſera et exitio iam tum damnata eſt ciuitas, vbi maiorum imprudentia eo res rediit, vt ſine iniuria alterius partis altera ciuium pars ſeruari nequeat, vtque non minus, ſi nihil tentatum fuerit, gliſcant indies cauſſae certi exitii. Tandem Tib. Sempronius Gracchus Trib. pl. miſeritus plebis legem Liciniam reuocauit: *ne quis* (*in Italia* addit Flaccus Siculus) *plus quingentis agri iugeribus poſſideret*, adiecit tamen veteri legi, *licere* praeterea *filiis familias habere huius modi dimidium;* porro rogauit, *ne quis ex publico plus quam centum iugera haberet; Tresuiri quotannis crearentur, qui agrum publicum a priuato diſcernerent; agri quod ſupereſſet, pauperibus diuideretur; neue quis plus quingentis capitibus pecorum, centumque maioris armenti paſceret; vtque certus mercenariorum numerus ex ingenua plebe a poſſeſſoribus aleretur.* Incredibilis indignatio orta *diuitum*, non nunc *patrum;* nam adeo immutata erat resp. vt non amplius eſſent certamina *patrum* et *plebis*, ſed *Senatus* et *populi;* ex quo enim tempore magiſtratus cum plebe fuerant communicati, ex ipſis plebeiis potentes facti, ſenſu iniuriae ſui ordinis

h) Flor. III, 13. Ceterum de iis, quae hic expoſita ſunt, non opus eſt multa loca cumulare. Notiſſima ſunt loca claſſica ap. Plutarch. in Gracchis pag. 826 ſeq. et ap. Appian. bell. Civ. I, 7 ſeq.

Digitized by Google

ordinis hominibus factae depoſito, patriciorum mores animosque induerant. Gliſcere nunc *nobilium* ſuperbia et arrogantia. Paullo poſt ſubnatum eſt *optimatium* nomen, hoc eſt eorum, qui volebant videri optimas partes in rep. ſequi; iis, qui populi cauſſam tuebantur, *popularium* nomine impoſito per inuidiam, quoties tuendo tenuiores erga potentiorum iniurias contentiones et turbae exortae erant. Hi omnes, paucis exceptis, conueniebant in hoc, vt reip. nomen obtenderent vtilitatibus ſuis, vtque ea, quae opibus augendis excogitaſſet auaritia et cupiditas, reip. cauſſa ſuſcepiſſe videri vellent. Contra aduerſus remp. feciſſe dicebatur is, qui iniurias a ciuibus, probrum a republica, depellere conatus erat. Ita aduerſus remp. feciſſe diuites clamabant eos quoque, qui iniurias tacite perferre noluerant. Premebat tenuiores nunc aliud malum, quod *ex ipſa plebe* non minus, quam e patriciis, *locupletiores* foenus exercendo, publica conducendo, ſociis vexatis, prouinciis et regnis exhauſtis, plus quam regias opes ſibi parauerant; adeoque quicquid ad commercia ſpectaret, etiam rem frumentariam ac numariam, in ſua poteſtate habebant, ipſi *Publicani* dicti. Nec vllum auxilium aduerſus horum iniurias erat; quandoquidem iudicia primo in Senatus, tum in Equitum, mox in vtrorumque manu erant. Quae mala, indies maiora et crebriora, cum eo tandem progreſſa eſſent, vt L. Marcius Philippus, cum Trib. pl. eſſet a. 648. publice profiteretur, *non eſſe in ciuitate duo millia hominum, qui rem haberent i)*, quis

i) Cicero quidem *capitalem*, h. e. pernicioſam. appellat *orationem*, de Off. II, 21. quippe *ad aequationem pertinentem; qua peſte*, inquit, *quae poteſt eſſe maior?*

quis ea miretur factionum certamina, ex his autem bella ciuilia maturaſſe: quorum auctores ſi habebantur illi, qui ea mouerant, cauſſae tamen altius erant repetendae ex ſuperioribus ab iis ipſis, qui auaritia ſua et cupiditate alios fortunis ſuis exuerant, iniuriis et contumeliis ciuium tenuiorum iras prouocauerant, eosque ad extrema adegerant; iidem haud reputantes ſe ſibi ſuisque liberis per haec ipſa triſtem eam ſortem parare, vt XXX annis poſt per bellum Sociale agri per Italiam vaſtarentur, moxque per proſcriptiones agris et opibus exuerentur ii ipſi, quorum parentes ſi plebi egenae vel exiguum quoddam leuandae egeſtatis auxilium reliquiſſent, ſeruari potuiſſet resp. Ea tamen plerumque eſt hominum opibus praeualentium ſtultitia, vt malint omnia perdere, quam ex aequo aut cum moderatione aliquid de rebus ſuis affluentibus concedere, tutoque ſuis bonis cum ciuium ſuorum bona voluntate et fauore frui. Verum redeamus ad Gracchos.

Tiberius Gracchus ab initio, omnium bonorum conſenſu vtiliſſimam reip. rem aggreſſus, quam iam C. Laelius Sapiens in tribunatu tentatam depoſuerat, cum maiora eſſe pericula videret, leniter omnia agere de P. Licinii Craſſi, Pontif. M. P. Mucii Scaeuolae, et Appii Claudii, ſoceri ſui, ſententia. Tum vero diuites pertracto in partes ſuas M. Octauio, Tiberii in tribunatu collega, qui et ipſe agros vltra modum poſſidebat, maluere remp. in ſummum diſcrimen adducere quam de iure ſuo decedere. Accenſus ira Tiberius priore lege relicta nouam fert, *excedere iubens agris quos contra leges quisque occupaſſet.*

Inter-

Intercedit legi Octauius, quem cum nec precibus, nec promiſſis, de ſuo enim ei damnum reſarcire voluit, nec minis mouere poſſet Tiberius, rogationem fert de magiſtratu Octauio abrogando: tum *lex agraria* perfertur; tres viri diuidundis agris coloniisque deducendis creantur Tiberius ipſe cum Appio Claudio et Caio fratre. Cum non ſatis eſſet, egenos agros habere, niſi etiam eſſet, vnde domos, inſtrumenta, iumenta, ſibi pararent: commode euenit vt Attali Pergameni hereditas populo Romano relinqueretur. Cui cum iam potentiorum auiditas inhiaret, noua lex a Tiberio promulgata, *qua iis, qui lege Sempronia agrum accipere deberent, pecunia, quae regis Attali fuiſſet, diuideretur.* Inter atrociſſimas aduerſariorum minas exacta aeſtas. Inſtabat tempus comitiis tribunitiis. Tiberius, vt populus ſibi magiſtratum continuaret, nouas leges tulit, de minuendo militarium ſtipendiorum tempore; de prouocatione a iudicibus ad populum; et vt Senatores Equitesque Romani pari numero iudicarent. Dies comitiorum aduenit; habentur ea in Capitolio. Senatus in propinqua aede Fidei conuenerat. P. Mucio Scaeuola Coſ. ad aequitatem et lenitatem patrum animos adducere fruſtra allaborante, Scipio Naſica proſilit, accurrit, Tiberium necat, fit magna caedes, occiſorum corpora in Tiberim proiecta.

Rem infauſto ſucceſſu tentatam, cum interea omnia in peius ruerent, ferro graſſarentur optimates in eos, qui mitiora ſuaderent, e popularibus alii ſocios ſollicitarent, Senatorum autem iudicia infamia laborarent, Caius Gracchus, Tiberii frater,

iterum

iterum eſt aggreſſus, Tribunus pl. anno 631. lege lata, *vti e lege Sempronia quotannis agri populo Romano diuiderentur; vtque ſemiſſe atque triente k) plebi ex publico frumentum viritim ſingulis menſibus diuideretur.* Exaſperato per aduerſariorum machinationes Caio, imprudenter adiectae aliae leges in plebis commoda, quas nunc enarrare neceſſe non eſt. Continuatur Caio tribunatus in annum ſequentem 632. Nunc inſidioſa facilitate ex Senatus auctoritate M. Liuius Druſus Trib. pl. in partes pertractus leges fert populares magno numero, interque eas, *vt XII. Coloniae deducerentur*, (extra Italiam Vellej. II, 15.) *in quas ſingulas tria ciuium Romanorum millia mitterentur; vti vectigal agris lege Sempronia diuiſis diuidundisque impoſitum plebi remitteretur, vt Decemuiri crearentur agris diuidundis.* Fractae per haec Caii opes. Druſus Senatus patronus habitus. Caius nec obtinet, vt comitiis tribunitiis Tribunus reficeretur, ſuffragiis non ex fide renuntiatis. Noui Conſules creati a. 633. L. Opimius Q. Fabius, iſte quidem infeſtiſſimus Caio, nunc priuato homini. Itaque Leges Semproniae omnes euerſae. Impugnatur colonia Carthago (e lege Sempronia deducta) propter mala omina, quae renuntiata erant. Decernit Senatus, vt iterum cum populo ea de re agatur; promulgata lex e SCto a M. Minucio Trib. pl. Die comitiorum omnia vi armata agi. Caius cum M. Fuluio Flacco triumuiro agrorum diuidundorum agmen et ipſe circa ſe habet. Opimio a Senatu reſp. mandatur. Edicit is, vt Senatus in armis adeſſet, Equites binos

k) Vt $\frac{10}{12}$ aſſis modius veniret; minus etiam pretium, quam *numo*.

binos ſeruos adducerent. Fit tumultus. Caius fugit et ſeruo iugulum praebet; caput eius plumbo infuſo contra aurum appenſum. Ad tria millia ciuium ab Opimio necata in carcere. Ita tandem optimatium cauſſa facta ſuperior. Abrogatae Caii leges, inque his *agraria.* Tandem per legem Thoriam a. 647. *relicti agri in poſſeſſione dominorum, modo tributa penderent, et ea pecunia viritim diuideretur l).* Mox tamen ab alio tribuno pl. *et hoc vectigal abrogatum, et plebi omnino nihil fuit relictum.*

Iterum legem agrariam tulit L. Marcius Philippus Trib. pl. a. 650. ſed facile antiquari paſſus (Cic. Off. II, 21). Motas enim per has leges turbas iure horrebant omnes; auctores merito incuſabant; vtinam cauſſas turbarum tollere et malis reip. alia via mederi tam facile fuiſſet! Enimuero ab hoc inde tempore ſtudium alleuandae populi miſeriae a bonis initiis profectum malorum plerumque hominum conſiliis et artibus ceſſit. Nam Tribuni ſeditioſi, quoties plebem in ſuas partes trahere vellent, *leges agrarias* ferre; in his Appuleius Saturninus a. 654. et M. Liuius Druſus a. 663. Memorantur *Leges agrariae m)* Titia 655. Lex Plotia 656. L. Flauii a. 694. P. Seruilii Rulli Trib. pl. in Con-

l) Appian. B.C. I, 27. ſed capita legis fuere plura.

m) Sunt multa in his legibus earumque cauſſis adhuc obſcura et ſedula alicuius viri docti opera haud indigna. Incredibile enim eſſe videtur, viros prudentes non perſpectum habuiſſe, nullam eſſe reip. libertatem tutam, nec incolumitatem diuturnam, ſi maior ciuium pars egeſtate oppreſſa ad ſeruile potentium obſequium deſciſceret; ita enim paratam fore praedam remp. ei, qui primus per factionem eam occupare vellet.

Conſulatu Ciceronis 691. Huic, aut aliis, ſimiles ſe profitebantur ii, qui regias poſſeſſiones, agros publicos, praedia, ſaltus, per decreta legibus agrariis ſimilia proſcripſerunt *n*). Tandem *legem agrariam* memorari videmus *Iuliam* a. 695. Caeſaris Coſ. cum Bibulo, qua *Campanus ager et Stellas XX millibus ciuium, quibus terni pluresue liberi eſſent, diuiſus.*

Interea per factionum ſtudia oppreſſerant rempublicam mala plura, quae in vtilitatem paucorum aut perniciofe decreta aut non ſat ſeuere repreſſa fuerant. Erat in his iudiciorum infamia; leges frumentariae, de diſtribuendo egenis frumento; conſilia de ciuitate ſociis danda, et aequando cum iis ſuffragiorum iure, foeneratorum acerbitas et veteratoriae artes. Malum hoc foenebre, habitum vulgo inter teterrima, et omnium maxime intolerabile, ſeditiones quoque excitauit; quibus praetor, qui iudices in foeneratores dederat, in foro ſacra faciens iugulatus eſt: (v. Appian. B. C. I, 54. ad a. 665).

Inter haec *genus tertium agrariarum legum* inuentum fuit, quum, *veteribus poſſeſſoribus per vim eiectis, nouis colonis agri diuiderentur.* Saeuientibus enim inter ſe factionibus tandem bella ciuilia exarſerunt, et cum his proſcriptiones, atrociſſimum Sullae inuentum, quo ille non aduerſae modo factionis homines, ſed diuites omnino et opulentos afflixit, vt egenorum non iam inopiam leuaret, verum vt flagitioſorum ex longa egeſtate hominum, quos ſuis legionibus adſcripſerat, per

n) Sunt plurima in Cic. Or. contra Rullum, quae hic locum habent.

Digitized by Google

per militiae licentiam efferatorum et effrenium, qui ganea et alea ſtipendia ampliſſima effuderant, libidines et profuſiones expleret. Non enim odia et irae cauſſae huius impietatis ac ſceleris fuerunt vnicae; verum neceſſitas ſoluendi legionibus et facinorum ſociis ſtipendia promiſſa; vnde enim haec peterentur niſi opulentioribus interfectis et bonis eorum publicatis! Nunc *nouum Legum agrariarum genus* ſucceſſit, agris proſcriptorum, nec modo ſingulorum ciuium aut ſociorum, verum totarum ciuitatum, poſt veterum poſſeſſorum ſupplicia et caedes aut expulſiones, inter veteranos diuiſis *o*). Quantam per

o) Sulla legionibus XXIII. per Italiam agros perduellium aſſignatos diuiſit: Appian. B.C. I, 100. fac ſingulis legionibus 4000 ſuperfuiſſe; habes fere 100000 capita. Perierant eo in bello centum millibus amplius iuuentutis Romanae Italicaeque, et ex Sullae inimicis Senatores XC. Conſules et Conſulares XV. Equites Romani bis mille ſexcenti. Appian. B. C. I, 103. Altero bello ciuili Caeſar legiones in Graeciam duxerat XII. praeter equitatum; (de B. C. II, 3.) quibus trina donatina et agros promiſerat (Appian. II, 92. 93 ſeq.) at idem minus ſaeuus fuit quam Sulla, quod non ereptos aliis ſed agrum publicum militibus diuiſit (ib. 94). Triumpho acto militibus ſingulis perſoluit 5000 drachmas atticas (vltra mille thaleros); duplum centurionibus; tribunis et praefectis alarum quadruplum; plebi viritim minam atticam h. cr. 20 th. (ibid. II, 102. Sueton. Iul. 38.) — Cenſu deinde acto *ferme dimidio minus capitum* cenſum (ibid.) h. e. pro trecentis viginti millibus ciuium, quot ſuperiore cenſu fuerant, cenſa ſunt omnino centum quinquaginta millia Plut. Caeſ. 55. Tandem Antonius et Octauianus aduerſus Brutum et Caſſium profecturi XX. legiones conſcripſerant (adeoque circa C. millia capitum) quibus praeter alia victoriae praemia promiſerunt coloniarum XVIII. Italicas vrbes, tam opibus quam agri bonitate et aedificiorum magnificentia inſignes (Appian. B. C. IV, 3). Iam qualis Italiae

per haec rerum, morum, diſciplinae, vitae, immutationem factam eſſe putabimus! cum per omnem Italiam extinctis aut exulantibus et ad egeſtatem redactis nobilium, ſenatorum et ſplendidiſſimorum equitum familiis agros et villas et in oppidis domos cum lauto apparatu occupaſſent tanta hominum ex infima plebe, per inopiam, mox per militiae licentiam, inter belli ciuilis furores et atrociſſima ſcelera, omni humanitatis ſenſu exutorum agmina. Succeſſere in ingentes fortunas homines turpiſſimis moribus, vitae impurae ſordibus, et iis artibus inquinati, quae egeſtatis comites eſſe ſolent. Quantam per haec vitae, morumque barbariem et inconcinnitatem, animorum et ingeniorum deprauationem et illiberalitatem factam eſſe putabimus! Quot fuiſſe ſimiles iſti Maenae, quem Horatius indignum diuitiis et ſordidum hominem faſtu ſe efferentem memorat! (Epid. IV.) Verum de his plura memorare horret animus ac refugit; inprimis cum in animum cum iis ipſis redeant calamitates hominum nobiliſſimorum, qui e patria exules nunc ab ipſis amicis ſuis proſcripti errant, nec habent, quo refugiant.

Quam indocte itaque facinoroſi homines ad *leges agrarias Romanorum* prouocent, ex iis, quae breuiter expoſita ſunt, facile intelligitur. *Lex agraria* eiusmodi, *qua fortunae omnium aequarentur*, omnino inter Romanos extitit nulla, nec in furoribus ciuilibus per ſummam factionum inſaniam vlla eius rei facta mentio; verum primum a Sulla 673; tum a Trium-

calamitas, perſolutis aliquando promiſſis, quod V.C. 713. factum, eſſe debuerit, vel ex dictis aeſtimare licet; et nota res vel pueris ex Virgilio.

Digitized by Google

Triumuiris 711. latae ſunt leges, *quibus perduellium agri per Italiam militibus diuiſi ſunt*, cum proſcriptione eorum, qui arma aduerſus victores tulerant, aut in aduerſis partibus ſteterant, inuiti ſaepe et coacti; eorum bona fuerunt publicata et agri cum villis ſeu venditi ſeu ſatellitibus ſuis a praepotenti factione aſſignati. Quod ſi adeo factioſi iſti homines ad legum agrariarum inter Romanos exemplum prouocant, ſe ipſos ſatellitibus Marii, Cinnae, Sullae, Antonii, Octauiani et Lepidi, ſimiles eſſe publice teſtantur, idque ſe agere profitentur, vt ex proſcriptorum fortunis ac ſpoliis ipſi praedentur et factiones paſcant, quibus remp. euertant.

PP. in Georgia Auguſta pridie Kal. Mart. cIↄ Iↄ CCXCIII.

Digitized by Google

XXII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IVST. FRID. RVNDE D.

CVM SENATV

CIVIVM SVORVM

QVI

IN CERTAMINE LITTERARIO

IN A. D. IV. IVNII ANNI HVIVS clɔIɔCCXCIII

REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI

SOLLENNE NATALITIVM

INDICTO

CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA

PRAEMIA

ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT

NOMINA

SIMVLQVE

COMMENTATIONVM

QVAE

AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI clɔIɔCCXCIV

ADMITTI VOLENT

ARGVMENTA

AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA

PROMVLGAT.

Tranquilla ſine armis otia Muſarum.

Europa omni per bella et diſſidia concitata et concuſſa, nobis, Commilitones, contingit eſſe tam felicibus, vt in ſtatu reip. tranquillo et pacato ſacra noſtra

noſtra Muſarum colere, et nunc quoque ſollennem hunc diem Regis Auguſtiſſimi natalem ſolito more celebrare poſſimus; id quod merito laetamur deoque O. M. gratis piisque animis hanc fortunam noſtram acceptam referimus; nec magis nobis, quam ipſis litterarum ſtudiis gratulamur, quod interea, dum *toto furit Mars impius orbe*, et dum e gente Europae cultiſſima et politiſſima Muſae tantum non fugatae exulant, aliis autem terris ſiue per furores bellicos, ſiue inter armorum minas et praedationes, litterae vix limen ingreſſae iterum diffugiunt, ſint ſaltem in nonnullis Germaniae terris loca, et in his Georgia noſtra Auguſta, in qua *tranquilla ſine armis Otia Muſarum* *), ſecuritas, ſine qua litterarum ſtudiis animi vacare nequeunt, et tranquillitas integra et incolumis maneat. Quo ipſo tanto maiore nos religione obſtrictos teneri putabimus, vt deſerta haec ab aliis et tanquam in manus noſtras tradita ſacra tueamur; flagitabit ſcilicet a Georgia Auguſta poſteritas fructus litterarum, quas mentibus compoſitis ac liberis colere licuit interea, dum alii calamitatibus belli timoribusque agitati, curis, aerumnis vexationibusque omnis generis diſtricti, abiicere ſtudia, litteras valere iubere, a Muſarum caſtris ad caſtra Martis tranſire cogebantur.

Expectari autem a nobis putabimus et hoc, vt, dum inter bellorum licentiam et neceſſitatem humanitatis ſenſus extinguitur, et cum humanitate vitae cultus melior tollitur, magis magisque indies inter arma inualeſcente animorum feritate et barbarie, vt, inquam, nos humanitatem, vnicam vitae magiſtram

 ac

*) Lucan. II, 266.

ac rectricem, vnicum ſolamen, fomentum et leuamentum malorum, quae miſeram mortalium conditionem premunt, vt eam, tanquam ſinu, foueamus, idque ſtudeamus, vt recti, iuſti, decorique ſenſu molliore noſtro aliorum ingenia aſpera et immitia mitigemus, iras et odia placemus, iudiciorum noſtrorum aequitate (etiam de iis, qui de reip. ſumma, de libertate publica, de iuribus hominis et ciuis, parum perſpecte et explorate ſtatuerunt) alios, non niſi ſupplicia, exilia, incendia, rapinas, minitantes ac crepantes, ad aequitatem, ad clementiam, ad miſericordiam, reuocemus. Niſi enim ii, qui ſunt extra ea conſtituti, per quae irae et odia inflammari ſolent, meliora et aequiora conſulant, quomodo ſeruari poterunt humanitatis iura et officia! Multo autem magis a veſtra aetate, Commilitones, ſenſus hi humanitatis expectantur et expetuntur, quandoquidem et mitiora ac molliora ſunt ingenia veſtra, necdum vtilitatum conſiliorumque diuerſitate ad iras et odia procliues voluntates. Omnino, ſi qua ſalus rebus noſtris, ſi emendatio rerum publicarum, ſi morum, ſine quibus legum iudiciorumque nulla vis, nullus fructus eſt, a corruptelis ſuis liberatio, ſi de rebus, quibus laus, gloria, nobilitas, verae imperiorum opes, vera populorum felicitas ac ſplendor, continetur, veriores notiones inter omnium ordinum homines ſperandae ſunt: a vobis, Commilitones, a veſtra inſtitutione, a ſalubribus praeceptis ſapientiae, quibus imbuimini, proficiſci illa omnia poſſunt. Ab iis enim, qui ſemel opinionibus prauis, rerum vanarum ſtudiis et miſera ambitione et potentum aſſentatione imbuti

ſunt,

ſunt, fruſtra meliora expectabimus. Docet hoc omnium temporum memoria, *bellorum calamitates* ſuperare omnes naturae peſtes et mala in hoc, quod progreſſus humani generis ad meliorem humanitatis cultum ſiſtunt, nec modo ſiſtunt, verum ad feritatem ac malitiam ingenia deprimunt, ſenſumque a natura inſitum iuſti et recti, habitumque animorum mitem et manſuetum tollunt, et belluinam truculentiam et ferociam inſtillant: ita vt eo tandem homines, alioqui perſpicaces et iuſti, procedant, vt inhumanitati ipſi ſuae et aliorum patrocinentur inventis cauſſis et argumentis ſpecioſis. Incumbit itaque iis, quibus extra aleam poſitis iudicia recta et aequa ſeruare facile eſt, vt aliorum ingeniorum aſperitatem mitioribus ſenſibus temperent, ſuaque humanitate inhumanitatem et immanitatem moderentur. Etſi enim iis temporibus viuimus, in quibus inter irarum et odiorum cauſſas haud minima haec eſt apud multitudinem, ſi alios moderate iudicare, non easdem iras et odia ſuſcipere, non efferueſcere immodice, nec in miſeros dictis minisque inuehi viderint: nobis tamen, ſi modo profeſſione hac noſtra litterarum humanitatis ac ſapientiae digni eſſe volumus, dignum et conſentaneum eſt, ſpernere iniquorum hominum iudicia, probare ea, quae ratio et officium ſuadet, placare odia, iuſta et aequa monere, neque ira ſeu noſtra ſeu aliena ad praua iudicia et ad ſenſus iniuſtos abripi.

Per omnia ſaecula *litterarum ſtudia* hoc ſibi iuris vindicarunt, vt, *qui ea colerent, a vulgi iudiciis diſſentirent, etiam in populorum et regum cauſſis;* praeluxerunt illi eo ipſo poſteritatis iudiciis, quae ſtulta,

iniuſta ac ſceleſta conſilia ac facta, quamuis felici ſucceſſu ad exitum properantia, ad veri, iuſti ac recti normam exigit; etſi prudentiae monitis hactenus paruerunt, vt poſteritati huius iudicii ſeuerioris pronuntiationem relinquerent, ipſi nec improbare iniuſta facta publice et tempore alieno et ſine vtilitate in animum inducerent. Contra autem ab omni iudiciorum atrocitate, ab odiorum ciuilium truculentia, a ſeditioſorum furoribus, a caedibus et rapinis, et ab omni eorum, qui inde opes, honores, potentiam venarentur, contagio, intactos ſe prouide ac caute ſeruauerunt.

Itaque ab omni inde tempore litterarum ſtudia ſingularem aliquam laudem habuere, vt *ab innocentia et pietate* celebrarentur: factum hoc iam iis aetatibus, quibus per mythos et ſymbola, quae quis cogitaſſet, redderentur; habentque haec neſcio quid ſuauitatis. Muſae non modo coetus magnos fugiunt, profanos et impios a ſe arcent et procul eſſe iubent, verum etiam a ſanguine et caede abhorrere, a rapina ac praeda auerſae eſſe narrantur. Inprimisque vates ac poetae hoc in ſe deriuarunt, vt et ipſi ſancti, iuſti caſtique eſſent, et ſuos populares a caedibus et rapinis abſtinere iuberent. Meminerimus Orpheum: *Silueſtres homines ſacer interpresque deorum Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus, Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones. Dictus et Amphion, Thebanae conditor arcis, Saxa mouere ſono teſtudinis et prece blanda Ducere quo vellet.* Hoc illud eſt, quod nomina Lini, Muſaei, Eumolpi, priſca Graecia ad omnem memoriam celebrauit; quod carminum ſuorum lenociniis, partim inſti-

inſtitutis vitae mitioris, religionibus et ſacris, animos ad humanitatem illi adduxiſſe et a feritate auocaſſe narrantur; hinc laudes Chironis, qui, *iuſtiſſimus vnus* *), colere iuſtitiam, fidem datam iuratamque ſeruare, deosque colere docuerat; hinc fama multorum heroum ac ſapientum, quod ab odiorum et pugnarum furoribus ad mitiorem vitam adduxerant populares. Ita autem fert natura noſtra, vt proniores ſimus animis ſtudiisque ad antiquiora quaeuis miranda et laudanda, quia ſe commendant ſuauitate aliqua mirabili ſimplicitatis, ad quam in ipſis his vitae corruptelis generoſa quaeuis indoles pronior eſt, quam vulgo creditur. Inuenta ſunt ab iisdem heroibus vitae cultus primordia, vt auerſari adſueſcerent et abhorrere diſcerent homines eum, qui ſanguine eſſet infectus; vt ſceleſti intelligerent ſe piaculum (ἄγος) contrahere, vix multis et difficilibus religioſis ritibus expiandum; iidem iuſſerunt, parcere ſupplicibus (ἱκέταις), hoſpitii iura ſeruare, ſepulturae religionem cuſtodire. Per inuenta haec ſe melioris vitae initia, ſocietatis et humanitatis primordia, ciuitatum ac rerumpublicarum fundamenta, omnium rerum bonarum ac iucundarum fructum, vna cum ſpe meliorum, Muſarum beneficio accepta, habere ferebant veteres; Muſis omnis humanitatis cultum eiusque lenocinia et ornamenta, iucunditates et oblectamenta, deberi.

Quae cum ita ſint, quid a nobis, qui iis temporibus nati ſumus, quibus, litterarum ac diſciplinarum cultu et expolitione ad tantum faſtigium progreſſa, abiectis iis, quae rudiorum hominum ingenia mulcere

*) δικαιότατος Κενταύρων. idem φιλάνθρωπος.

mulcere ac detinere poterant, ſeuerius et ſubtilius de rebus ſtatuere licet, quid, inquam, a nobis expectari putabimus? Scilicet vt vita et ſtudiis, dictis factisque declaremus, nos, litterarum cultores et antiſtites, vt in aliis rerum iudiciis, ita deſerere vulgus etiam in hoc, vt mitiores et meliores ſenſus ſequamur, vt humanitatis iura ſeruemus tueamurque, vtque multo magis ipſi ab omni iniuria erga alios, quibuscum viuimus, abſtineamus, planeque intelligamus, nos, quod grauiſſimus Romanorum conſul dicebat, (de LL. I, 10) *nos ad iuſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe ius.* Quod ſi homines ſibi perſuadere vellent: omnium, quae in hominum doctorum diſputatione verſantur, hoc ipſo nihil eſſe praeſtabilius; fieri poſſet, vt vita hominum vere digna videri deberet, quae viueretur, et expetenda etiam tum, ſi cui ingrediendi eam libertas et arbitrium datum eſſet; cum ex vita nunc multi ita decedant, vt, ſi per ſe ſtetiſſet, vix vitam fuiſſent optaturi.

Videtis, Commilitones, quae et quanta ad communem vitae noſtrae ſalutem et felicitatem a vobis, a veſtris ingeniis, ſtudiis, moribus, exemplis, flagitentur, eaque multo maiora ad futuram hominum progeniem. Ne itaque hanc animis dimittite cogitationem, ſi bonis litteris accuratam et fructuoſam operam vos adhibetis, non modo vobis vos conſulere, non veſtris modo parentibus et cognatis vos obſequium et officium praeſtare: ſed patriae, ſed ſaeculo, ſed poſteritati. Quae etſi per ſe calcaria animis ſubiicere debent acerrima: ecce accedunt noua haec ex publica laude et ex praemiis

veſtrae

Digitized by Google

veſtrae virtuti ingeniorum animorumque per munificentiam Regis noſtri auguſtiſſimi propoſitis; cuius natalem celebrauimus ſollennium apparatu tali, qui fortunam, vitam locumque noſtrum decet. Expectari enim a nobis non poſſunt ludi, epulae, pompa magnifica; nos vota, preces, gratos ſenſus afferimus, quibus ipſum numen O. M. pro ſalute Regis et reip. inuocemus ac precemur.

Ad hanc itaque laudem ingenii ac doctrinae, et ad praemia propoſita quinam illi ſint qui aſpirarint, qui ſucceſſus et euentus, quaenam eorum ſcriptiones fuerint, publice nunc exponendum eſt, quemadmodum in conuentu academico geſta ea omnia ſunt, partim ex ſuggeſtu pronuntiata.

"Ab *Ordine Theologorum*

praemium propoſitum erat ei, qui optime conſcripturus eſſet:

Narrationem criticam de interpretatione locorum N. T. in quibus donorum Sp. S. quae vulgo extraordinaria dicuntur, mentio iniicitur.

„Exhibitae ſunt Ordini commentationes tres, hiſce ſymbolis inſignitae:

I. *Ne quid nimis.*

II. *Nimis peruerſe ſemetipſum amat, qui et alios vult errare, vt error ſuus lateat.*
AVGVSTIN. *Epiſt.* VII. ad Marcel.

III. *Non iam prima peto Mneſtheus, neque vincere certo, Quanquam ô! ſed ſuperent, quibus hoc, Neptune, dediſti.* VIRGIL. *Aen.* V, 194.

„Non diu Ordo Theologorum dubius et incertus haeſit, cui ex his tribus iuuenibus, qui in certamen literarium deſcenderant, adiudicandum

eſſet

Digitized by Google

eſſet praemium. Quanquam enim auctor *commentationis, verſus ex Aeneide in fronte ferentis* et *tertio loco* commemoratae, egregium induſtriae ſuae ac diligentiae in colligendis variis veterum pariter ac recentiorum ſententiis et opinionibus edidit ſpecimen, vt hoc reſpectu iudicum expectationi ac votis ſatisfeciſſe videri poſſit, tamen, tum quoad ipſius argumenti tractationem, quae nec iudicio in congerendis copiis, nec cura in collocanda et diſtribuenda materia admodum commendatur, tum quoad orationem, qua vſus eſt, non ſatis latinam, multa deſideranda reliquit, adeoque neglexit, quae in conditionibus praemii propoſiti apud nos vel maxime numerari ſolent. Maiorem laudem ſibi meruit auctor commentationis, cui inſcriptum ſymbolum: *Nimis peruerſe ſemet ipſum amat*, &c. Summa enim diligentia non ſolum veterum et recentiorum commentatorum interpretationes, quae ad rem faciebant, conquiſiuit, et ad certa genera reuocauit, ſed etiam abunde hoc ſcripto ſuo Ordini comprobauit linguae latinae et graecae ſcientiam haud vulgarem, ingenii acumen in diiudicandis variis opinionibus ad regulas certae interpretationis, ſubtilitatem etiam et modeſtiam docto et liberali iuuene dignam. Palmam tamen huic commentationi, docte et ſubtiliter ſcriptae, praeripuit ſcriptum, quod ſymbolo inſcriptum eſt:

Ne quid nimis.

auius auctorem ob rerum delectum, tractationis lucidum ordinem, iudicium acutum pariter ac modeſtum, orationem denique perſpicuam et dictionem latinam, aliasque commentationis virtutes egregias

praemio

Digitized by Google

praemio publico dignum habuit Ordo Theologorum, ita tamen vt *proximo ad eum loco accedere* eique fere parem eſſe iudicaret auctorem commentationis *ſecundo loco* commemoratae et Auguſtini dicto inſignitatae."

Reſerata ſcheda nomen exiluit:

Io. Phil. Kvrzmann, *Thuringo-Muhlhuſanus*, idem qui ſuperiore anno ingenium doctrinamque probauerat, praemio Ordinis Theologici reportato de quaeſtione ſuper ſymbolis ac regulis fidei eccleſiae per tria priora ſaecula. Qui *altero loco* ad praemium acceſſerat, eſt Io. Frid. Moeser, *Verdanus*.

"*Ordo Iureconſultorum* deſiderauerat:

Vt exponeretur natura et indoles dominii vtilis, eiusque veſtigia et vſus in inſtitutis iuris romani et germanici; et vtrum vſusfructus, in variis iuris germanici inſtitutis obuius, cum dominio vtili pro eodem haberi poſſit?

„Quatuor ad hanc quaeſtionem Ordini oblatae ſunt commentationes, hisce inſignitae ſententiis:

I. *Muneris eſt tempus, qui Nonas Lucifer ante eſt.*
Faſtorum Lib. VI, 210.

II. — — — *haec ſunt qualiacunque,*
Arridere velim, doliturus, ſi placeant ſpe
Deterius noſtra. Horat. Serm. L. I, 210.

III. *Quo fata trahunt.*

IV. *Magis in ſtudiis homines timor, quam fiducia decet.*

„Vnanimi Ordinis conſenſu *commentatio primo loco nominata* prae reliquis praemio digna iudicata eſt; cum non tantum ſermonis puritate et concinnitate: ſed etiam lectionis copia et diligenti tractatione eorum, quae thema propoſitum ſpectant, ceteris

teris longe fuerit praeferenda; cumque imprimis in iis, quae hiſtoriam dogmatis concernunt, varia hucusque etiam ab harum rerum ſatis peritis praetermiſſa conquiſiuerit auctor.

„*Proxime* ad hanc in praemio decernendo *accedere* viſa eſt commentatio quarta: *Magis in ſtudiis homines timor, quam fiducia decet:* iuſta quidem argumenti diſpoſitione haud deſtituta; et eruditionis laude vtique commendanda; multis tamen et verbis et rebus abundans, quae explicationem quaeſtionis propoſitae non omnino attinent.

„Neque commentationibus *ſecundo* et *tertio loco nominatis* ingenii et temporis ſtudiorum vtiliter impenſi ſpecimina deſunt; licet in ſtilo et rerum tractatione non pauca occurrant, quae lectorem offendunt."

Scheda explicita mox innotuit auctor laudatae primo loco commentationis

Carolvs Henricvs Lang, *Oettinga-Sueuus.*

Altero loco qui palmam obtinuit eſt nomen profeſſus Ioannes Christianvs Brandenbvrg, *Roſtochio-Megapolitanus.*

Quaeſtio ab *Ordine Medicorum* propoſita erat:

Quum medicorum de aliorum atque aliorum ex vegetabilibus praeparatorum extractorum efficacia ſententiae non raro tantopere diſcrepent; illudque diſſidium in modo extracta illa parandi aeque ac in delectu vegetabilium ipſo latere videatur, quaeritur: *quaenam illa conficiendi methodus*, ſi ſenſuum externorum iudicium, ſana chemicae artis principia, multifaria chemicorum conſilia atque experimenta et medicorum probatae fidei teſtimonia, in ſcriptis eorum obuia, ſollicite inter ſe comparentur, *virtutes vegetabilium et maxime intemeratas ſeruet, et quaſi concentret.*

„Duo

„Duo oblati ſunt Ordini in quaeſtione hac enodanda occupati libelli, *alter* inſcriptus:

Nusquam opera ſine emolumento, nec emolumentum ferme ſine impenſa opera eſt.

alter: Τὸ ὅμοιον ὑπὸ τοῦ ὁμοίου πᾶν ἀπαθές ἐστι.

ambo diligentiae, ingenii, eruditionis haud mediocris veſtigia monſtrantes, quamuis omnibus quaeſtionis membris exhauriendis non ſatis pares.

„Et primo quidem *commentatio* ſymbolo: *Nusquam opera* &c. notata medicorum experientiam, ex qua extractorum aliorum atque aliorum ſiue virtus ſiue inertia pateat, et, qua diligenter collata, cauſſa forſan huius diſcriminis definiri certius poſſit, conſulere praetermiſit, nullam fere eorum extractorum, in quibus parandis vini ſpiritu opus eſt, rationem habuit, neque diſcrimen inter infuſa calida atque decocta, et parata ex ambobus extracta intercedens, curate ſatis notauit. Egregie autem verſatur in enarrandis naeuis, qui in parandis his extractis vulgo occurrunt; propria, vt videtur, obſeruatione nixus; conſilia ſuggerit, a priſci moris tenacitate perinde ac ab immodico nouitatis ſtudio aliena, quibus corrigi ille labor poſſit; et nouum ſupellectilis genus, ex balneo vaporis et maris, vti quidem loqui geſtiunt chemici, compoſitum, in quo parari efficaciſſima cum nulla aut ſaltim minima partium volatilium iactura queant extracta, vna cum ſpeciminibus egregiis extractorum corticis anguſturae, et corticis peruuiani rubri, exhibuit.

„*Altera* diſſertatio, inſcripta Τὸ ὅμοιον &c., in veterum ſcriptis magis verſata, multa recentiorum tempo-

temporum in conficiendis extractis commendata artificia illis iam contineri manifeſte docuit; in colligendis medicorum auctoritatibus tamen potius, quam periculis maiorem nauaſſe operam auctorem, quam quidem prioris, luculenter teſtatur; in enumerandis quoque partibus, quae tum per aquam, tum per vini ſpiritum extrahi ex vegetabilibus poſſunt, magis copioſa; at auctor obſeruationem et experientiam, niſi in libris contentam, vix conſuluit, in vituperandis communibus erroribus ſatis longus, in conſiliis, quibus praecaueri illi queant, parciſſimus: conſilium enim loco ignis, vt partes aquoſae auolent, antliam pneumaticam adhibendi, vix vllam meretur mentionem.

Quae cum ita ſint, decreuit Ordo medicus, vt auctor *prioris diſſertationis* inſignitae ſymbolo:

Nusquam opera ſine emolumento.

praemio coronaretur; *alter* autem *locus* concederetur auctori *alterius commentationis*."

Habet auctorem, quae *priorem* locum obtinuit, diſſertatio

Carol. Ivst. Lvdovic. de Crell, *Brunſuicenſem, Medicinae ſtud., Soc. priv. phyſ. Gott. Sodalem.*

Acceſſit ad praemium altera, quae ſcripta eſt ab Salomone Anschel, *Bonnenſi.*

Ab *Ordine Philoſophorum:*

Aſiae Herodoteae difficiliora geographico more explicanda; et nunc quidem: I. *ex maribus:* rubrum ſ. auſtrale, cum ſinu Arabico; Euxinus pontus cum Helleſponto, Propontide ac Maeotide palude; Caſpium mare. II. *e fluuiis:* Euphrates, Tigris, Is, Gyndes, Araxes, Aces — III. *fines Aſiae Herodoteae* quoquo verſus deſcribendi.

Duae

Duae ſcriptiones redditae ſunt *Ordini philoſophico;* altera cum dicto:

Scribimus indocti doctique.

altera paullo ſerius oblata:

καὶ σὺ εἷς ἐκείνων.

Nec mediocriter laetati ſumus, cum videremus, quam acuta, ſubtilia, et humanitatis ſtudiis exculta ingenia inter nos verſentur, quantaque doctrinae copia inſtructa illa, quantum laboris et operae in lectione et cognitione antiquitatis collocent. Digna vtraque commentatio praemio videri poterat, ſi ſine aemula ſpectaretur; nec niſi comparatione facta intelligi potuit, *priorem* illam multis quidem laborare, quae abeſſe poterant, et facile reſciſſa abeſſe poſſunt, induſtria tamen et ſubtilitate doctrinaeque copia plurimum praeſtare; *alteram* breuitatis laudem habere, ſimul tamen multa intacta relinquere, quae in illa priore diligentius pertractata ſunt. Ita ex his aemulis alter ſperauit: *interius ductis habenis anticipaſſe viam; nec non et Theſſalus heros ſpe propiore calet, dum, non cohibente magiſtro, Spargitur in gyros dexterque exerrat Arion* *). Cum tamen diligentiae et induſtriae potior habenda eſſet ratio, praeciſa eſt diuturnior deliberatio, cui primus locus eſſet decernendus; et decretus ille et aſſignatus eſt commentationi inſcriptae:

Scribimus indocti doctique.

Altero loco victrix commentatio, *ſpes proxima palmae,* habita illa, quae verba graeca in fronte praeſcripta gerebat.

*) Statius Theb. VI, 441 ſq.

Huius quidem auctor nomen ſuum nondum eſt profeſſus; at prioris primo loco victricis commentationis auctor compertus eſt

Theophilvs Christianvs Breiger, *Hannoueranus, Seminarii Philologici Regii Sodalis.*

Nunc nunc — *O iuuenes, virtus iterum tentanda!* — nouae nunc pronuntiatae ſunt quaeſtiones in annum futurum XCIV. a quatuor Ordinibus Georgiae Auguſtae propoſitae; licebit ingenia veſtra exercere, vires experiri, atque praeclaro aliquo profectuum ſpecimine bonum augurium futurae laudis facere.

Sunt autem propoſitae *quaeſtiones* hae:

Ab ORDINE THEOLOGORVM:

Quaeritur, *quaenam ſit origo euangeliorum Matthaei, Marci, Lucae et Iohannis? ex quibusnam fontibus eorum auctores hauſerint? quibus maxime lectoribus et quo conſilio ſinguli ſcripſerint? quomodo denique et quo tempore factum ſit, vt quatuor iſta euangelia maiorem, quam euangelia, quae vocant apocrypha, et canonicam auctoritatem conſequerentur?*

Ab ORDINE IVRIDICO

iubemini exponere *remedia ſecuritatis, quibus iure romano proſpectum eſt creditoribus debitoris obaerati, tum per priuilegia ſpecialia actionibus perſonalibus data; tum per hypothecas tacitas; tum per priuilegia hypothecarum:* porro *tempora recenſere, quibus ea introducta eſſe conſtat;* denique *eorum veram indolem eorundemque vim explanare, qua vel alterum cum altero*

Digitized by Google

altero in eodem creditore concurrit, vel inter plures creditores alterum ab altero vincitur.

Ab ORDINE MEDICORVM:

Deſiderat ordo medicus *ſuccinctam hiſtoriam mortis; cauſſarum ſcilicet eius et inde pendentium diuerſorum mortis generum, tum ſignorum eius diagnoſticorum.*

Ab ORDINE PHILOSOPHORVM

duae propoſitae ſunt quaeſtiones, ſuo vtraque praemio inſtructa. *Altera ordinaria* alteram quaſi partem quaeſtionis, quae in annum praeſentem edicta fuit, conſtituit:

Aſiae Herodoteae difficiliora geographico more explicanda, et nunc quidem, poſt quaeſtionem ſuperioris anni, *ex regionibus: Palaeſtina; Pactyica; deſertum ſabuloſum; planities, quam Aces perfluit, cum populis accolentibus; tractus, quem Sauromatae, Budini, Thyſſagetae, Iyrcae, Scythae exules et Argippaei incoluerunt, quamque Scythae, Europaei et Graeci ex emporio Boryſthenis aliisque Ponticis emporiis, ad Iſſedones vsque, peragrarunt.*

Quod ſi quem in indagandis his ſeu caſus admouerit, ſeu ſtudium vlterius produxerit ad *vrbes* ac *populos* ab Herodoto commemoratos, de quibus forte aliquid conſtitui ſubtilius, quam adhuc factum eſt, poteſt: animum ſaltem aduertere licebit ad vnum et alterum nomen ex ſequentibus: Ex *vrbibus* quidem videri poteſt, an aliquid occurrat, vnde illuſtrari poſſint *Ienyſus; Cadytis; Is; Caſpatyrus.* Ex *populis* autem: *Aethiopes Aſiatici; Sattagydae, Gandarii, Dadicae et Aparytae;*

Paricanii et Orthocorybantii; Caſpii, Pauſicae, Pantimathi et Daritae; Sagartii, Sarangenſes, Thamanaei, Vtii et Myci; Matieni, Saſpires, Alarodii; Pactyes, Maſſagetae, Iſſedones: etſi arx diſputationis nequaquam in obſcurioribus his poſita erit, dummodo in ſumma quaeſtionis expediendae rite aliquis verſetur; nec res magnam difficultatem habet, dummodo inſiſtat aliquis ſuperioris de Aſia Herodotea commentationis veſtigiis.

Altera quaeſtio praemio *extra ordinem* ex munificentia regia conſtituto ornanda haec eſt:

Indaganda Phoenicum in antiquiſſima Graecia veſtigia: tum reſpectu cultus idololatrici; tum litterarum et mythorum; artium denique, et praeſertim agriculturae et rei nauticae; quorum niſi omnium, plurium ſaltem indicia diligenter eruenda, luculentisque exemplis et auctoritatibus munienda ſunt.

Nunc habetis, lectiſſimi Commilitones, ſcopos, quo tela veſtra dirigatis, materias, vnde ingeniorum et profectuum in diſciplinis noſtris academicis laudem, et famae fundamenta petatis. Noſtis praemia veſtrae doctrinae er induſtriae propoſita, laudem et famam inter populares et commilitones, bonam exiſtimationem et maiorum ſpem; cumque his multo maioribus praemium numi aurei XXV aureorum ducatorum pondo e munificentia Regia ſingulis quaeſtionionibus conſtituti. Videre mihi iam videor multorum ex vobis animos ardere laudis futurae cupidine, incenſa ſtudiis ingenia meditari iam nunc nouos conatus, operae aſſiduitatem et intentiorem indu-

induſtriam in emetiendo litterarum et diſciplinarum curſu, cui academica haec vita conſecrata eſſe debet. *Iamdudum variae laudes et conſcia virtus Tydea magnanimum ſtimulis ingentibus angunt* *).

His peractis reditum eſt ad vota publica, quae pro incolumitate reipubl. eiusque qui ei praeeſt, Regis Auguſtiſſ. domusque Regiae, et fecimus tum et nunc facimus. Supplicamus deo O. M., vt ſtatum Europae concuſſum iterum in firmo ac tuto reſtituat; almam pacem, vnicum fructum quem bella habere poſſunt, reducat; populos ſuper vera libertate, eaque libertatis portione, edoceat, quae in ſocietate ciuili bene conſtituta ſingulis relinqui poteſt, quaeque vt vnicuique pro ingenii animique virtute, pro meritorum loci aut gentis auctoritate ſarta et tecta ſit, optamus; reliqua vitae auxilia et praeſidia ex ſe quisque petat et expectet, ſuaque induſtria, virtute, merito, artium vtilium diſciplinarumque ſtudiis, conſequatur. Haec erit *militia noſtra*, haec *caſtra*, haec *certamina*, vt alter alterum *meritis de rep. et litteris*, *humanitate*, omnique *virtute* antecellat. Quae ita eueniant, vt vos omnes ſaluos et omni felicitatis genere cumulatos eſſe vouemus precamurque. P. P. in Georgia Auguſta d. XII. Iunii CIↃIↃCCXCIII.

*) Statius Theb. VI, 826.

XXIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IVST. FRID. RVNDE D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA

LVI.

IN D. II. SEPTEMBRIS CIↃIↃCCXCIII.

CELEBRANDA

RITE INDICIT

SIMVLQVE

SVCCESSOREM

IN

MAGISTRATV ACADEMICO

AVG. GOTTL. RICHTER D.

CIVIBVS SVIS

HONORIS ET OFFICII CAVSSA

COMMENDAT.

Libertatis et aequalitatis ciuilis in Athenienſium reip. delineatio ex Ariſtophane.

Narratio eſt, Commilitones, apud Herodotum *a*) de conuiuio paucis diebus ante pugnam ad Plataeas habito, quinquaginta honoratiſſimis Perſarum

a) Herodot. IX, 16.

ſarum cum quinquaginta principibus Thebanorum ad epulas vocatis; cum diſcubuiſſent ſic, vt in quouis lecto Perſa et Thebanus eſſent, poſt coenam inter potandum vnum e Perſis fuiſſe, qui Orchomenium virum ſibi accumbentem graece interrogaret, cuias eſſet; hunc vero reſpondiſſe ſe Orchomenium eſſe; tum illum dixiſſe: "quoniam tu mihi menſae conſors et libaminum factus es, volo tibi relinquere ſententiae meae monumentum, vt tu ipſe de his edoctus tibi conſulas. *Cernis hos Perſas in conuinium acceptos, et copias, quae ad flumen in caſtris relictae ſunt? horum omnium paruo poſt tempore perpaucos cernes ſuperſtites,*" haec dicendo multas lacrimas Perſam effudiſſe; admiratumque Orchomenium ad illum dixiſſe: "Atqui ſi haec ita ſe habent, Mardonio ea et Perſis, qui ſecundum eum in honore ſunt, dicere expedit;" tum illum haec ſubieciſſe: "*Hoſpes, quicquid numine volente fieri oportet, id ab homine nulla ratione auerti poteſt; neque enim certa et explorata dicentibus credere quiſquam vult; atque haec, quae ſatis certa ſunt, permulti Perſarum cum ſciamus, tamen ſequimur illigati neceſſitate. Eſt autem moeror hic inter homines acerbiſſimus, eum qui multum ſapit, nullius rei potentem eſſe*" *b*). Quid cenſetis, o boni? hunccine Perſam ante hos bis mille et quod excurrit annos minus ſapuiſſe quam vllum ex hominibus noſtris ſapientia et prudentia alios antegreſſis? Etenim mortales nos latere caecos rerum euentus, aequo animo eſt ferendum; at quod male nos habet, hoc eſt, quod in vita publica et priuata tam multa

 inci-

b) ἐχθίστη δὲ ὀδύνη ἐστὶ τῶν ἐν ἀνθρώποισι αὕτη· πολλὰ φρονέοντα μηδενὸς κρατέειν.

Digitized by Google

incidunt, quorum euentum prudentiſſimus quisque praeuidit, et, ſi ſui arbitrii fuiſſet, facile diſcutere potuit, nec tamen, per aliorum ſtultitiam, aut impetum rerum praecipitem ſuſtinere aut mala certiſſima auertere poteſt. Inprimis autem tempora incidere ſolent, in quibus ii animorum motus et aeſtus efferueſcunt, vt ea publice ſuſcipiantur aganturque; quorum ſiniſtros euentus vnusquisque e populo vel mediocri prudentia imbutus praeuidere poteſt, nec tamen quomodo, ipſe priuatus, malis occurrat habet, contra ad eadem conſilia quamuis pernicioſa ipſe pro parte et loco operam conferre cogitur. Videas alia a viris rerum potentibus magna calliditate et prudentia necti texique, vt opes imperiis maiores adſtruant, quas et in praeſens vanas et opinatas, in futurum autem pernicioſas eſſe paullo prudentiores bene perſpiciunt; atqui vulgi, ad tam alta ſcilicet conſilia ſtupentis eaque ad caelum efferentis, vocibus ſuas voces miſcere, et, quae liberorum nepotumue fortunas euerſura ſunt, in triumphis et ſummis de rep. meritis imputata ſibi habere iidem coactos ſe eſſe vident.

Quo ductura eſſent Ludovicorum faſtus Perſici, et inſana conſilia Europae principatum affectantium et omnia nefariis artibus miſcentium, multi prudentes viri iam ab initio perſpectum cognitumque habuerunt; fuere quoque qui, etſi vinculis exiliisque propoſitis, monere auderent; at *quem tum vates Caſſandra moueret?* Omnia imperia magna mole ſua laborare, nec provincias ſitu, caelo, ingeniis, inſtitutis, diuerſas, vnius nutu ſatis recte poſſe adminiſtrari; quo latiores

res ſint fines, eo plus praeſidii ac tutelae requiri; ad diſſolutionem iam a prima compage facta ſummam rerum ſpectare; magnas porro opes vbiuis ad luxum, luxum ad corruptelas omnis generis, corruptelas ad exitium properare, ſapientiſſimus quisque perſpectum habet: neceſſitas tamen impoſita ei eſt exultandi et tripudiandi, quoties millenis caedibus, exhauſtis patrimoniis, iniuriis innumeris, noua parta eſt prouincia, nouus tumor moli excreuit, tanquam gibber corpori iam antea deformi. Quae noſtro tempore euenerunt, vt nec praeter opinionem euenerunt, ita, quae ex his ſeminibus aliquando propullulatura ſint, ſedatioribus ingeniis vel ſine Pythia ad proſpiciendum obuia ſunt. Atque in hoc ipſo ſeu naturam ſeu fortunam accuſare licet, quod, cum ſuperiorum aetatum memoria, totiusque generis humani hiſtoria, exempla conſiliorum euentuumque ſimilia ante oculos ponat magno numero: nullus tamen inde ad homines fructus perueniat. Scilicet pauciſſima, quae inter homines geruntur, a mentis conſilio, praeteritarum rerum exemplis comparatis, pleraque a cupiditatibus, proficiſcuntur, quae in ſolis praeſentibus ſunt defixae, nec niſi quae appetunt et ſperant, ante oculos habent; quid? quod etiam illa, quae a conſilio ac prudentia proficiſci putaueras, vbi propius adſpexeris, a cupiditate aliqua aut nata, aut hanc iis, tanquam ſurculum trunco, ſtatim in primo germine inſitam eſſe intelliges; vt adeo, cum omnia humana in eundem aliquando alueum deferri videas, perinde habeas, ea, quae ſuſcipiuntur, ſiue a nullis ſiue a certis principiis rectis iuſtisque proficiſci: vtque

per-

perſuaſum tibi habere liceat, etiamſi Franci a verioribus principiis progreſſi euectique eſſent, nec argutiis partim a re alienis partim parum circumſcriptis, ſed ſanioribus doctrinis, ratione, exemplis, vſu, probatis, ſua ſuperſtruxiſſent, haud tamen multum diſſimilem rerum euentum futurum fuiſſe; quandoquidem multo magis ab hominum cupiditatibus, quam a mentis erroribus, in remp. mala deriuantur. Philoſophicis ſubtilitatibus tamquam machinis et inſtrumentis malorum conſiliorum ſi non ab initio, tamen ſub ipſos curſus carceres, vſi quidem ſunt multi; at horum malorum conſiliorum fontes et cauſſae fuere non tam prauae concluſiones et ſyllogismi aut in perſpicientia veri caecitas; verum in cauſſa fuerunt eae res, quae hominum ſenſus animosque mouent, impellunt, rapiunt, occaecant; ambitio, vanitas, honorum et opum appetentia; atqui eaedem etiam eos, qui philoſophari ſibi videntur, transuerſos rapiunt, quoties a contemplatione ad rerum actum proceſſum eſt *c*).

Athenienſium resp. etſi, quatenus a certo mentis iudicio ciuitatis ad libertatem aequalitatemque attemperatae notio repetitur, non multa habet, quae omnino improbanda videri debeant, hoc ipſo tamen vitio laborauit, quod a ratione et iudicio hominum expectabantur plura quam a cupiditatibus metuebantur. Quod ſi cum perfectis viueremus hominibus, nulla eſſe poterat melior ciuitatis deſcriptio; et,

c) *Saepe inter nos impendentes caſus defleuimus*, cum belli ciuilis cauſſas in priuatorum cupiditatibus incluſas, *pacis ſpem a publico conſilio eſſe excluſam, videremus.* Cicero in Bruto 96.

Digitized by Google

et, quod in magno imperio bis centies centenorum millium expectare inſani ingenii eſt, probabile videri poterat, XX millia hominum per vrbem et agros diſperſa liberaliter educari poſſe et in honeſta paupertate, cui aſſueuerant, ita inſtitui, vt meliorum et prudentiorum monitis ceteri parerent, rebus, quoties aut deliberandum aut agendum eſſet, inter Senatum populumque et magiſtratus ſapienter diſpertitis, ac rerum gerendarum ordine diligenter praeſcripto; itaque ciuium quidem ſuffragiis decernendae res erant, enim vero nihil ad populum deferebatur niſi a magiſtratibus in Senatu matura deliberatione exploratum, moxque Senatus probuleumate in concionem prolatum, et accurata oratione habita cauſſis argumentisque probis idoneisque declaratum: ita vt populi voluntas in re ſatis perſpecta haud obſcura nec corrupta, ſed tanquam a mente vnius hominis intelligentis profecta haberi poſſet. At confeſtim omnis generis corruptelae remp. occuparunt: primo inſtrumentis publicae voluntatis, hoc eſt magiſtratibus et oratoribus, corruptis, mox populo ipſo, eiusque voluntate modo intercepta modo ad deteriora verſa. Occurrit autem in his animaduerſio rei ingentibus laudibus, quas vel ex Cicerone lecto meminiſſe licet, in caelum efferri ſolitae, quae tamen, a prauis hominibus deprauata, et Athenienſium et Romanorum, et nunc quoque Francorum, remp. perdidit, *eloquentiae* ſcilicet; qua resp libera haud facile carere poteſt, quandoquidem publice res ſunt docendae ac deliberandae; quae tamen malorum ciuium certiſſimum ad remp. turbandam praeſidium vbique et fuit et erit.

Quot-

Quotquot inter vos, Commilitones, ſcriptores veteres verſando aut priſcam rerum memoriam repetendo firmum ſatis ſuorum ſtudiorum crepidinem ſubſtruxerunt, in eam incidere potuerunt obſeruationem, vt, quicquid in vita noſtra publice priuatimque litteris et ſcriptione peragitur, id inter Graecos et Romanos oratione eſſe actum animaduerterent. Quo ipſo in vitam magnum rerum diſcrimen illatum eſſe neceſſe eſt, vt dicendi facultate ſublata facultati ſcribendi tribuatur plurimum, olim autem, etſi cum ipſa oratione etiam vigeret ſcriptio, ſine qua neque illa eſſe poſſet ſatis elaborata, eloquendi tamen facultas maiorem afferret admirationem et celebritatem. Vtrumque negotiorum expediendorum genus, ſeu oratione ſeu ſcriptione, ſuam habere videtur dotem. Quae enim *ſcripto mandata* oculis ſubiiciuntur, cum nulla res externa animum impellat, mente et oculo in ea defixo, melius expendi et iudicari poſſe videntur; poteſt quidem inflecti iudicium non ſatis firmum callida ſcripti ſubtilitate et ſententiarum fucis, haud tamen facile affectibus concitatum ad contraria et iniqua rapi; nam ipſa res ita fert vt non niſi nuda rerum expoſitio, argumentis ſuis ſubſtructa, ſcripto admittatur; nec loco, nec tempore, nec ingenio eorum, qui res adminiſtrant, diſertam et ornatam orationem in ſcriptis admittente; multo magis omnem eloquentiam excluſit ars formularia, quae negotiis tractandis ſeſe inſinuauit, ſatis quidem loquax ac verboſa, cautionis tamen ac prudentiae ciuilis, interdum etiam calliditatis, ſalubris miniſtra. Enimvero qua aetate nihil publice in Senatu, populo et

et iudiciis, niſi *oratione* actum fuit, facile intelligitur, longe alium animorum habitum, in iis, qui in rebus agendis verſabantur, eſſe debuiſſe; mentibus, oculis, auribus in dicentem intentis, vt adeo hoc iam ipſo ſenſibus aliquantum poteſtatis et arbitrii conceſſum eſſet; ipſa vero oratio, ad *perſuadendum* compoſita, non nuda argumentorum expoſitione contenta, verum in iis ornandis tum in animis mouendis et affectibus excitandis occupata, non modo, quod ſcriptura, efficere voluit, vt intelligerent ac perſpicerent alii verum, ſed etiam id allaborauit, vt ad verum probandum, amplectendum, exſequendum, iidem permoti et impulſi adducerentur; adeoque *animos impellere ac mouere* proprium erat orationis; quo ipſa dicentis animi commotio, vultus vocisque intentio, audientium corona, ſilentium, conuerſa in eum ora ducere debuerunt. Quaecunque igitur inter hos homines deliberata, decreta, curata; geſta fuere, maiore animorum motu, ardore, vi ac virtute geri neceſſe fuit. Expectes contra ea, quae nunc publice fiunt, ſedatioribus animis, maturioribus iudiciis, deliberari, decerni, geri.

Quod ſi vtrumque rerum agendarum genus comparamus, habere vtrumque ſuam laudem manifeſtum fit; ſaepe enim animos ad magna et ardua conſilia excitare neceſſe eſt; nec minus alio tempore a calidioribus conſiliis ad verum et rectum perſpiciendum ſine omni animorum motu et affectu homines perducere expedit; porro alterum, rebus publicis popularibus, alterum regnis et imperiis magis eſſe conſentaneum patet; ad indolem popu-

lorum

lorum ac ciuium fingendam, diuerſis tamen viis ac modis, effectibus quoque diuerſis, vtrumque inſignem vim habere et habuiſſe; dicta enim audiendo, aliter ingenia formantur, aliter, ſcripta quae ſunt, legendo; infinita alia in litterarum, artium, humanitatis cultu ac neglectu, quae aliunde repeti ſolent; in ingenti hoc rerum agendarum diſcrimine ſemina ſua habuiſſe, ei, qui mentem ad haec perſequenda appellere voluerit, in promtu erit ad intelligendum. Inter haec tamen primarium eſt, poſſe quidem etiam *ſcripto* ſophiſtarum artibus et laqueis hominum animos irretiri et in transuerſum rapi; multo tamen magis *orationem* deſiderare perorantium probitatem, honeſtatem, fidem; contra nihil pernicioſius eſſe eloquentia, ſi mali ciues in rep. adminiſtranda ea vtantur, idque tanto magis quo maior eſt audientium coetus, aut quo magis oratorum opera ille iam corruptus et obnoxius eſt factus. Eſt autem hoc a natura menti humanae inſitum, vt homines in coetus magnos congregati, mutuo adſpectu, affatu, ira, minis, facilius exaſperentur et inflammentur; ita vt etiam moderati alias ac prudentes hac tanquam contagione correpti inſaniant *d*).

Atque

d) Bene in Ariſtoph. Eq. 750: *ὁ γὰρ γέρων* (populus) *οἴκοι μὲν ἀνδρῶν ἐστι δεξιώτατος, ὅταν δ' ἐπὶ ταυτησὶ κάθηται τῆς πέτρας* (de Pnyce loquitur) *κέχηνε*. (Procliue nunc eſt ad aſſequendum, cur rhetorica a Cretenſibus et Spartanis in remp. admiſſa non fuerit. cf. Sext. Empir. p. 292. 4. et puto me aliquando non bene reprehenſum eſſe dicentem: "non eſſe in votis habendum, vt forenſis Ciceronis eloquentia iterum in forum noſtrum et in roſtra inducatur.")

Digitized by Google

Atque huius rei cogitatio ſaepe animum ſubiit in recentiorum euentorum reputatione. Vix vnquam fieri potuiſſe arbitrari licet, vt ad hos furores ciuiles adduceretur aut populus aut populi ſenatus, aut factio perniciosiſſima omnis publicae ſalutis expultrix, prouinciarum vrbiumque vaſtatrix, niſi oratione in publicis conſeſſibus exponi animorum iudicia coepiſſent; non enim putandum eſt, neceſſario haec quae male ceſſerunt ita eueniſſe, nec aliter euenire potuiſſe, aut eodem ſemper ſimiles conatus exituros eſſe aut exiri debere. Proluſum fuerat hoc perorandi genere, peſſimo vtique exemplo, in coitionibus, ſodalitiis et *hetaeriis*, pernicioſiſſimo inſtituto, cui in omni ciuitate diligenter ac ſeuere eſt occurrendum; id quod Romani bene perſpectum habuerunt, quibus nihil magis curae fuit, quam videre, *in ciuitate coetus et conuentus ne ſerent.* In hac enim tanquam palaeſtra turbulentiſſima ingenia ſe experiuntur et acuunt, mutuo quaſi attritu eliſis ſcintillis animi inflammantur, et ad populi conciones et ſenatus conſilia fomes factionis traducitur. In *publicis* itaque *conſeſſibus* primo prudentiſſimus quisque, ſi dicendi facultate et vſu erat deſtitutus, negligi et a rerum actu excludi, contra in ſuggeſtum eſcendere, moxque (quod in populo ad vanitatem et oſtentationem compoſito et lingua promto multo magis praeuideri poterat) in eo regnare diſertiſſimus quisque, poſtea et improbiſſimus; tum vero, quod omnium pernicioſiſſime inſtitutum fuit, *plebe ad audiendum admiſſa, ſublata eſt iam tum libertas*, actumque de republica; patefacta ſic via ad admittendum omne licentiae et corruptelae genus,

ſiue dicentibus ſiue audientibus; his plaudentibus, illis plebi palpantibus *e*). Nunc non, quae probarentur melioribus, ſed quae deterioribus placerent, referri, decerni; boni viri aut ſequi popularem licentiam, non ducere voluntates, aut metu, terroribus, vi, de ſuggeſtu fugari; ita omnis respublica tandem in perditiſſimae factionis manus peruenire, ſceleribus, facinoribus, furoribus, miſceri omnia, ipſa factio caedibus et vinculis in ſuarum partium homines ſaeuire, deteriores indies deterioribus loco cedere, ſummum tandem locum occupantibus iis, qui ex infimis vitae fortunaeque ſordibus progreſſi nulla rerum gerendarum ſcientia et vſu inſtructi, at audacia, temeritate, ſcelere, alios eſſent antegreſſi, lingua tamen promti, criminoſi, vociferatores, veteratores. Manauit inde corruptela in vrbem, in populum, in ipſam ſermonis et linguae indolem; exortum genus dicendi pro amplo, ſublato et ſplendido, inflatum et tumidum, pro eleganti calamiſtris inuſtum et ineptum, pro concitato et vehemente furioſum et fanaticum, idemque horridum, ſolutum, infuſcatum, quod ingenuus quisque reſpuat et faſtidiat,

e) De *adulatoria hac eloquentia* differit Plato in Gorgia ed. Bip. p. 36. p. 121 ſq. p. 148 ſq. To. IV. Fluctus autem, quos mouere ſolent demagogi, et hominum amentiam in feſtinando reip. naufragio, optime tanquam in tabula proponi videas in Phocione Plutarchi: vbi in princ. Demades, e perditiſſimis demagogis, cum multas leges indignas et iniuſtas ferret, hac excuſatione vſus eſſe dicitur: *ſe naufragium reip. adminiſtrare*, πολιτευόμενος τὰ τῆς πόλεως ναυάγια. Atqui ille vnus ex iis erat, qui ſtolidis ac vecordibus conſiliis et artibus prauis ad naufragium remp. adduxerant.

Digitized by Google

diat, moribus tamen ingeniisque iſtorum hominum, qui dicunt et qui applaudunt, conſentaneum.

Nihil horum eſt, quod non in rep. Athenienſium eodem modo eueniſſe videamus. Cum inde a democratia per Solonem conſtituta, etſi ad certum modum prouide circumſcripta, factionibus tamen Cliſthenis et Iſagorae agitata ciuitate, viri non niſi graues ad dicendum ſurrexiſſent, e quibus Themiſtoclem et Ariſtidem memoraſſe ſatis eſt: ecce ſucceſſit Pericles, ſummus quidem prudentia et eloquentia, plebi tamen eo ſtudens, vt aduerſarium Cimonem cum optimatibus euerteret. Quae autem per eum inclinatae erant res, adhuc quidem ſatis validae, mox eorum, quos rhetores et demagogos appellare ſolemus, opera praecipitatae ſunt. Non enim reipublicae ſtudere, ſed ſuarum partium aut vtilitatis priuatae conſiliis reipublicae nomen praetendere ac mentiri, alter alterum euertere, a deterioribus meliores vinci, ad deterrimos tandem reip. adminiſtratio redire, bella temerarie ſuſcipi, ſtolide adminiſtrari, infeliciter geri. Fracta et exhauſta ciuitas mutata primo in ariſtocratiam, CCCC Senatu, et V. millium concione conſtituta *f*), mox iterum populari rep. reſtituta, ſed adſcriptis in ciuitatem ſeruis ac transfugis, omnino egentiſſimo quoque et perditiſſimo; (Xenoph. H Gr. II, 3, 68) tum in hoſtium poteſtatem redacta, magiſtratui XXX. virorum ad leges ſcribendas creato tradita; qui mox ſumma rerum poteſtate arrepta exiliis et ſuppliciis

 in

f) Piſandri demagogi opera: Thucyd. VIII, 53. De eo Xenoph. Sympoſ. II, 14. Ariſtoph. Av. 1555. Pac. 394. Lyſ. 491.

in ciues ſaeuiendo, vt XXX tyrannorum nomine inſigniretur, meruit: ſimillimus Francorum gentis Conuentui; vti et facinora ac ſcelera, caedes et rapinae, vtrinque ſunt ſimillimae.

Eſt inter Ariſtophaneas fabulas vna *Equites* a choro inſcripta, in qua democratiae, qualis tum erat, corruptelae, tum demagogorum artes ita ad viuum exhibentur, vt noſtris temporibus omnia agi putes. Proponere lubet tanquam tabulam aliquam, non quidem coloribus ſuis, nam hoc in ipſa comoedia fit, extremis tamen lineis expreſſas res redhibentem. Occupauerant dudum remp. homines obſcuri, Eucrates, ſtupparum lini et cannabis venditor, (Equ. 129. c. Schol.) idem ex furfuribus quaeſtum faciens (v. 253) Callias, Lyſicles qui oues vendebat (v. 762. Schol. 132), Hyperbolus e figulo rhetor (v. 1301) Cliſthenes et Strato, cinaedi (1371), Phaeax *g*), paederaſtes (v. 1374), qui iam Pericli aduerſatus erat. *Cleo* tum regnabat in concione populi coriorum venditor; inducit itaque poeta hominem farciminum venditorem qui eum euertat, vti ipſe ouium venditorem, et is ſtupparum venditorem de ſuggeſtu deturbauerat; (129 - 144) adeo nequiſſimus quisque alius alii ſuccedebat in adminiſtranda rep. Videamus artes quibus vtebantur homines hi, qui reip. praeeſſe, populi commoda curare, libertatem tueri videri volebant. Primarium erat, odio in diuites et equites *h*) conci-

g) De hoc et de aliis demagogis pluribus cf. Ruhnken. Hiſt. Graecor. Orator.

h) Vnde etiam chorus equitum in fabula velificatur poetae, flagitia et fraudes improborum hominum exagitanti, qui

concitato, et indigentiſſimis ac deterrimis e plebe in partes allectis, palpari et blandiri populo, iactare ea quae plaudentibus cunctis audiebantur, opes reip., nomen, famam, gloriam magnifice efferre; tum quantum terrori ſint hoſtibus, quam promti ſint ſocii ad accipienda iuſſa Athenienſium et facienda imperata; porro non niſi laeta et iucunda auditu nuntiare, maiora etiam et praeteritis laetiora polliceri. Itaque ſalſe ridet exagitatque populum hiantem ſemper ad nouas ſpes et promiſſa Comicus, dum nouum reipublicae adminiſtratorem inducit cum Cleone contendentem primo in Senatu (v. 621 ſqq.) tum in populo (v. 727 ſq.). Nuntiat ille, (649 ſq.) quod fauſtum felixque ſit republicae, eueniſſe rem magnam, grates eſſe diis agendas, quippe apuas (viles piſciculos) vilius nunc venire quam vnquam per totum hoc bellum, (agebantur enim haec belli Peloponneſii tempore) vno obolo poſſe emi magnam

 copi-

qui equites odiſſe, calumniari, vexare non deſiſtebant: v. 624 ſq. Neque poeta eo audaciae procedere potuiſſet, vt demagogorum artes ita traduceret, niſi bonos, diuites et equites, ſuae cauſſae fauentes habuiſſet: v. 226 ſq. Qua in re fatendum eſt plus libertatis fuiſſe in ipſa populari dominatione Athenienſium, quam nunc inter eos homines, qui in libertate aequalitatem iactant; oris libertatem ferro vindicant, vt ne hiſcere quidem ad deplorandam patriae ſeruitutem liceat. Quis enim nunc, vt tum Ariſtophanes Athenis, Cleones, Lamachos, Hyperbolos in ſcena proſcindere auſit! Quid? quod non linguae modo, verum et animornm iudiciis frena iniicere volunt, et tacitos ſenſus ſuppliciis afficiunt! Idem Cleo, ſuperiore tempore ab equitibus, quos attriuerat, in iudicium erat vocatus, quod inſulanis tributorum leuationem promiſiſſe arguebatur, quinque talentis ſumtis; quae iterum *euomere*, vt Ariſtophanis voce vtar, coactus eſt Acharn. pr.

copiam; tum Cleo maius polliceri, et hecatomben Mineruae immolandam dicere; antequam tamen reliqua profaretur, interpellat alter, cras, inquit, ſe effecturum inſuper, vt centum ſardinae vno obolo veneant; cumque inter haec foederis ac pacis a Lacedaemoniis oblatae mentio iniecta eſſet, omnes reclamant, nunc cum apuae tam vilis ſint pretii de pace non eſſe cogitandum, bellum eſſe producendum. Tum Agoracritus, hoc homini nomen eſt apud Comicum, vt populum etiam magis demereatur, apportat piſciculorum de ſuo condimenta et indigentibus in populo gratis ea largitur; tum vero ille laudibus efferri et in omnium ore haberi. — Alio loco (1010 ſqq) oracula vterque proferunt de fortuna Athenarum, florentibus earum rebus et ſummo Graeciae imperio; dat ſe barathronibus his deludendum populus *i*). Tum illi ad deliniendum eum, tanquam ſenem decrepitum ac fatuum, afferunt liba, pulmenta, munuſcula *k*). Et iam antea

i) Ibid. Equit. 1112 ſqq. In his vtique et aliis ſimilibus locis, vt in numis, *Populum*, Δῆμον, in ſcenam inductum, *perſonam viri* habuiſſe apparet: add. 720 727 ſq. Vnde probabile fit, pictum a Parrhaſio *Populum* ſeu *Demum*, de quo tam mira narrat Plinius XXXVI, 10. ſ. 36, 5. non alium fuiſſe quam *virum in tabula pictum;* non picturam aliquam multis ſymbolis et attributis, vel pluribus viris diuerſi vultus et moris diſtinctam. Fuit quoque Leocharis opus in Piraeo ap. Pauſan. I, 1. p. 4. Δῆμος; pictus ab Euphranore in Poecile Δῆμος καὶ Δημοκρατία (ibid. 3. p. 8. 9.) et in Curia Δῆμος pictus a Lyſone (ibid. p. 10). Verum et Spartae in foro ἀνάκειται Δήμου τοῦ Σπαρτιατῶν ἀνδριὰς, μεγέθει μέγας (p. 234).

k) Comparantur huiusmodi beneficia in populum cum nutricularum more, quae, praemandendo pultem, tertiam partem puero in os indunt, alteras duas ipſae deuorant v. 713 ſq.

antea oratione ad populum habita *l*), merita ſua in populum commemorauerant (760), ridicule per ea ipſa, quibus populum vterque demeruiſſe videri volebat, flagitia ſua palam profitendo (771); tum blandiuntur populo, alter puluinum, vt molliter in concione ſedeat, offerendo (781): quod populo adeo placet, vt *amans populi* pronuntietur; promitit alter corium ad ſuendos calceos; tum extemplo alter par nouorum calceorum affert et dat geſtandum (867 ſq.); ita pluribus pergunt deludere populum turpiter hamo et eſcae inhiantem *m*). Inter haec alter alterum occupat et vincit vociferando, ad populum accuſando, flagitia exprobrando, calumniando. (Equ. 275. 284. 440. 296.) Magnum quoque potentiae et auctoritatis vtrique habetur praeſidium, turbare omnia *n*), ſuſpicionibus et timoribus vrbem implere, ſeque oſtendere vnice parem reip. in tuto collocandae, ſolum ſe beneuolentia ſatis et ſtudio animatum in populum, vt pericula pro eius ſalute ac commodis ſubeat. (213 ſq. 833 ſq.) Facete tales reip. adminiſtratores Comicus comparat cum iis qui anguillas piſcantur, quorum capiendorum nulla eſt ratio niſi aquam turbidam reddideris. (v. 860 ſqq.)

l) Eſt quoque v. 760. initium orationis adumbratum ex ſollenni formula, quam et in praeclaro iſto Demoſthenis pro Corona exordio legimus: πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ ταύτῃ τῇ πόλει καὶ πᾶσιν ὑμῖν, τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ᾽ ὑμῶν εἰς τουτονὶ τὸν αγῶνα.

m) Occurrunt plura in hanc rem loca etiam in ceteris fabulis, vt Acharn. 628 ſq.

n) σείειν καὶ ταράττειν.

Altera ex parte facinoroſi hi, qui rempublicam occupauerant, dudum omnes bonos et honeſtos calumniando, in ſuſpiciones, mox in iudicia adducendo ita exagitauerant, vt a rebus gerendis aut deiicerentur aut ſponte recederent; quo factum erat, vt resp. tandem in nequiſſimorum hominum manu eſſet, (820. 424. 181. 191) qui in ſordibus quaeſtuoſae vitae nati et educati, aut rabulae forenſes et ſycophantae cauſſis agendis dudum bonam famam ac fidem eiurauerant, et ad remp. non niſi artes infames, quibus adſueuerant, afferebant; rei gerendae prorſus ignari et imperiti, ſcurrae, fatui, impoſtores, at iidem fraudulenti, aſtuti, verſipelles, rapaces, gurgites et barathra, furando, peierando, impudenter mentiendo, foede aſſentando, ipſos flagitiorum ſodales praetergreſſi. Omnino impudentia horum hominum nihil habebat quod cum ea compararetur (323); vnde et ipſa dea Impudentia iſti hominum generi praeeſſe eſt dicta *o*). Eo itaque deuenerat, vt deteriori ſemper alius deterior et infamior ſuccederet (v. 945. 6.); tum vt, quo quis eſſet ſceleſtior, eo magis certiſſimam haberet ſpem perueniendi ad reip. clauum regendum (v. 424 ſq. 328 ſq. 820 ſq.) *p*). Quid iam mirabimur

o) *Ἀναίδεια ἥπερ μόνη προστατεῖ τῶν ῥητόρων* v. 323.

p) *δι' αὐτὸ γάρτοι τοῦτο καὶ γίγνει μέγας, ὁτιὴ πονηρὸς, κἀξ ἀγορᾶς εἶ καὶ θρασύς.* v. 181. 182. Adeo *corrupta imperia* et *corruptae reſpublicae populares* eadem fere peſte laborant. Nam Romae, ſi ſceleſtus, ſi audax, modo nobilis eſſes, in gratiam Caeſarum arrepere facile erat; Athenis autem primas tenuerunt ſceleſti et audaces, modo ex forenſi turba eſſent. Ideo non forma, deſcriptio, ac nomen, ſocietatem ciuilem conſtituunt, ſed mores et inſtitnta ſeu religioſa ſeu ciuilia, quibus illi reguntur, diſciplina bona publica ac priuata.

Digitized by Google

bimur ſolenne iis fuiſſe omnibus honeſtis ac bonis iraſci, inſidiari, eos iudiciis, tributis, furtis, atterere *q*), famam ac dignitatem arrodere, vitae honeſtatem in contemtum adducere *r*), etiam ſua flagitia in eos transferre, nomina ad Senatum deferre, ſententiis ſuis condemnare. Nam etiam iudicia in partes ſuas traxerant, (v. 255 ſqq.) et homines tranquillos, auerſos a negotiis, probosque, quos improbare ſua ſcelera bene norant, tum diuites, quibus eſſet vnde ipſi furari poſſent, ad iudices vocabant; iuuenum audacium et improborum opera vſi (v. Acharn. 676 ſqq.). Contra facinorum ſocios populo commendabant, virtutes eorum ementiendo, et iniurias, quas ipſi bene de rep. merendo ſubiiſſent, iactando (Equ. 264 ſqq.). Iam aerarium quomodo expilarint homines ſordidis lucris adſueti et luxuria perditi, quomodo ſocios et inſulas, referre piget. (ibid. 433 ſq.) Ridiculum eſt, quod Cleonis ciſta in ſcenam producta et aperta hominis furta proferuntur. (v. 1208 ſq.)

Quae quidem ſtudia iſti in rep. adminiſtranda cum proſequerentur: quid eos republica in diſcrimen adducta et per bella turbata auſos eſſe putabimus? Scilicet, quod noſtra aetate vidimus, vt homines inepti et imperiti domi deſidentes pugnas facere, vrbes capere, caſtra oppugnare, decreto iuberent; re bene geſta ducibus inuiderent, belli neceſſitates et apparatus aut retardarent aut interciperent, conſilia reprehenderent, famam arroderent,

 volun-

q) Eſt in his aſtutum inuentum, vt inſcriberent aduerſarium inter diuites, vt tributis ille obtereretur v. 910 ſq.
r) *ὡς οὐδὲν λέγει τὸ σωφρόνως τραφῆναι* v. 333.

voluntates militum abalienarent; ſin eorum ſcelere exercitus ſoluti, diſperſi, labefactati, cladem acceperant, ipſi calumniari duces (354 ſq.), ſuſpiciones ex ſuſpicionibus ſerere, culpa ac perfidia eorum cladem acceptam clamare, eos in iudicium adducere, ſuppliciis *s*), exiliis multare; vt Thucydidem exulaſſe nouimus, Amphipoli dedita, nulla eius culpa; interdum in medio rerum gerendarum curſu a caſtris abducere, euocare; aut mittere ad res inſpiciendas homines imperitos, ducibus infeſtos et ſimultate cum iis exercita notos; aut ſubornare, qui falſa renuntiarent; ita quoque, ſi res, eorum iuſſu geſtae, aliter, quam ipſi ſtolide praedixerant, ceciderant, negare verum dicere eos, qui nuntiarent, (v. Thycyd IV, 27. VIII, 1.) iraſci, occidere famae auctores, pro ſtrage exercitus aut oppidorum deditionibus victorias et expugnationes nuntiare. Interea ipſi bella ex bellis ſerere, paci, induciis, componendis rebus quouis modo obſiſtere, ſcilicet ne ipſi aut propter ſcelera ac furta facta in iudicium adducerentur (v. 804 ſq.), aut furandi facultatem amitterent (794 ſq.); nullus enim demagogis expeditior et copioſior ditandi ſe et ſodales modus, quam ex belli apparatuum cura, ex proſcriptionibus et agrorum vaſtationibus (cf. Acharn. 513 ſq. 525 ſq.); ſimiles adeo iis, qui caliginem excitant, ne

s) In memoriam reuocandum ſupplicium de praefectis claſſis ſumtum victoria egregia ad Arginuſſas relata, quod cadauera e mari non ſuſtuliſſent. Xenoph. H. Gr. I, 7. Diodor. XIII, 120 — 1. 2. vbi in fine: *οὕτως ὁ δῆμος τότε παρεφρόνησε καὶ, παροξυνθεὶς ἀδίκως ὑπὸ τῶν δημαγωγῶν, τὴν ὀργὴν ἀπέσκηψεν εἰς ἄνδρας οὐ τιμωρίας, ἀλλὰ πολλῶν ἐπαίνων καὶ στεφάνων ἀξίους.*

Digitized by Google

ne furtum appareat *t*); vtque populum in partes traherent, modo ſpolia ac praedam oſtendere, modo ſocietates, auxilia, regis Perſarum, Sitalcis Thracum regis, iactare (Acharn. 61 ſq. 133 ſq.) modo prouincias et inſulas reip. ditioni acceſſuras enumerare (Eq. 795). Erant alii qui copiis praeeſſe, exercitus ducere cupiebant, in quibus Lamachus in Acharnenſibus mirifice exagitatur, malis artibus hoc conſequutus vt imperator crearetur (Acharn. 596 ſq.) isque paci ineundae acerrime aduerſans. Iisdem demagogis auctoribus incenſi plebis animi acerbiſſimas poenas ſtatuerunt in ſocios, qui, cum vexationum et exactionum pertaeſum eſſet, ad Lacedaemonios ſpectarent. Quanta cum immanitate et crudelitate ſaeuitum eſt in Mitylenaeos! paullo plus mille morte multati! et tamen hoc alterum erat mitius decretum, cum prius Athenienſium populus omnes puberes viritim occidere, impuberes et feminas in ſeruitutem redigere cenſuiſſet (Thucyd. III, 36 ſq. 49. 50). Quoties qui ſe dediderant, aut qui capti fuerant, contra fidem datam caeſi! Refugit animus ſigillatim haec exponere.

Bello, quod Peloponneſiacum vocatur, iam per ſeptem annos ducto, cum optimus quisque et prudentiſſimus pacem exoptandam eſſe iudicaret, erant tamen, qui populum victoriarum, imperiorum, praedarum ſpe erectum, a pace alienarent. Pylo in occidentali Peloponneſi littore occupata ab Athe-

t) Quod apud Horatium Epp. I, 16, 60. faciunt clam facinoroſi: *Pulcra Laverna! da mihi fallere, da iuſto ſanctoque videri* (At ne hoc quidem illi curant) *Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem!* hoc illi palam.

Athenienſium claſſe duce Demoſthene et munita, cum Lacedaemonii, qui ad Pylum liberandam venerant, ab Athenienſibus victi, parte nauium depreſſa, ipſi inſula Sphacteria tanquam euerriculo eſſent incluſi: pacem Lacedaemonii petitum legatos Athenas miſerant. Vetuit fieri pacem Cleo (Equ. 792. Thucyd. IV, 21. 22). Tum Lacedaemonii ira incenſi omnibus neruis contendere, et, ne copiae in inſula deditionem facerent, experiri vltima. Athenienſes pertinaciae ſuae et foederis non admiſſi poenitentia inceſſere. Cleo, pacis impeditae crimen in ſe redundaturum eſſe facile praeuidens, primo negare vera eſſe nuntiata; tum, qui ad res inſpiciendas et explorandas mitterentur, eligere; porro duces belli calumniari: ſi ſibi belli gerendi ſumma permiſſa eſſet, confeſtim inſulam ſe eſſe expugnaturum. Tum Nicias, dux belli creatus, Cleoni imperium defert; qui primo percuſſus tergiverſatur, mox recipit praeturam, pudore ſuffuſus, et in ſolitam impudentiam prolapſus intra XX dies (Eq. 1051) ſe in vrbem captos in inſula Sphacteria Spartanos deportaturum promiſit, omnium exceptus riſu. Interea Demoſthenis opera et virtute res iam ad expugnationem inſulae adducta erat; ecce ſupervenit Cleo, et alienae induſtriae fructu potitus inſulam expugnat *u*). Nunc magnus imperator ille haberi, potentia et opibus creſcere! paci faciendae tanto magis aduerſari. Ita protracta res, nec induciae,

u) Haec diſerte narrata a Thucydide IV, 1–49. inprimis c. 27. 28. 29. res graphice et tanquam noſtra aetate geſta exponitur. Diodor. XII, 60–63. Spectant eo Equ. 354. 390. 741. 1051.

Digitized by Google

duciae, tantopere a Comico commendatae (in Acharnenſ. et Equ. 1385 ſq. et al.), admiſſae fuerunt. Factae tamen altero abhinc anno, nonus ille belli erat, induciae in annum, actumque de pace; de qua tamen nihil conuenit. Miſſus anno poſt in Thraciam cum agmine Cleo victus occubuit. Verum vlteriora hoc loco perſequi non licet. Vnum hoc meminiſſe iuuat, temporibus noſtris nouiſſimis ſimillima eſſe ea, quibus deditione ab Athenienſibus facta XXX tyranni erant impoſiti a Spartano victore, hoc eſt, magiſtratus ſcribendis legibus, ſeu nouae reip. adminiſtrandae formulae, conſtitutus. Illi paullo poſt rerum ſummam occuparunt, Senatum et alios magiſtratus, vti ſibi viſum, crearunt, praeſidio Sparta accito, omnes, quos ſibi non obnoxios fore ſuſpicabantur, e medio ſuſtulerunt; mox trinis millibus conſtitutis, qui populi perſonam et munia ſuſtinerent, ceteris omnibus arma tradere iuſſis, ciuium caedes fecerunt promiſcuas, priuatorum odiorum aut rapinarum cauſſa; cumque Theramenes iniuſte facta exprobraret, ſuis ſuffragiis collegae collegam condemnatum necarunt, auctore Critia: qui ſuo exemplo docuit, potentiae amore ſemel ineſcatos animos, etiam bene inſtitutos et litteris imbutos, omnem inſtitiae et aequitatis, quem antea habuerant, ſenſum exuere. Sunt eius orationes apud Xenophontem (H. Gr. II, 3.), quas noſtro tempore habitas eſſe diceres. Pro democratia, conſtituta ſic oligarchia, dominationis deterrimum genus; immanitatis et crudelitatis multo maiora et atrociora exempla, exacto nondum annuo ſpatio, edita ſunt, quam per turbulentiſſima democratiae tempora multorum

Digitized by Google

torum annorum ordine haud fuerant perpetrata. Adeo iidem, qui paullo ante in licentiam popularem acerrime inuecti erant, nunc rerum potentes facinoribus ſuis et ſceleribus, belluinaque immanitate, ipſi teſtatum fecerunt, iuſta populi in eos odia fuiſſe, et iactatum libertatis nomen non niſi dominandi auiditatem occultaſſe *v*).

Tabulam hanc iniuriarum et calamitatum, ex hominum, qui in populari imperio in remp. adminiſtrandam inuolant, audacia, imperitia et ſcelere prouenientium, quisquis contemplatus fuerit, nae ille miſerabitur miſeram populorum conditionem, qui, etſi iuſtis forte de cauſſis, ad libertatem erecti, manus tradiderunt vinciendas hominibus ſceleſtis, qui ſub libertatis publicae nomine dominationem omni tyrannide grauiorem exercent; cumque illi errore ſuo poenas iam ſatis graues temeritatis luant, rectene cenſebimus in miſeros atrociſſima quaeuis ſtatui iudiciis noſtris? Verum manum de tabula, vt aiunt. Memorandum enim eſt, cuius cauſſa in ſcenam prodiimus perſona praeconis ad vos, Commilitones, ſumta; agentur craſtino die ſollennia *anniuerſaria* almae noſtrae Georgiae Auguſtae, quam per hunc quoque annuum curſum (at quot quantisque caſibus, rerum conuerſionibus, inexpectatis malis bonisque, et nunc felicioribus euentis exactum!) ſaluam et incolumem ſeruauit prouidum numen! Cui viri e collegio noſtro grauiſſimi hoc ipſo die ſollenni gratias

v) De demagogis et de oligarchia praeclare diſputauit Ariſtot. de rep. IV, 4. 5. 6. quem vtinam auſcultent noſtra aetate ii qui nouas res moueri tanta cum animi leuitate cupiunt!

Digitized by Google

gratias laudesque debitas perſoluent nouaque vota ſuſcipient magiſtratu alter deceſſurus, alter magiſtratum aditurus

AVGVSTVS GOTTLOB RICHTER D.

quos vt fauſtis verbis ominibusque proſequamini, pompae in templum academicum ducendae et orationibus habendis frequentes adſitis et linguis mentibusque faueatis, vos, Commilitones, pro ſacramenti, quo obſtricti eſtis, religione ac lege, beneuolentiae, officii, fidei, neceſſitudinis iure, rogatos monitosque eſſe volumus.

PP. in Georgia Auguſta Kal. Sept. cIↃIↃccxciii.

Digitized by Google

XXIV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

AVGVST. GOTTL. RICHTER D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM

IN

MAGISTRATV ACADEMICO

IO. GEORG. HENR. FEDER

CIVIBVS SVIS

HONORIS ET OFFICII CAVSA

COMMENDAT

IN A. D. KAL. MART. CIↃ IↃ CCXCIV.

Litterarum bonarum ſtudia, tanquam imperiis infeſta, perperam proſcripta.

Exacto inter res pacatas domi et tranquillas magiſtratu academico, quod Deus bene vertat, craſtinis ſollennibus, quibus vt frequentes adeſſe velitis, Ciues, hoc ipſo praeconio noſtro humaniſſime rogatos vos eſſe volumus, magiſtratus inſignia transferentur in Collegam coniunctiſſimum,

IO. GEORG. HENR. FEDER

quem et nunc bonis votis proſequimur, et ab eius amore veri rectique, ſtudioque veſtri et academiae, non

non minus quam a veſtra fide, religione et obſequio, expectamus ſpondemusque, ſaluum fore rei academicae etiam per hoc ſemeſtre ſtatum, et curſum noſtrum ad nullum ſeu tempeſtate ſeu veri errore ſcopulum eſſe adhaeſurum. Fient in ipſis ſollennibus cum pro rep. noſtra litteraria, tum pro patria hac, qua vtimur, communi, pro Rege, proque vniuerſa Europa bellis diſſidiisque miſere afflicta vota pia ac preces.

* * *

Cum boni ſit ac ſapientis viri, Commilitones, patriis legibus inſtitutisque obtemperare, temporibus mores ingenium ac ſermones ita accommodare, vt nec a veritate et honeſtate nec ab obſequio et modeſtia recedat, efferata aliorum ingenia et ſtudia moderatione ac prudentia lenire, neque *contumacia et inani iactatione libertatis* (vt Taciti verbis vti liceat) *famam fatumque prouocare;* tum vero illud etiam probi doctique hominis eſſe videtur, vt prauis opinionibus vulgi ſurdisque rumoribus, quibus animi multorum exacerbari ſolent, prouide ac caute occurrat, vt nec tamen increpando, irridendo, laceſſendo, aliorum mentes exulceret, verum vt, quid veri falſiue hominum iudiciis inſit, candide et moderate edoceat.

Inter opiniones has, multarum ac diuerſarum rerum notionibus confuſis, nuper temere ſuſceptas, et multorum paſſim ſermonibus agitatas, fuit et haec, quae nouarum in Gallis rerum malorumque publicorum cauſſas a litteris ingeniorumque per eas cultu auctuque repetiit. (Proluſum ei erat per Diuionenſem quaeſtionem et Rouſſauii ad eam re-

ſponſionem; inde per certamina ſuper Encyclopaedia orta, animoſe magis quam ſapienter et ex veris philoſophiae praeceptis agitata.) Cuius opinionis temeritas (condonanda illa quidem animis repentina malorum mole perterritis, vt tamen nec minus liberiori aliorum indignationi ignoſcendum ſit), ſatis nunc eleuata ac valide retuſa eſt virorum graviſſimorum diſputatione accurata. Reſtat alterum, quod inde ductum animis multorum inſidere dicitur, vt, cum litterae malorum publicorum cauſſae ac fomenta ſint, nos melius iis carituros fore pronuntietur. Quae iudicii praecipitis feſtinatio, cum, ipſa rei nouitate ac *paradoxo*, quod noſtri homines miſere amant, placeat, verendumque adeo ſit, ne prudentiorum quoque animos expugnare ea poſſit: non inutile forte erit, et ipſam rem et verba ac notiones egregie confuſas paullulum euoluere ac melius conſtituere. Expediet quoque, antequam conſilium nouum exſequantur ii, qui arbore exciſa nullos amplius inter frondes cornicum clamores aures infeſtaturos eſſe aiunt, perpendere ac perſpicere, vnde fructus, quibus fruuntur ipſi, exciſa arbore, porro petituri ſint. Nec tam longa hoc diſputatione perſequi praeſtat, quippe cui ingenia ſeu ſubtiliora ſeu obtuſiora ſemper habent quod iure iniuriaue reponant, quam hiſtoriarum memoria ac fide illuſtrare, qua hominum animi, inprimis multitudinis ingenia, multo facilius impulſa in alias partes trahi ſolent *a*).

Et

a) Si inter Romanos Graecosque ſimili de re diſputaretur, orationes ſuaſorias ac disſuaſorias habere liceret; nunc omnis

Digitized by Google

Et iam primum, viri docti prudentes ac moderati ſatis docuere, a bonarum litterarum doctrinarumque cultu ac doctrina nec profecta eſſe, nec proficiſci poſſe mala, quibus aetas noſtra laborat; niſi forte quatenus litterae aut non ſatis multum, aut aliis hominum rerumque vitiis non recte, excultae fuerunt; quo ſcilicet modo etiam per religiones et ſacra numinis que cultum diſſidia, turbae ac bella ſata et orta ſunt, vt tamen meliori doctrinae chriſtianae mala iſta imputanda non ſint nec quisquam facile paullo ſanior propter mala iſta omnes omnino religiones proſcribendas eſſe ſtatuat. Obvium porro eſt et intellectu facile, malorum, quae aetatem noſtram premunt, cauſſas ab aliis iisque permultis variisque hominum rerumque vitiis eſſe repetendas, a quibus ſane et ipſae litterae plerumque, vt alia in rep., colorem aliquem mutuantur; et habendam in his eſſe vel maxime hanc, *quod ii ipſi, qui de litteris conqueruntur, litteris bonis tam parum et male imbuti ſunt:* Nam, cum ipſi loco, genere, auctoritate alios antecellant, ſummisque reip. muneribus admoueantur, aut principum familiari conuictu vtantur, nec tamen, quo modo rebus recte vtantur, bona inſtitutione didicerint, nec, quid illud ſit,

 quod

omnis oratio ad diſſerendi vſum redit, philoſophorum more, idoneum ſatis ad notiones ſubtilius conſtituendas; verum omni vi ad animos impellendos voluntatesque expugnandas deſtitutum: adeo noſtris aetatibus, cum omnia ad philoſophicas rationes redierunt, vt ipſam philoſophiam regnare credas, exciderunt ea, quae perſuadere et permouere poterant, vt eius dictata ad vitae actum perducerentur. Praeſtat tamen haec inertia ſuaſione, quae inter Francos inualuit, per terrores et ſecurim pendulam.

quod vitae dignitatem, honorem, principatum, contineat, perceperint: partim exemplis ſuis luxum, arrogantiam, vanitatem, deſidiam, animi leuitatem in vitam inducunt, partim grauiſſimas reip. adminiſtrandae curas partesque inſcite et infauſte ſuſtinent, vtque hoc impune facere poſſint, bonos intelligentes que viros a rerum adminiſtratione arcere ſolent, bonam mentem priuatorum hominum liberalemque inſtitutionem odio habent tanquam ſibi infeſtam, plebem autem non tam meliora edoceri cupiunt quam, vt maioribus iniuriis adſueſcat, ad ſtuporem deprimi belluinum; manant itaque et ſerpunt mala ad inferiores ordines a ſuperioribus, non facile ab inferioribus ordinibus ad ſuperiores.

Quod ſi haec ita ſe habent, necdum fuit, qui aliter ſe haec habere docuerit, eliminatum iam eſt et euulſum mentibus aſſertum: litteras, tanquam infeſtas, imperiis noſtris eſſe expellendas, et litteris expulſis melius eſſe nos acturos. Verum cum iudicia iſta a perturbatis ira odioque animis profecta eſſent, non intellectum eſt, plura verbis illis pronuntiari, quam ipſa re aſſeuerentur. *Omnes* enim litteras, *omnemque* adeo liberalem doctrinam ac vitae diſciplinam e medio ſublatam nemo, niſi prorſus delirans, velle et in votis habere poteſt; etſi audimus inter Francos inſanientes eſſe qui eo vsque inſaniant, vt omnes bibliothecas crematas, omnem litterarum ſupellectilem et apparatum, omnes academias et collegia ſublata eſſe velint. Quae enim, extinctis artibus ſcientiisque, indeque obſcuratis per prauas religiones et, ignorato vitae ſocialis iure ac

more,

more, ad feritatem et barbariem detruſis animis, quae, inquam, vita videri poſſit eſſe tolerabilis! inprimis iis, qui, vitae non modo cultu ſed luxu ac mollitie corrupti, ab omni vitae victusque ſimplicitate abhorrentes, vix glandibus veſci et ſub dio agere volent. Verum quod illi, qui haec contendunt, velle videntur, hoc eſt, vt *certas litteras, certa doctrinarum genera* attingi nolint, quibus illi, vere ne an ſecus nunc non diſputare lubet, publica inſtituta adeoque tranquillitatem moueri ac turbari putant; interdum ne de ipſis quidem diſciplinis conqueruntur, verum *de eorum, qui in iis verſantur, libertate, imprudentia, aut maleuolentia:* daturque adeo ipſis litteris vitio, quod nonnullorum hominum culpa euenire dicendum erat.

Enimuero, ſi vel maxime hoc agi credamus, vt litterarum expulſio et fuga, tanquam malorum omnium remedium, publico ac communi decreto ſciſcatur: *omni* tamen *humana ope, arte ac potentia maior res* eſt, vt vno decreto litterae, quae ſemel inualuerunt, tanquam vno ictu arbor, exſcindantur. Nimis altas radices quaqua verſum illae egerunt. Premi forte et opprimi poſſint litterae aliquibus in terris, aliquo tempore, magna quidem cum calamitate eorum ipſorum, inter quos id fieret; dum interea aliis in locis eadem litterarum ſtudia tanto laetius effloreſcant, opumque publicarum priuatarumque incrementa afferant. Neque exputare licet aliud conſilium ad euertendas litteras, quam vt continuatis pertinaciter per aliquot ſaecula conſiliis, nouis inductis ſuperſtitionibus, bellisque multarum

aetatum perpetuis, luxu vltra omnem modum aucto; dominationis aut regiae aut popularis, qualis Francos ad extremam miſeriam adduxit, contagione per omnes terras iam propagata, et quidem per aliquot ſaeculorum decurſum, cauſſae eae ferantur, quibus, omnium terrarum vaſtitie ac ſolitudine, nouo aliquo ſeu per barbaros ſeu inter efferatos iam et barbaros populos condito imperio, omnis litterarum lux extinguatur. Hoc enim demum modo ac via bonas litteras aboleri poſſe, docent barbarorum, qui imperium Romanum euerterunt, docent Mogolorum ac Tatarorum, tum multo magis Arabum, incurſiones, qui, nouis ſuperſtitionibus armati, litteras iis infeſtas easque a multis inde ſaeculis tanquam tabe lenta conſumtas proſtrauerunt; etſi nec iidem omnes litteras ſuſtulerunt, ſed aliis ſepultis alias diſciplinas iterum in lucem eduxerunt. Multo autem latius noſtris aetatibus propagatum eſt litterarum imperium quam vnquam vlla hominum rerumque memoria fuit: ita vt, ſi antiqua tempora conferas cum noſtris, nullo modo comparari poſſit aut vulgata per plebem melior inſtitutio, aut legendi ſcribendique ars et peritia, aut librorum copia, eosque parandi facultas. Inſignem culturam in Graecia habuit vna vel altera ciuitas, ſparſus mox latius eſt Graeci ſermonis vſus, Graecae tamen diſciplinae ad paucos ingenuos peruenerunt; in Romano autem imperio idem, quod in aliis magnis imperiis fieri ſolet, euenit, vt pauci priuati, neglecti ſpretique, litteras ſuas colerent, publice autem litterae colerentur aliae nullae, praeter quam quae ad imperandi artes, ad fiſcum locupletandum, et ad potentum

faſtum

faſtum luxumque aliquam vtilitatem habere crederentur. Inter haec omnia grauiſſimum ac firmiſſimum litterarum praeſidium poſitum eſt vna in re: *Religionis noſtrae ſanctioris ea eſt indoles*, vt, *niſi ea prorſus euerſa, litterarum ſacra euerti et aboleri nequeant.* Quod ſi nullae aliae eſſent cauſſae, quibus ei dignitas ſua et auctoritas conſtaret, ad eam, tanquam numen almum, adorandam ſatis eſſet hoc, quod ei cum bonis litteris ſumma neceſſitudo intercedit, et, vt libri ſacri legi poſſint et intelligi, neceſſitas litterarum colendarum impoſita eſt. Quae ſi recte perſpexeris, ſacrilegii loco habendam eſſe dixeris ſapientiam eorum, qui ad meras rationis et intelligentiae enuntiationes (quas ne aſſequi quidem poteſt vulgus indoctum, interdum ne docti quidem) reuocare cupiant omnem doctrinam religioſam. Fac litteras multas ſtudiis coli hominum vrgeri que nullo cum magno ſiue ad eos ſiue ad litteras ſiue ad remp. fructu: attamen alitur per haec ſtudia ſenſus aliquis honosque bonarum litterarum, et excitantur ingenia excelſiora, quae alioqui nocte et inertia oppreſſa aeternum deliteſcerent.

Quod ſi hiſtorias exquirimus, quoties videri poteſt litterarum eiectio facta eſſe aut dicitur, nunquam id aut tentatum aut effectum videbimus *litteris florentibus;* redire pleraque aut ad conatus prohibendi litteras ac ſcientias aditu ad populos barbaros; aut fuiſſe illud habitum inter dominationis artes, effectu tamen caruiſſe; quemadmodum effectu caruit quod Iulianus Imp. chriſtianorum odio edixiſſe narratur, vt a ludis litterariis prohiberentur; aut odia

et iras factionum ſeu ciuilium ſeu litterariarum nouo hoc more eſſe graſſatas, vt litteras aut omnes aut partim ſublatas eſſe vellent, aut tollendas dicerent, quo partes aduerſae et ipſae ſublatae eſſent; quem fere ad modum Franci litteras factionum odio euertunt, compoſitis aliquando rebus confeſtim ad eas redituri. Barbarorum quidem olim contumacia litteris peregrinis obnitentium excuſationem habebat, quoniam cum religionum patriarum inſtitutorumque euerſione nouatas res coniunctas eſſe videbant; neque mirum aut Scythas, vt hoc exemplo vtamur, Graecis litteris imbutum Anacharſin et ritus Graecos ab eo allatos, aut barbaros terras boreales inhabitantes litteras Romanas cum religionibus chriſtianis admittere noluiſſe, aut Romanos, quod ſtatim videbimus, litteras Graecas aliquando vrbe abeſſe maluiſſe.

Romae, cum litterae ab initio eſſent nullae, Etruſca autem diſciplina variis ſuperſtitionibus animos imbuiſſet, (nam a ſuperſtitione omnes vbique litterae ſunt progreſſae, ipſae mox ad eam, ſi non euertendam, labefactandam tamen, ſolae ſatis efficaces) litteras Graecas ſero ac paullo difficilius admiſſas eſſe ſatis conſtat. Extat etiam vetus SCtum: "*Caio Fannio Strabone, Marco Valerio Meſſalla, Conſulibus b*).

Marcus

b) a. V. C. 593. Antiquius eſt, ſed nimis ſupine memoratum apud Athen. XII. p. 547 A. *Alcaeum et Philiſcum, Epicureos, quod voluptatum patrocinium egerant, vrbe excedere iuſſos L. Poſtumio* Coſ. qui alius eſſe nequit quam L. Poſtumius Albinus Coſ. V. C. 580. v. Periz. ad Aelian. V. H. IX, 12. Minus bene vulgo hoc ita narratur, quaſi omnes Epicurei vrbe pulſi fuerint; quod ex Suida ductum in Ἐπίκουρος.

Digitized by Google

Marcus Pomponius Praetor Senatum conſuluit. Quod verba facta ſunt c) de philoſophis et de rhetoribus, de ea re ita cenſuerunt; Vti Marcus Pomponius Praetor animaduerteret curaretque, uti ei e republica fideque ſua uideretur, uti Romae ne eſſent d)." Quae vt recte teneantur, de temporum rationibus eſt monendum. Resp. Romana a prima inde origine armis creuerat; non enim animaduerterant Etruſci, rerum potens populus, *nouam ciuitatem, ſtudiis libertatis ſemel accenſis, non bene bello tentari*, quin potius inter arma, vires ac robur eam ſumere; ſatius fore ſi otio et pacis longae delinimentis, luxurie et mollitie, ea frangatur. Cum alia aliis bellis ſuccederent, factum eſt, vt resp. victoriis, caedibus et rapinis, ita eſſet ſuperſtructa, vt, ſi pace et otio vti vellet, certus interitus ei eſſet paratus. Quae eadem miſera et generi humano exitialis fortuna eſt imperiorum, quae opes magnas armis partas magnis exercitibus alendis tueri coguntur. Stabat autem resp. Romana diſciplina antiqua, qua corpora animique durarentur: quandoquidem ciuibus labores militares erant tolerandi, et per eos, in ſumma vitae tenuitate et egeſtate viuentes, finibus reip. prorogatis opes publicae augendae, quibus patres et resp. maieſtatem et dignitatem ſuam tuerentur. Altera ex parte religionibus, inprimis auguriorum et auſpiciorum, omne erga leges et patres obſequium continebatur. Intelli-

c) *h. e. cum verba facta eſſent* — cenſuerunt ſc. *patres.*

d) ap. Sveton. de cl. Rhet. c. I. et Gell. N. A. XV, 11. vbi in verbis: *SCtum de philoſophis et de rhetoribus* Latinis *factum eſt:* eiiciendum eſt *Latinis*, inſertum ex altero edicto Cenſorio mox memorando.

telligebatur ergo, religionibus maiorum ſublatis et animis ad litterarum ſtudia auocatis remp. ſtare non poſſe. Quod *prudentia et aequitas* ſuadere poterat, *vt reſp. emendaretur*, et ad temporum rationes ac conſilia attemperaretur, haud expectare licebat, cum potentum opes cum opibus reip. fuiſſent imminuendae; cumque ad eam magnitudinem Roma euecta eſſet, vt, niſi armis ſubnixa, mole ſua rueret; armis alii in ditione ac ſeruitute eſſent retinendi, alii, iniquitate imperantium et ſuperbia offenſi, aut coercendi, aut et ipſi ſub iugum mittendi; pacis itaque artibus litterarumque ſtudiis, quibus et animorum aſperitas et religionum metus vetusque diſciplina tolleretur, ne aſſueſcerent animi, diligenter erat cauendum. Iam autem iſto tempore Macedonia in prouinciam redacta (V. C. 587.) et Epiri LXX vrbibus, quas ſine praeſidiis idoneis ſe tenere non poſſe videbant, vno die direptis et ſolo aequatis, magnus Graecorum ad egeſtatem redactorum numerus confluxerat Romam: qui cum artibus litterisque eſſent exculti, generoſiores multorum inter Romanos animos facile ſibi deuinxerunt; itaque principes priuatim alebant Graecos habebantque modo hoſpites, modo liberis erudiendis praeficiebant *e*), incenſis mox animis ipſi graeca legebant, etiam

e) Sic in praeclaris illis ſermonibus inter Polybium et Scipionem adoleſcentem habitis (Polyb. fragm. lib. XXXII, 12. ad a. 594) quibus hic ab illo contendebat, vt ſui aſſiduam curam haberet, Polybius *ſua*, ait, *opera eum non indigere; non enim ei deeſſe magiſtrorum copiam; video enim adeſſe magnam hominum copiam e Graecia hoc tempore Romam confluentium* πολὺ γὰρ δή τι φῦλον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπιῤῥέον ὁρῶ κατὰ τὸ παρὸν τῶν τοιούτων ἀνθρώπων.

etiam graece ſcribebant aut e graecis latina faciebant. Inter haec SCtum illud factum eſt, quo malo illi, quod prouidebant ſagaciores, occurrere voluere. Sumus autem ſatis ſagaces plerumque omnes, quoties vtilitas publica cum vtilitatibus priuatis coniuncta eſt; quod tamen mireris, ad auertenda mala, quae imminent, plerumque violentiſſima quaeque conſilia amplectimur, quibus ipſa mala maturantur. Placuit itaque *proſcribere* Graecos et Roma eiicere; litterasque cum his vrbe proſcribere. *Sed vetuere patres, quod non potuere vetare!* multoque minus conſequuti ſunt id, quod voluerant, quia iidem nec in animum induxere, alia ratione ac via ſibi prouidendum eſſe, vt Graeci, qui bonis fortunisque ſuis inter bellicas calamitates exciderant, extra Romam haberent, vnde viuerent. Fortunam ſimilem noſtra aetate miſerrimorum hominum vidimus. Itaque ſine effectu et tum et multo magis poſtea fuit SCtum; per Italiam diſperſi Graeci, non minus quam Romae, non modo potentum, verum etiam aliorum, qui paullo liberaliores erant, domibus recepti inſtitutionem iuuentutis Romanae moderati ſunt; principes autem ciuitatis, et in his P. Scipio Africanus, C. Laelius, L. Furius, *quibus non tulit ciuitas aut gloria clariores aut auctoritate grauiores, aut humanitate politiores*, ſecum eruditiſſimos homines ex Graecia palam ſemper habuerunt (Cic. de Or. II, 37).

f) Itaque ſexto inde anno (V. C. 599.), cum legatio Athenienſium Romam veniſſet, impetratum, vt

f) Loc. cl. eſt ap. Plutarch. in Cat. maj. pag. 349. 350. Memorauerat de hac legatione Polybius (haud dubie lib.

vt iis multa Iↄ talentum propter Oropum vaſtatam impoſita remitteretur (Gell. VII, 14. et ex eo Macrob. I, 5. Pauſan. VII, 11.), eſſentque in ea tres nobiliſſimi eius aetatis philoſophi, Diogenes Stoicus, Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus, principibus ciuitatis illi adeo fuerunt grati, vt et ipſi frequenter eos audirent (Cic. de Or. II, 37. Tuſc. Qu. IV, 3.) et ad eos audiendos iuuentus Romana conflueret, magnoque hominum conuentu Carneades inprimis diſſereret. Venit tandem in Senatum Cato iam ſenex multis que egit, vt dimitterentur quam primum legati; quin et cenſuit omnes philoſophos ab vrbe ablegandos. Putes hominem noſtra aetate vixiſſe; nam in philoſophiam ille omnem et Graecam litteraturam inuehi ſolitus, Socratem aiebat hominem fuiſſe loquacem et omnibus modis vt occuparet tyrannidem anniſum, inſtituta reip. euertentem et ciues ad contrarias legibus opiniones adducentem; filium vero vt a litteris Graecis abſtraheret, praeſagire ſe aiebat, diſciplinis graecis infartos Romanos remp. perdituros eſſe. Nec tamen haec Catonis acerbitas iuuentutem Romanam deterruit, quominus alium virum doctum, ab Attalo ad Senatum miſſum, diſſerentem cupide audi-

lib. XXXIII.) vt intelligitur e Gellio VII, 14. Quam parum prudenter et ex philoſophi dignitate Carneades pro iuſtitia et altero die contra eam diſputauerit, notum eſt (vel ex Quinctil. XII, 35.). Diderotum aliquem vel Alembertum ſophiſmatibus ſe iactantem audire putes. Fortaſſe tamen ille primo die de iuſtitia, qualis illa vere eſſet, altero, quid imperia et reſpublicae pro iuſto haberent, egerat; adeo non ſuo ille vitio, ſed ſcriptorum imperitia, iniquiore fama laborat.

audirent *g*). Erat is *Crates Mallotes, Ariſtarchi diſcipulus, qui plurimas acroaſes fecit, aſſidueque diſſeruit ac Romanis exemplo fuit ad imitandum* (Sueton. de ill. Grammat. 2.). Scilicet is legendo ac commentando graeca ſenſum iudiciumque audientium acuebat.

Annis LXIX. poſt iſtud SCtum ſub ipſa belli ſocialis exordia, Cnaeum Domitium Ahenobarbum et L. Licinium Craſſum Cenſores (VC. 662.) edixiſſe legimus: "*Renuntiatum eſt nobis, eſſe homines, qui nouum genus diſciplinae inſtituerunt: ad quos iuuentus in ludum conueniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos Rhetoras; ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Maiores noſtri, quae liberos ſuos diſcere et quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Haec noua, quae praeter conſuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur. Qua propter et iis, qui eos ludos habent, et iis qui eo venire conſuerunt, videtur faciendum, vt oſtendamus noſtram ſententiam, nobis non placere h*)." Expectandum ſcilicet erat, vt a Graecis litteris

g) Temporis notam aliam habemus nullam quam eod. loco Suetonii: *miſſus ad Senatum ab Attalo rege inter ſecundum ac tertium Punicum bellum, ſub ipſam Ennii mortem.* Hunc ſatis conſtat vltimum diem obiiſſe Q. Marcio Cn. Seruilio Coſſ. V. C. 585. a. C. 169. Atqui, quod interpretes Suetonii non notarunt, eo tempore *Eumenes II.* regnum tenebat; cui Attalus II. non ſucceſſit niſi a. V. C. 595. vel 596. ante C. N. 159. vel 158. peccauit itaque Suetonius in temporum rationibus.

h) Sueton. de rhet. pr. Gell. XV, 11. L. Craſſus, alter cenſorum, idem fuit, quem de re oratoria tam praeclare diſputantem altero ab hinc anno induxit Cicero in libb. de oratore. Mirari adeo poſſis virum eloquentem eum in modum edixiſſe, vt rhetorum Latinorum ſcholas tollendas eſſe cenſeret. Conueniret forte hoc colle-

teris ad Romanas procederent ingenia, vt que latine traderentur ea quae olim graece doceri vetita erant. Habitae adeo ſcholae Latinorum Rhetorum: quas cum non minus reip. conſilia veteremque diſciplinam tollere viderent, viri grauiſſimi omnem hanc inſtitutionem abolendam eſſe iudicarunt.

Paullatim, inquit Suetonius, *et ipſa rhetorica vtilis honeſtaque apparuit, multique eam praeſidii cauſſa et gloriae appetiuerunt:* euenitque adeo, quod noſtra aetate euenturum foret, edicto de litterarum ſtudiis tollendis propoſito, *vt tanto ardentius litterarum ſtudia appeterentur*. Videmus itaque Romanos docuiſſe exemplo ſuo, *litteras humanitatis*, vbi ſemel ingenia imbuerint et ad liberaliora ſtudia erexerint, *nec edictis nec exiliis compeſci aut extingui i*). Quid? quod ne

collegae, Domitio, homini duro ac ſuperbo, priſcique moris tenaci. Verum rem accuratius cognoſcimus ex ipſo Craſſo apud Cic. de Or. III, 24. Tantum non omnis rhetorica praeceptio iam tum ad verborum eligendorum et collocandorum et concludendorum rationem abierat, linguaeque exercitatio doctrinam et humanitatem ſcientia dignam excludebat: eius rei cum magiſtri etiam Latini extitiſſent, a quibus hoc vnum traderetur, cum que impudentiae ludus, non eloquentiae, eſſet, putauit Craſſus, cenſoris eſſe, ne longius id ſerperet, prouidere. Nihil tamen edictum cenſorium ad audaciam hominum retundendam valuit; manſere ſcholae rhetorum, quas inter corruptae eloquentiae cauſſas refert auctor Dialogi c. 35. cum reſpectu ad hoc ipſum Edictum. In quibus ibi diſputatis multa videre licet a noſtrorum ſtudiorum ratione haud abludentia.

i) Scilicet vt inter mortis genera referri legimus apud Plinium, *per ſapientiam mori* nonnullos, ita gloriae genus eſt, *ambitioſa miſeria*, aut etiam *morte*, inclareſcere.

ne inter bella quidem ciuilia, quae tum ſubſequuta ſunt, exſcindi potuere, quin rebus pacatis tanto laetius efflореſcerent. Grauioribus, dices, ſuperſtitionum compedibus animi erant tenendi; immittendi haruſpices, ſacrificuli, vates. Recte quidem. Enimuero priſcarum religionum metus iam adeo diſpulſus erat, vt ne ipſa quidem Loyolae cohors immiſſa nouas tenebras, nouos terrores, offundere animis potuiſſet.

Interea admiſſis in ciuitatem litteris graecis inciderunt tempora luctuoſa, quibus libertas, et ipſa resp., primo factionibus potentum labefactata, tandem bellis ciuilibus proſtrata iacuit. Non conſtat an fuerint ea aetate, qui ſibi aliisue perſuaderent, eſſe litteris graecis hoc tribuendum, quod ab opibus, luxurie et faſtu paucorum potentum in republica, quae ſua iam mole ruebat, repetendum erat. Imperium tandem Auguſtus ſolus tenuit, qui ad firmandas ſtabiliendasque ſuae potentiae vires iisdem litteris et artibus, quas maiores libertati infeſtas edixerant, vtendum ſibi eſſe vidit. Nota res eſt, habitum hoc eſſe inter artes dominationis, vt Romanorum animos ad litterarum et artium ſtudia alliceret: non tam eo conſilio, vt ad rerum veritatem percipiendam illi adducerentur, verum vt aliis curis ac ſtudiis diſtricti, voluptatibus, ludis ac nugis deliniti, de rep. ſolliciti eſſe dediſcerent. Quis crederet, aliis aetatibus in hominum animos venire potuiſſe, imperiis et dominationibus has ipſas litteras eſſe infeſtas! et, quod dominationis praeſidium egregium fuit habitum, inter libertatis moleſtae praeſidia referri! Tanta eſt iudiciorum inconſtantia metien-

metientium res non ex vera naturae menſura et modulo, verum ex obiecta oculis per nubem aut caliginem temporum et opinionum ſpecie.

Videmus inde Roma aliquoties excedere iuſſos mathematicos: quos ſatis conſtat eſſe nullos alios quam aſtrologos, genethliacos et Chaldaeos. Grauius eſt, quod Domitianus edictum propoſuit *k*), *quo philoſophos omnes Roma Italiaque ſubmouit*: (Sueton. 10.) *l*). Hoc tandem habent exemplum ſibi propoſitum, qui litterarum extinctione imperiorum aeternitati conſulere, quique nos *tacitos, et iam rationis egenos, glandibus et purae rurſus procumbere glebae m*) volunt. Videamus quid hominem ad inſanum conſilium impulerit, quemque fructum inde aut ipſe aut imperium abſtulerit. Erat Domitiani ingenium, ſaeuum ac truculentum, in ſumma arrogantia et vanitate mire

k) Ad a. C. 95. quo cenſuram egit imperator, res refertur ap. Dionem LXVII, 13. Ad q. l. cf. Fabric. Apponitur ibi *iterum* αὖθις. Etiam in Chron. Euſeb. ap. Syncell. et Hieronym. δεύτερον apponitur ad a. 97. ſiue quod iam ante a. 91. (al. 89.) *mathematicos* (et *philoſophos* addit Euſeb.) expulerat, ſiue quod ad Veſpaſiani edictum reſpicitur.

l) Mirum videri poteſt, Domitiani hoc edictum tam memorabile viſum eſſe, taceri contra ſimile factum *Veſpaſiani;* qui Heluidii Priſci, ſocerum Thraſeam dicendi libertate aemulantis, et imperatorem contumeliis inſectantis, impudentia exacerbatus, tandem Muciano ſuadente, *philoſophos praeter Muſonium omnes Roma expulit*, Drmetrium vero et Hoſtilium in inſulas relegauit. Haec Dio tradit LXVI, 13. Suetonio non memorata. Verum ipſa res ibi narrata ſatis docet, ad Cynicos tantum et Stoicos, maledicentiam et oris intemperantiam libertatem philoſopho dignam interpretantes, edictum hoc ſpectaſſe.

m) Sulpiciae Sat. v. 15.

Digitized by Google

mire ſuſpicioſum ac meticuloſum; tacita flagitiorum conſcientia tacitum omnium bonorum opprobrium ominatus, *inſenſus virtutibus princeps*, vt Taciti voce vtamur, integerrimum quemque et honeſtiſſimum auerſatus, idem laudis ac famae aliorum, etiam litterariae, anxius, ſuae auidiſſimus, immiſſis delatoribus cum alios viros clariſſimos e medio ſuſtulit, tum Heluidium Priſcum, in Senatu accuſatum, *et ipſa Senatorum manu in carcerem ductum* (Tac. Agric. 45), *Senecionem Herennium, quod de vita Heluidii libros compoſuiſſet* (Plin. VII, ep. 19), libris cremari iuſſis (ita *in libros quoque ſaeuitum* Tac. Agric. 2.); Iunium Ruſticum, *quod Paeti Thraſeae et Heluidii Priſci laudes edidiſſet, appellaſſet que eos ſanctiſſimos viros n); cuius criminis occaſione, philoſophos omnes,* vt diximus, *vrbe Italiaque ſubmouit o*). Ita vno putauit edicto omnem philo-

n) Idem Hermogenem Tarſenſem propter *quasdam in hiſtoria figuras* (h. e. quod in ea eſſent quae oblique in ſe dicta accipiebat princeps), occidit, *librariis etiam, qui eam deſcripſerant, cruci fixis.* (En *Cenſurae librariae* exemplum!) Atrociſſime porro *Metium Pompoſianum* interfecit, *quod depictum orbem terrae in membrana, concionesque regum ac ducum ex T. Liuio circumferret, quodque ſeruis nomina Magonis et Annibalis indidiſſet:* Sueton. ibid. Dio LXVII, 12. Haec cum audias, putes te in ipſis Pariſiis hoc tempore verſari; pro vno Domitianos eſſe aliquot centenos. Spes tamen manet, locum habiturum aliquando eſſe, quod pro ſolatio Muſa Sulpiciae: *Pone metus aequos, cultrix mea, ſumma tyranno Haec inſtant odia; et noſtro periturus honore eſt.* h. e. Nouiſſimum acceſſit odium hoc tyranno, ex Muſis fugatis; hinc interitus ipſi ingruet, adeoque in Muſarum honorem hoc ipſum cedet, quod tolletur e medio tyrannus, ſimulque ſaeculum vindicabitur a barbariei infamia.

o) Sueton. l. c. Dio LXVII, 13. Fugati philoſophi non modo Roma, qua abeſſe iuſſi fuerant, nec Italia modo ex-

philoſophiam ſe exciſurum eſſe. Diſcrimen tamen vitae *non a philoſophis*, ſed a domeſticis, a libertis, et ab ipſa vxore Domitia ipſi imminebat. Neque edictum vim habuit; philoſophi mox reuocati non modo vrbem tenuerunt, verum etiam Neruam, Traianum, Adrianum, Antoninosque, alterius etiam nomine ab iis ducto, alumnos et nutritores habuere.

Enimuero longe aliis viis ac rationibus effectum eſt tandem, vt bonae litterae artesque extinguerentur. Scilicet *dominationis impotentia, adulatorum fraudibus, potentum faſtu ac luxu, vexationibus populi ac prouinciarum, exercitibus numeroſis alendis, agrorum vaſtitate, vrbium infrequentia*, excidium paratum eſt *vnum idemque et imperio Romano, et faſtui ac luxui, et litteris omnique humanitati; multorum tamen ſaeculorum calamitatibus miſeriisque*, quibus ipſi potentes ac diuites attriti tandem *barbaris ipſi ſeruire* ſunt coacti.

Vidimus *Roma* libera Graecos viros litteratos, vidimus eadem ſub tyranni grauiſſimi iugo gemente philoſophos eiectos; at quis expectet, nec minus *in Graecia* et in ipſis *Athenis*, litterarum arce et propugnaculo, paria eueniſſe! tam diuerſa hominum ſunt iudicia, quoties ea ab ſtudiis et iris et odiis proficiſcuntur. Vt taceamus legem a Critia, qui vnus

ceſſerunt; verum, (tanta philoſophis vitae protrahendae cupiditas fuit) in extremas multi terras Galliae, Libyae, Scythiae abierunt: v. Philoſtr. Apoll. VII, 4. quo in loco multa de hac philoſophorum proſcriptione lectu digna reperire licet, etiam lib. V. Dio Chryſoſtomus inter Getas latuit ſeruili habitu, vnum Platonis libellum (Phaedonem) et vnam Demoſthenis orationem (de falſa legatione) ſecum habens. Id. de Vit. Sophiſt. I, 7. Epictetus Nicopolin diſceſſerat: Gell. XV, 11. extr.

vnus e XXX tyrannis erat, ſcriptam, *ne quis philoſophiam doceret;* ſublata enim lex vna cum tyrannis altero ſtatim anno Ol. XCIV, 2. ante C. N., 403. et Xenophon, e quo haec tenemus *p*), addit, *Socratis odio et inuidia incenſum Critiam legem communiter et vniuerſe ſcripſiſſe*, cum priuam in Socratem legem quomodo ſcriberet non haberet. Omnino XXX tyrannorum hiſtoria magnam ex iis, quae noſtra aetate facta audimus, lucem foeneratur. At in ipſa libertate lex lata eſſe fertur Athenis auctore Sophocle Amphiclidae: *qua omnes philoſophi Athenis eiecti* ſunt. Ita fere res narrari ſolet. Si tamen accuratius anquiſiueris, hominis priuati, qui temporum opportunitates captauerat, odio et calumnia id factum intelliges. Euenit id Ol. CXVIII, 3. ante C. N. 306. paullo poſt eiectum Demetrium Phalereum et reſtitutum a Demetrio Poliorceta popularem ſtatum, cuius ficto ſimulacro et opinione Athenas in poteſtatem redegerat. Exarſerunt nunc factionum odia, mutuae ciuium accuſationes et calumniationes *q*). Inter haec homo legem tulit, quam memorauimus; erat ille rhetor; capitalia autem odia erant inter rhetores et philoſophos. Recitat legem Pollux ſic, vt *omnino nulli Sophiſtae*, h. philoſopho, *licere ſcholas habere r*) dicat; nec aliter Athe-

p) Xenoph. Mem. Socr. I, 2, 31. *λόγων τέχνην μὴ διδάσκειν artem differendi;* quae ea ſit, ſtatim ſequitur: *τὸ κοινῇ τοῖς φιλοσόφοις ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐπιτιμώμενον ἐπιφέρων αὐτῷ.*

q) v. Dionyſ. Halic. de Dinarcho iudicium Vol. V. Reisk. p. 634. 636.

r) Pollux IX, 5. ſ. 42. ſuper voce *διατριβή. ἔστι δὲ καὶ νόμος Ἀττικὸς κατὰ τῶν φιλοσοφούντων γραφεὶς, ὃν*

 Σοφο-

Athenaeus aliique. At minus negligenter legis verba appoſuit Diogenes Laertius *s*): *vti ne quis philoſophorum praeeſſet ſcholae, niſi Senatus Populusque ita decreviſſet; qui ſecus faceret, vt capitale eſſet.* Exceſſerunt tamen vrbe philoſophi, qui bene intelligerent, quo conſilio illa lex lata eſſet, inque his Theophraſtus. Abrogata lex ſtatim anno ſequente, cum Sophocles die a Philone dicta quinque talentis multatus eſt *t*).

Fuerunt haec tempora Graeciae luctuoſiſſima, cum reges in Alexandri hereditatem inuolantes factionibus fouendis, et modo optimatum modo plebis partibus, pro vtilitate ſua, tuendis ciuitates Graeciae tumultu ac ſeditione miſcerent. Nec potuere ab his turbis intacti eſſe et immunes philoſophi. Verum interiere horum temporum monumenta tantum non omnia, vt adeo nihil diſerti ac certi de his euentis teneamus. Obiter apud Athenaeum

Σοφοκλῆς Ἀμφικλείδου Σουνιεὺς εἶπεν. ἐν ᾧ τινα κατὰ αὐτῶν προειπὼν (ſuit adeo prooemium legis, in quo in philoſophos inuectus eſt) ἐπήγαγε· μὴ ἐξεῖναι μηδενὶ τῶν Σοφιστῶν διατριβὴν κατασκευάσασθαι. Athen. XIII, 9. p. 610 E. Loca iam ſunt laudata ap. Petit. de LL. Att. III, 8, 4. et Jonſ. de ſcript. hiſt. philoſ. I, 17. pag. 94.

s) Diog. Laert. V, 38. μηδένα τῶν Φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ· εἰ δὲ μή, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.

t) Diog. ibid. Athen. l. c. qui addit pro Sophocle dixiſſe Democharem, Demoſthenis conſobrinum. Idem paullo ante (D. E.) in eam rem locum laudat ex Alexide Comico ἐν Ἱππεῖ (non ἐν Ἵππῳ). Ceterum ex iſta Democharis oratione, quod acute iam Jonſius pag. 96 ſuſpicatus eſt, multae fluxiſſe videntur philoſophorum criminationes, quae paſſim repetuntur: in his numerare licet ea ipſa, quae ap. Diog. Laert. et Athenaeum paſſim memorantur.

naeum memoratum legimus, ſed ex perſona hominis in omnes litteras et philoſophos dicaciter inuecti, Lyſimachum regem philoſophos ex ſuo regno per praeconem excedere iuſſiſſe *u*). Extat quoque apud Athenaeum epiſtola regis Antiochi ad Phaniam, qua vrbe et agro omnes philoſophi exulare iubentur; at ſcriptoris tam ſupina eſt ſocordia, vt nec, ad quem Antiochum aut ad quem Phaniam haec referenda ſint, aſſequi liceat *v*). Expulſiones a ſingulis ciuitatibus Graeciae et exilia philoſophorum memorantur plura *w*): ſed haec ad id argumentum, in quo verſamur, non ſpectant; referenda enim ſunt modo ad factiones et turbas ciuitatum, modo ad

u) Apud Athen. XIII. pag. 610 D. *οὓς — Λυσίμαχος ἐξεκήρυξε τῆς ἰδίας βασιλείας ἀπελαύνων, ὡς ὁ* Καρύστιος (Antigonus puta) *φησιν ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν.*

v) Athen. XII. pag. 547. A. B. Litterae inſcriptae ſunt: Βασιλεὺς Ἀντίοχος Φανίᾳ. Ex ipſis litteris colligas, fuiſſe hunc praefectum alicuius vrbis cum tractu; philoſophos omnibus locis exire iubet, adoleſcentes autem, qui cum iis verſantes deprehenſi fuerint, *ſuſpendi* (χρεμήσονται), patres autem grauiſſimi criminis reos habendos eſſe. Cum nulla aliunde lux peti poſſit, idoneum iudicium fieri nequit.

w) Ita Epicurei dicuntur exulare iuſſi eſſe a Meſſeniis decreto: Athen. XII, 12. p. 547 A. ex eo Aelian. V. H. IX, 12. ad quem v. laudd. A Thebanis, Spartiatis, Argiuis, idem factum auctore narratur haud ſatis graui Tertulliano Apologet. v. Jonſ. l. I. et Fabric. ad Sextum pag. 294. et ante eos Biſciola Horar. ſubſeciv. III, 7. plumbei ingenii ſed ferreorum lumborum compilator. Vnum eſt, quod aliquantum ſpecioſum videri poſſit, *Lacedaemoniorum*, qui et rhetores et philoſophos a ciuitate ſua arcere maluerunt (Athen. XIII. p. 611 A. ex Chamaeleonte): ſpectat tamen id ad *Spartanae reip. legem et inſtitutionem.*

Digitized by Google

ſectarum odia et iras *x*); neque ad litteras ipſas earumque aut odium aut contemtum.

Supereſt exemplum, quod omnes omnino litterae *Alexandria*, quo tempore litterarum ea et artium parens et altrix habita eſt et fuit, fugatae eſſe dicuntur, *Ptolemaei* quidem *Phyſconis* (Euergeten adulantium grex, Aegyptii Cacergeten appellarunt) crudelitate, litterarum ſtudiis cum maxime florentibus. Nomen quidem hominis propudioſi ab imitatione exempli et auctoritate facile retrahat. Cum enim nihil corruptius fuerit Ptolemaeis regibus, e quorum numero (fuerunt omnino quindecim) non niſi tres nomine et loco dignos Aegyptus vidit (Strabo XVII. p. A146. A.), ceteri omnes inertia, luxurie, mollitie, ſaeuitia, belluis ſimiliores, qui eunuchis, amicis et mulierculis regnum permitterent omni per duo fere ſaecula vexationum genere conculcandum: vnus tamen fuit, qui ceteros vitae ingeniique foeditate, belluina vecordia et ſaeuitia ſuperaret, Phyſcon. Succeſſerat ille fratri Philometori, non malae indolis, ſed ab eunuchis male inſtituto, quem ille adhuc viuentem regno exuerat, inſidiis armisque agitauerat, Romanorum opibus ſubnixus, qui dominandi cupiditate ad omne iniuſtitiae genus abrepti (nos nunc *politicam ſagacitatem* appellamus) ſeditiones et turbas Aegypti fouebant deterioremque e fratribus regnare malebant. Teterrimam enim hanc et omnium artium inertiſſimam ſtrenue exercuere Romani, iam tunc a priſca probitate ad malas regnantium artes prolapſi. *Phyſcon* ergo

x) Recte hactenus de his diſputat Sextus adv. Math. II, 25. p. 294.

Digitized by Google

ergo vbi rerum potitus eſt, (ſub ante C. 134.) *omnes litteras litteratosque regno expuliſſe* fertur: quae quidem res grauiſſimarum rerum euentus adduxit. Cum enim Alexandria artium litterarumque, aeque ac commerciorum, copiis eximie tunc floreret: diſperſis per Aſiam et inſulas exulibus artium et litterarum ſtudia vbique reuixerunt, quae continuis inter reges de Alexandri hereditate bellis extincta aut obſcurata fuerant. Facta ſic nauigationis, commerciorum, artium incrementa multis in terris; et cum litteris Alexandrinis philoſophia, orientis iam tum litteris, Iudaica maxime diſciplina, Platonicae aemula, imbuta, latius diffuſa proluſit et viam patefecit mox doctrinae chriſtianae. Dicti itaque, paullo forte ambitioſius, Alexandrini erudiiſſe omnes Graecos et barbaros, cum litterae ac diſciplinae iam defeciſſent; factaque eſſe per eos litterarum inſtauratio *y*). Adeo ex deterrimo regni Alexandrini ſtatu vtilitates, fructus quoque litterarii, manarunt ad omnem terrarum orbem. Vtinam vergentibus noſtra aetate ad barbariem rebus in populo quondam florentiſſimo ſimilia aliquando ſperare liceat!

Admota tamen iudicii ſubtilioris face neque nunc vere dici artes a Phyſcone fugatas apparebit. Non tam *litteris* ille dicendus erat et artibus, quod nemo non prorſus inſaniens fecerit, ſed *hominibus*, qui flagitiis et nefandis libidinibus, quibus ſe contaminabat, velificari nollent, exitium ſtruxiſſe. Scelerum enim et facinorum conſcientia, odio in bonos

y) ἀνανέωσις παιδείας ἁπάσης. v. locum ex Menecle Barcaeo et Androne Alexandrino in Chronicis, ap. Athen. IV. p. 184 B. cf. Opuſc. acad. Vol. I. p. 87.

omnes incenſus, ſuſpectos maxime habebat eos, qui in ſeditionibus, quas ipſe in fratrem excitauerat, meliores partes ſequuti erant, aut cum fratre vixerant (Athen. l. c.). Superiores reges, exemplo peſſimo et pernicioſiſſimo, vt populum ad ignauiam et inertiam detruderent, inertemque et inermem oppreſſum tenerent, in terris exteris copias conſcribere et mercenarias copias alere, inſtituerant. His veſtigiis propudium illud inſiſtens paratam Aegyptiis opibus externorum colluuiem proſcriptionibus et latrociniis paſcebat; his itaque ſatellitibus iſte in Alexandrinos immiſſis modo caedibus promiſcuis graſſari (Strabo XVII. p. 1148. C. e Polybio) modo per odium ac ludibrium latrociniis quos vellent expilare, occidere, vexare permiſit (Iuſtin. XXXVIII, 8, 5.). Maluere itaque optimus quisque et opulentiores vrbem relinquere et patria exulare (Athen. l. c. Iuſtin. l. c.). Cum que hi, *vt ſuccurrerent inopiae ſuae, artes litterasque, quas didicerant, docere permitterentur* (feliciores in hoc exulibus noſtrae aetatis, quibus *cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis*) *factum eſt, vt vrbes inſulaeque repletae eſſent grammaticis, philoſophis, geometris, muſicis, pictoribus, puerorum magiſtris, medicis et aliis multis artificibus; multique praeclari viri hac inſtitutione expoliti exiſterent* (Athen. l. c. C.). Adeo miniſtros et amicos regis, priuatis ſtudiis occaecatos, (aeque ac Ludouici XIV. tempore factum eſt, cum ex famoſo edicto ſollertiſſimi et maxime induſtrii ciues regno expellerentur) fugerat cogitatio detrimenti, quod Aegypti commerciis inferebatur. Comperta mox Alexandriae, artium rerumque commerciis antea florentis abun-

dantis-

dantisque, ſolitudine; videbat enim non niſi *tunicatum popellum, panniosum et excalceatum z*), per vias incedere; Phyſco exteros vndique magnis praemiis inuitauit, vt Alexandriam confluerent; ita vrbs noua hominum colluuie eſt frequentata. Mirabimur ne, ſi haec legimus, aut *Naturae*, optimae omnium parenti, imputabimus, Alexandrinorum ingenia ſtudiis conſiliisque diſſona, ſeditioſa, et luxu, vanitate et ſcurrili leuitate fuiſſe notabilia; omninoque Aegyptios homines fuiſſe imbelles, vafros, veteratores?

Ex adhuc diſputatis clarum ac certum eſſe putamus, in nullo vnquam populo litterarum luce colluſtrato vere id actum eſſe, vt litterarum ille luce carere et potius in ignorantiae tenebris verſari mallet, nec agi poſſe. Quod ſi certi hominum ordines, ſi monachorum familiae, ſtudiis et conſiliis id allaboraſſe incuſantur, vt bonas litteras obſcurarent, et conatus diſpellentium tenebras proſcriptionibus, iudiciis, vinculis, expurgationum indicibus, prohibitionibus, cenſuris, vlulationibus, retunderent: non tamen id egiſſe dicendi ſunt, *vt litteras ipſas abolere vellent;* immo vero, propoſitum habuerunt hoc, *vt ſuas iis ſuperſtruerent;* neque litterarum, ſed religioſae formulae, ritus et opinionis, multoque magis vtilitatis publicae priuataeue cauſſa, in litterarum ſtudia ſaeuierunt. Barbarorum hoc eſt, prauis religionibus captorum, et armis ſaeuientium,

z) (*Sansculottes*). Iuſtin. XXXVIII, 8, 7. *Solus igitur in tanta vrbe cum ſuis relictus Ptolemaeus, cum regem ſe non hominum, ſed vacuarum aedium videret, edicto peregrinos ſollicitat; quibus confluentibus.* — Haec eadem videbimus aliquando iterum euenire.

tium, bibliothecas comburere, viros litteratos mancipiorum loco habere, monumenta ingeniorum litterarumque delere: etſi aduerſus hanc quoque immanitatem aetas noſtra librorum per aereos typos repetitorum copia munita ac tuta eſt, viresque furoris eludit. Itaque nec Calipharum aliquis, Omaro ſimilis, librorum ſupellectilem vno incendio delere, nec Sinenſis imperator *) priſca litterarum monumenta noſtra flammis abolere poſſit. Verbo: *corrumpi, obſcurari poſſunt litterae et litterarum ſtudia; extingui, interire non poſſunt, non magis quam ſanior ſapientia diuina et humana.*

Hac igitur ſollicitudine leuati, hoc metu liberati, id vero agamus, vt ab omni corruptela, interpretatione praua, calumnia et accommodatione ad conſilia perniciosa, quibus publicae vtilitati tranquillitatique male conſulitur, litteras litterarumque ſtudia ſedulo dataque opera auocemus; ſique vtilitatis publicae caußa aliquid paullo generoſius ac liberius facere videri volumus, ante omnia de illa vtilitate paullo ſubtilius curioſiusque diſpiciamus.

PP. prid. Kal. Mart. cIↃIↃccxciv.

*) *Tſin-chi-hoang-ti* (apud Desguignes *Tching-wang*) anno ante C. N. 213. conſilio principis inter adminiſtros imperii, *Li-ſſé*, turpiter aſſentantis vanitati imperatoris, ne haberent viri docti, quod ex antiquis litterarum monumentis commemorare et cum rerum praeſenti ſtatu comparare poſſent, ita vt aut in reprehenſionem is veniret, aut noua facta priſcis laudibus cederent, omnes libros quotquot extarent hiſtoricos et morales cremari iuſſit. *Hiſt. gén. de la Chine* To. II. p. 400 ſq.

XXV.

XXV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. GEORG. HENR. FEDER
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV. IVNII ANNI HVIVS cIↃ IↃ CCXCIV.
REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI cIↃ IↃ CCXCV.
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.

Cum aures noſtras quotidie nuntii ac rumores perſtrepant de praeliis commiſſis vel committendis, de cladibus acceptis aut illatis: quae noſtra eſt felicitas, Commilitones, licuit nobis de *certa-*

mine

mine literario cogitare, quod commiſſum eſt die natali Regis noſtri Auguſtiſſimi, Pii ac Felicis, cuius prouidentiae, annuente numine, acceptum referimus tranquillum hunc et pacatum per terras Hannoueranas rerum ſtatum, vt hunc ipſum diem tuti ac ſecuri, nec ſine omni hilaritate, transigere poſſemus. Plenam enim et perfectam hilaritatem ac laetitiam quis hoc tempore aut expectet aut prae ſe ferat, quo nemo eſt aut eſſe poteſt, ad quem nullum calamitatum et malorum contagium et ſenſus, nulla luctus publici aut priuati pars perueniat; hoc tempore, inquam, quo omnis humanitatis cultus in magna terrarum parte aut proſtratus iacet aut armis conſiliisque euertitur! Obſcuratur animi ſerenitas et explicitus ad iucunditatem ſenſus contrahitur recordatione tot terrarum ac populorum, qui, dum nos, praeſidiorum ad vitam iucunde agendam affluente copia, otio et ſecuritate fruimur, ipſi omnibus vitae neceſſitatibus priuati aerumnis et vexationibus oppreſſi, mortalium immortaliumque fidem fruſtra inuocant, mortem quoque in lucri parte habituri; quid? quod ipſi populares noſtri alienis in terris laboribus continuis attriti, aliis ex aliis periculis obiecti, vulneribus mortibusque deuoti, quoties eorum cogitatio animum ſubit, omnem hilariorem ſenſum extinguunt.

Inter haec tamen non omnino ab humanitate alienum eſſe putandum eſt, laetari iis bonis, quibus ipſe fruaris, alios carere doleas. Immo fert ita natura humana, vt felicitatis noſtrae fructus comparatione cum aliorum miſeria melius percipiatur acriusque ſentiatur. Quis non meminit poetae

illud:

illud: *Suaue mari magno* — quibus ſubiecta ſunt etiam illa: *Suaue etiam belli certamina magna tueri Per campos inſtructa tua ſine parte pericli.* Ita nec ſuauitate caret, audire narrationes de bellicis tumultibus, armorum fortuna, caedibus et vulneribus, non, quia tantopere ab humanitate alienus eſt aliquis, vt iis laetetur, verum ſenſu ſuae incolumitatis et ſecuritatis tacito; qui in multis adeo totum animum occupare ac tenere ſolet, vt, dum praelia et ſtrages factas audiunt, de miſerabili fortuna eorum, qui eas experiuntur, ne cogitent quidem, nonnulli etiam, miſeratione vacui, efferatis affectibus in miſeros ſaeuiant et exultent. At ille ſenſus, quem memorauimus, propriae felicitatis, quum ipſi tuti et illaeſi agimus aliis malorum fluctibus iactatis, cum humanitatis ſenſu coniunctus eſſe poteſt ac debet, dum votis voluntatibusque ferimur ad calamitatem aliorum minuendam et tollendam. In hac enim generis humani conditione, per ipſam naturam conſtituta, qua fit vt interea, dum alii rebus ſecundis ac laetis vtuntur, alii caſibus aduerſis afflicti moereant; nec vllum vnquam tempus ſit aut fuerit aut eſſe poſſit, quo non triſtitiae ſemina proueniant aliis, aliis laetarum rerum ſeges enaſcatur: ſi gaudere non liceret, niſi omnibus omnium moerendi cauſis ſublatis, nae nullus per totam vitam iucunditati et laetitiae locus futurus eſſet. Enimuero dum ipſi ſenſu moleſto vacamus, vbi caſus aliorum triſtes admoti fuerint, contactos eorum ſenſu animos noſtros aut malorum remedia iis circumſpicere et adhibere, aut, ſi in manu poſita illa non ſunt, eorum miſeratione tangi, fortunae iniquitatem in gemiſcere,

miſcere, alloquio eos, ſolatio, bonis verbis votis que proſequi, iubet humanitas, bonae mentis modo pia parens ac nutrix, modo proles ac nutritia. Sane, ſi dii eſſemus, nec ipſi mala ſentiremus, nec alienorum malorum ſenſu tangeremur. At humanae naturae haec tanquam propria vis et indoles eſt, vt bonis et malis, laetitia et triſtitia, afficiatur; et hominem te eſſe vel in hoc agnoſcas, quod laetari poſſis et triſtari, et, quo magis humanitas exculta eſt, non tuis modo, ſed alienis quoque bonis et malis.

Itaque in ipſo humanitatis ſenſu ratio et iudicium animi moderationem adhibeat neceſſe eſt. Cum enim in hoc per terrarum orbem rerum ſtatu et ordine, in hac generis humani fabrica et conditione, mala, quae nos vocamus, incidere, non minus naturae conſentaneum ſit, quam bona, atque etiam in his, modo naturae modo ſocietatis internis externisque corruptelis ac vitiis, luxuriantior malorum plerumque prouentus ſit: ſenſus noſtros non modo bonis malisque noſtris alienisque attemperatos eſſe neceſſe eſt, verum venit etiam in ſapientiae praecepta, vt non magis luctum noſtrum ac dolorem de caſibus aduerſis, quibus *ipſi* affligimur, circumſcribamus, quam miſerationem *aliorum* fortunae moderemur: vt nec nimia illa ſit, et ad odiorum vltionisque iras, ad immanitatem quoque, euagetur, nec ſine certo conſilio ſuſcepta temerario curſu feratur, nec ipſa in mollitiem morbumque animi vertatur. Sunt enim rationes certae, certa principia ex natura noſtra, aliorumque et hominum et rerum conditione ac comparatione ducta, ex quibus miſerationis

quoque

quoque praeſcripta et officia eliciuntur. Quae accurata oratione perſequi et ab hoc tempore conſilioque alienum eſt, et a viris ſapientibus ac doctis diligenter ea ſunt expoſita.

Manet tamen inter haec certiſſimum effatum, naturam ipſam nos, vt ad iuſtitiam, ita ad miſerationem alieni infortunii finxiſſe; neque in hoc cum poeta referemus inter ſapientes eum, qui *non doluit miſerans inopem.* Homines ſumus, nihil adeo humani a nobis alienum eſſe putabimus. Senſus igitur hic naturae non eſt aut euellendus aut diſſimulandus. *Molliſſima corda*, ait Iuuenalis (XV, 131), *Humano generi dare ſe Natura fatetur, Quod lacrimas dedit; haec noſtri pars optima ſenſus.* Verum inter haec eſt videndum, ne miſeratio intra lamentationes ac deplorationes vanasque incuſationes fortunae ſubſiſtat; *eo* enim *conſilio* ſenſu iſto miſerationis animus noſter imbutus eſt, *vt ex eo naſcatur ſtudium* ſeu conſiliis ſeu opibus noſtris *minuendi ac leuandi mala, quae miſeramur*, vtque inflammetur animus ad circumſpicienda et experienda fortunae remedia, quibus meliori conditioni reſtituantur illi, quorum ſortem miſeramur.

Difficiles quaeſtiones ſuper miſerationis natura, modo ac limitibus, naſcuntur per temporum, maxime bellorum, calamitates: quae ſaepe omnem miſerationem aut tollunt aut tollere putantur, vt quoque miſerari hoſtem nefas putetur. Sane in acie et congreſſu hoſtem, quem extremis malis afficere, vita ipſa priuare, pugnantibus propoſitum eſt, miſerari velle, importunum eſſet. Qua ipſa in

in re hoc eluceſcit, quod, vt aliis in rebus naturam diuinam attingimus, ita hac in parte ad naturam belluinam ſumus depreſſi. Quicquid enim eſt animantium, hoc a natura conſtitutum habet, vt et aliorum mortibus ſe paſcat nutriatque, et aliorum caedibus et ſanguine vitam ſuam tueatur; itaque ea nec habent miſerationis ſenſum, nec habere poſſunt, quippe quem humanitati proprium eſſe vidimus, ita vt nec in deum ille cadat. Eſt autem ea generis humani conditio miſeranda, quod ſaepe res ad eum locum adducuntur, vt belluini affectus regnent, vtque iis conſulto regnum permittendum ſit, quandoquidem ſine iis res geri nequeunt. Si enim homines vna hac dote, quam rationem appellamus, vterentur, nec adeſſent ſimul ea, quae cum animantibus communia habemus, irae, odia, furores, impetus manu armisque graſſandi et quicquid laedere viſum eſt e medio tollendi; ſi haec, inquam, abeſſent et ad rationis praecepta ac monita res gererentur: nec eſſe bella nec geri poſſent. At enim regere belluinos affectus debet cum humanitatis ſenſu ratio, huic animantium generi, quod hominum nomine impertitum eſt, inſita; et, quandoquidem illud ceteris animantibus in hoc excellit, quod arte, conſilio et inuentis caedes ſtragesque facit, aequum videri debet et illud, vt ratione et humanitate regatur impetus iſte belluinus, vt nec nimium ſe efferat, vt intra neceſſitatis praeſcriptum ſe contineat et hoſte victo ac repreſſo reſidat et ſe componat; quibus tuto parci poteſt, parcat, a quibus nihil metuitur, eos ne laedat, et ab auctoribus prauorum conſiliorum diſcernat et ſeiungat

eos,

Digitized by Google

eos, qui cauſſam publicam tuentur lege, officio et neceſſitate conſtricti. Eſt enim locus miſerationi praecipuus in vltione ac vindicta ſeu poena iniuriae acceptae moderanda; quam cum pauci inter officia referant, iniurias plerumque nouis iniuriis, atrocioribus quoque, cumulant, iisque, quos vlti eſſe videri volunt, irarum cauſſas iuſtas ipſi ſuppeditant, vt iis incenſi nunc iſti ad vltiones viciſſim inflammentur; quo fit, vt omnibus iuſti iniuſtique rationibus perturbatis omnis humanitas e medio tollatur.

Praeſtat itaque, Commilitones, hoc certaminum genus, quod ſollenni illo die, de quo diximus, fauſto Regis noſtri natali, inſtitutum erat; certamen ingeniorum ac literarum, quo omnia aguntur ac geruntur ſine vi, ſine iniuria, nec id propoſitum eſt, vt cum aliquot millium caedibus, aliorum vulneribus, matronarum puerorumque orbitate, omnium calamitate ac miſeria, occupetur ager, accipiatur prouincia, viris opibusque exhauſta, direpta ac vaſtata, ad quam recreandam nouis opibus, et ad quam tuendam nouis exercitibus, caſtellis, apparatibus opus eſt; verum, ſi ad quaeſtiones propoſitas recte reſpondetur, nouae rerum notitiae, aut rei iam notae clarior ac certior notio, ſine vllius hominis iniuria aut calamitate, paratur. Pugnatur adeo armis, quibus ratio ac mens bona nos inſtruxit; quaeritur vtilitas publica et omnium communis, nec modo priuata vnius vel paucorum hominum, qui calamitatibus publicis ipſi creſcunt copiis opibusque. Quod tandem ſummum eſt in tali certamine: inſtituitur id Rege noſtro in-

dulgentiſſimo auctore, ac praemiorum certantibus propoſitorum largitore. Ad hunc itaque referimus victorias; hunc tanquam numen propitium bonis votis laudibusque proſequimur; huic debere nos profitemur, quod ſtudiis homine dignis ingenia alimus, quod ab ea humanitatis parte, qua homines animantibus praecellimus, quaque deum attingimus, facultates noſtras viresque excolere, acuere et amplificare poſſumus.

Vt ergo, qua virtute, qua fortuna, certamen hoc ingeniorum literarumque factum ſit, paucis exponamus: accedimus ad enarrandum, *quae quaeſtiones* ſuperiore anno fuerint vulgatae:

Ab *Ordine Theologorum* quaeſtio propoſita erat:

Quaenam ſit origo euangeliorum Matthaei, Marci, Lucae et Iohannis? ex quibusnam fontibus eorum auctores hauſerint? quibus maxime lectoribus et quo conſilio ſinguli ſcripſerint? quo denique modo et quo tempore factum ſit, vt quatuor iſta euangêlia maiorem, quam euangelia, quae vocant apocrypha, et canonicam auctoritatem conſequerentur?

„Tres exhibitae ſunt ordini commentationes, hiſce inſignitae ſententiis:

I. *Is demum mihi viuere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit.* Sallvst. Catil. II.

II. *Vt deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.* Ovid. Pont. III, 4.

III. *Nulla felicitas maior illuminatione eſt.*

„Ex hiſce commentationibus iterum magna cum voluptate cognouimus, verſari inter nos iuuenes praeclari ingenii et doctrinae eximiae, qui theologiae ſtudiis ea, qua par eſt, animi intentione et indu-

induſtria operam nauant. Auctor *primae* commentationis argumentum difficile et impeditum tam ſubtiliter, eleganter atque erudite tractauit, vt ipſius opera quaeſtioni grauiſſimae haud parum lucis acceſſerit, vtque Ordo noſter non poſſit non de tali ſpecimine ſibi oblato magnopere ſibi gratulari. Praeterea oratio perſpicua eſt, rerum per partes diſpoſitio naturalis et ordo lucidus. Vnanimi igitur conſenſu huic commentationi praemium adiudicatum eſt. *Altera* commentatio magnae doctrinae copia et maiore etiam, quam in iuuene expectari poterat, nec non ingenii acumine et iudicii modeſtia, diligentia in conquirendis rebus prorſus ſingulari et obſeruationibus nouis, ita ſeſe commendat, vt certare cum prima potuiſſet, modo oratio ſatis latina eſſet. Cum autem tot praeclara habeat, *proxime eam ad praemium accedere* iudicauimus, et non poſſumus non optare, vt auctor eam reformata dictione publici iuris faciat. Nec *tertia* laude ſua deſtituitur. Habet enim obſeruationes quasdam exquiſitas et caput quaeſtionis ſatis bene illuſtrat. In eo vero multa nobis deſideranda reliquit auctor, quod nec argumenta rerum accurate expoſuit, nec materiam bene collocauit et diſtribuit, nec oratione vſus eſt ſatis pura et latina.„

Reſignata ſcheda nomen victoris lectum eſt:

HENRICVS GVLIELMVS HALFELD,

Zellerſeldenſis. *)

*) Optimum iuuenem, dum, vt egeſtatis difficultates eluctaretur, vires ſuas attriuiſſet, iniquis fatis paullo poſt abreptum doluimus.

Altero autem *loco* laudem meritam abſtulit Io. Gvlielmvs Bartholomaevs Rvsswvrm, *Schwarzburgico-Seebergenſis.*

Ordo *Ictorum* iuſſerat exponere:

Remedia ſecuritatis, quibus iure romano proſpectum eſt creditoribus debitoris obaerati, tum per priuilegia ſpecialia actionibus perſonalibus data; tum per hypothecas tacitas; tum per priuilegia hypothecarum: porro tempora recenſere, quibus ea introducta eſſe conſtat; denique eorum veram indolem eorundemque vim explanare, qua vel alterum cum altero in eodem creditore concurrit, vel inter plures creditores alterum ab altero vincitur.

„Exhibitum eſt inſcriptis verbis Pavli:

Plenius rogo, quae ad haec ſpectant, attingas, cottidiana enim ſunt.

ſcriptum vnicum, ſed tale, quale in iuuenilium virium conflictu exſpectari poterat a paucis. Non ſolum enim ſermonis concinnitate et puritate, verum etiam iudicii ſubtilitate et modeſtia, ac inprimis aſſiduitate et ſtudio inueſtigandi ordinandique ea, quae ad partem hiſtoricam quaeſtionis propoſitae pertinent, ita ſe commendat auctor, vt, qui praemio ornaretur, vnanimi arbitrorum conſenſu dignus iudicatus ſit.„

Praemium doctrinae et diligentiae retulit
Chr. Lvdov. Rvnde, *Haſſo-Caſſelanus*,
Collegae noſtri Conſultiſſimi filius.

Ordo *Medicorum* deſiderauerat

ſuccinctam hiſtoriam mortis; cauſſarum ſcilicet eius et inde pendentium diuerſorum mortis generum, tum ſignorum eius diagnoſticorum.

Traditae

Traditae ſunt Ordini duae commentationes; *altera* cum enuntiato:

Ciuibus ſeruandis,

laudem habet induſtrae et peruicacis ſtudii, continet quoque experimenta, inprimis viuiſectionum, nonnulla quoque, in quibus ſuo iudicio vſus eſt auctor; enimuero cogitata et iudicia ſua plerumque obſcure nec ſatis ſubtiliter ac diſerte expoſuit, viuiſectiones autem inſtituit nec reſpectu habito ad quaeſtionem, adeoque nec magno ad eam fructu, enarrauitque eas nimis prolixe. *Altera* commentatio cum dicto:

vitiis nemo ſine naſcitur; optimus ille eſt, qui minimis vrgetur;

etſi et ipſa multis onerata eſt, quibus melius careret, comprehendit tamen ea quoque, quae ſatisfaciunt quaeſtioni eamque ita expediunt, vt cum dilectu adhibita ſit lectio docta et varia, vtque cum certo conſilio ac iudicio experimenta ſint inſtituta, quae autem ſequantur ex iis, quae que ſeu experimentis ſeu rerum cognita ſunt, ſagaciter ſit perſpectum. Denique ea, quae in ſcriptum retulit auctor, rite digeſta ſunt et perſpicue enuntiata. Itaque Ordo medicorum haud dubitauit alteri huic commentationi praemium aſſignare, priorem autem commentationem ſaltem locum ab ea ſecundum obtinere iuſſit.

Vitrix commentatio auctorem habuit
Carolvm Himly, *Brunſuicenſem.* *)

*) Nunc Medic. Profeſſorem in Collegio Carolino Bruuſuic.

Digitized by Google

Ab *Ordine Philoſophorum*

duae propoſitae erant quaeſtiones, ſuo vtraque praemio inſtructa. *Altera ordinaria* alteram quaſi partem quaeſtionis, quae in annum ſuperiorem edicta fuerat, conſtituebat:

> *Aſiae Herodoteae difficiliora geographico more explicanda*, et nunc quidem, poſt quaeſtionem ſuperioris anni, *ex regionibus: Palaeſtina; Pactyica; deſertum ſabuloſum; planities, quam Aces perfluit, cum populis accolentibus: tractus, quem Sauromatae, Budini, Thyſſagetae, Iyrcae, Scythae exules et Argippaei incoluerunt, quamque Scythae, Europaei et Graeci ex emporio Boryſthenis aliisque Ponticis emporiis, ad Iſſedones vsque, peragrarunt.*

Inter plures, quos curriculum intraſſe conſtat, non niſi vni contigit metam attingere, cuius oblata eſt commentatio cum dicto:

Emendaturus ſi licuiſſet eram.

Commendat iuuenilem conatum doctrina haud vulgaris, bona rerum lectione diligenti conquiſitarum diſpoſitio, orationis breuitas, puritas et perſpicuitas. Sunt quidem in iis, quae appoſita ſunt, nonnulla, quae ſubtilitas geographica, vt emendentur, poſtulat, facilis tamen iis medicina adhiberi poteſt. Palmam itaque ſcripto huic rite ſe adiudicare cenſuit philoſophorum ordo.

Cum reſignatus eſſet indiculus ſeu charta ſcripto adiuncta, lecta ſunt haec verba:

"*E. ſchedis beati* Chr. Gottl. Henr. Frömmichen, *Hildeſienſis, Seminarii philologici Regii ſodalis, collegit et diſpoſuit* Ivlivs Billerbeck, *et ipſe Seminarii huius ſodalis.*"

Com-

Commota eſt mens partim recordatione adoleſcentis eximiae ſpei, qui Februario menſe huius anni rebus mortalibus ereptus erat; partim exemplo affectus et fidei amorisque commilitonis et amici, qui, ne eius labores irriti eſſent, ſedulo curauerat; reddidit ille praemium ſibi traditum matri filium lugenti.

Altera quaeſtio praemio *extra ordinem* ex munificentia regia conſtituto ornanda haec erat:

> *Indaganda Phoenicum in antiquiſſima Graecia veſtigia: tum reſpectu cultus idololatrici; tum litterarum et mythorum: artium denique, et praeſertim agriculturae et rei nauticae: quorum niſi omnium, plurium ſaltem indicia diligenter eruenda, luculentisque exemplis et auctoritatibus munienda ſunt.*

Concertarunt ſuper hac quaeſtione duo commilitones, *alter* dicto Pindarico inſignitus:

ἐστὶν ἀφάνεια τύχας καὶ μαρναμένων, πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι.

alter verbis:

Speremus quae volumus, ſed quid acciderit feramus.

Diligentiam et laudis ſtudium probamus in vtroque; doctrinam exquiſitiorem deſideramus. *Altera* tamen ſcriptio verbis inſcripta: *Speramus quae volumus*, oratione ſe commendat ſatis pura et perſpicua, proditque auctorem meliore diſciplina imbutum, quam quae alteri contigerat, inprimis in diſcernendis iis, quae mythica ſunt ab hiſtoricis, et in conſtituenda vtriusque generis indole; tum vero ille ipſos ſcriptores veteres inſpexiſſe eorumque verba percepiſſe videri debet. Scripſit ſatis commode tanquam iuuenis iuuenibus; ſed, quod nonnulli ſuperioribus annis ſequuti erant, vt iuuenes ipſi viris ſcriberent, id ille aſſequutus non eſt. Aberraſſe porro a quae-

 ſtionis

ſtionis ſenſu videri poteſt in hoc, quod, cum *indaganda* eſſent *Phoenicum in Graecia antiquiſſima veſtigia*, ita vt ipſe exquireret, *quidnam in antiquitate Graeciae occurreret, quod a Phoenicibus ductum aut fuiſſe conſtaret aut eſſe potuiſſe probabile fieret*, ille conquiſiuit *notitias ſcriptorum veterum de Phoenicum inter Graecos veſtigiis*, expoſuitque adeo religiones, ritus, artes, inuenta, quae ſcriptores veteres a Phoenicibus repetere aut iis tribuere ſolent: docendum ſaltem erat, recte et cum iudicio hoc fieret nec ne. Cum tamen iuuenilis opera, non opus exactum, in tali certamine in diiudicationem veniat, Praemium regium alteri huic commentationi: *Speremus quae volumus*, arbitrio ſuo attribuit Philoſophorum ordo.

Recitatum mox eſt e ſcheda inſpecta nomen Io. Henr. Iacobvs Meyerhoff, *Brunſuicenſis*, *Seminarii philologici Regii Sodalis.*

Praemiis ita victoribus perſolutis, reſtat, vt promulgemus quaeſtiones ab Ordinibus Academiae noſtrae in anni XCV. Iunium in a. d. IV. propoſitas.

ORDO THEOLOGORVM poſtulat:

vt momentum, quod habet hiſtoria Chriſti *in vniuerſa religione, accurate expendatur, et ſine partium ſtudio aeſtimetur, tum vero etiam praecipua argumenta tam interna quam externa ſaltem indicentur, quae in refellendis dubiis, quibus veritas huius hiſtoriae noſtra maxime aetate tentatur, certiſſimum vſum praeſtare poſſunt.*

Ab

Ab ORDINE ICTORVM:

An et quae ſit iure Romano inter patremſamilias et liberos in poteſtate conſtitutos vnitas perſonae? — quae huius doctrinae fundamenta? — qui effectus? — quis eius vſus?

Ab ORDINE MEDICORVM:

Cum mirum, et inſuperabile fere, obſeruetur commercium inter hepar bilemque, et animi pathemata: quaeritur: *quae ſit huius harmoniae ratio, cum anatomica tum phyſiologica; et quemnam vſum habere poſſit illius moderamen in praxi?*

Ab ORDINE PHILOSOPHORVM

propoſita eſt quaeſtio iuris naturae: iubentur concertaturi

de iure ſuffragii in ſocietate aequali eam ex principiis *iuris naturalis* disquiſitionem inſtituere, qua *praecipua capita, fundamenta* ac *conditiones* huius iuris rite explicentur ac definiantur; curateque diſtinguantur ea, quae ex *notione generali* ſocietatis aequalis fluunt, ab iis, quae pactis aliisue conditionibus nituntur generatim haud neceſſariis; eodemque modo, quae ſpecie aliqua *aequitatis* ſeſe commendare videantur, ab iis, quae *ſtricto iure* poſtulare fas eſt. Et ea quidem, quae generatim et ſtricto iure firmari poſſunt, plenius declarentur; reliquis, quae ad aequitatis rationem aut ſingulares conditiones redeunt, eatenus tantum collatis, quatenus ad generalis argumenti illuſtrationem neceſſarium videri poſſit. Quum de hac quaeſtione apud *Ariſtotelem* aliosque Graecos

 Roma-

Digitized by Google

Romanosque ſcriptores quaedam ſubtiliter diſputata occurrant; diligentiam in antiquiorum litterarum ſtudiis probandi opportunitas haud facile deſiderabitur.

Conſtitutum eſt in ſingulas quaeſtiones numorum aureorum XXV praemium e liberalitate Regis Auguſtiſſimi noſtri. Exhibenda ſunt ſcripta ante Kalendas Apriles: quae vt breuitate ſe commendent, diligenter erit videndum.

Videtis, Commilitones, vos habere, in quo ingenia veſtra exerceatis, doctrinae et profectuum ſpecimina edatis, et quid vires, quas natura largita erat, ferant, quorſum dirigenda ſint ſtudia in poſterum veſtra et conſilia, experiamini. Habete hoc in magna felicitatis parte, opportunitatem datam eſſe, quibus explorare liceat naturales facultates, excitare igniculos et intelligere, ad quod quisque a natura factus ſit, quid boni cum ſpe ſucceſſus proſequi, et vnde laudem aliquando ſibi poſſit parare. Tentando et experiundo intelligitur, habeamusne ea, quae didicimus, in promtu, ſitne fida memoria, iudicium ſubtile, et ſagacitas ad ordinandas ac diſponendas res, ſique illa adfuerit, an oratione ſatis valeamus ad bene eloquendum. Itaque et ille ſibi magnum fructum aſſequutus eſſe videri debet, qui calide tentata experimento facto prudenter mox relinquenda ſibi eſſe intellexerit; modo dandam ſibi eſſe operam perſpexerit, vt aut doctrinae ſeu melioris ſeu maioris ſibi copias paret, aut ad alia animum applicet.

His

Digitized by Google

His peractis, iterum, quo die haec acta ſint, in animum reuocemus, Commilitones, et deo O. M. pia vota preceſque faciamus pro Rege et domo Regia, pro reip. incolumitate et tranquillitate, pro publica priuataque felicitate. Votorum ſummam eſſe debere Pacem, quis neget? qua quid praeclarius, quid diuinius eſſe poteſt! Satis enim multa iam mala experta eſt Germania noſtra. Satis calamitatum pertulit, motis Francorum temeritate, ſcelere et impietate, armis. *Satis iam pridem ſanguine noſtro Laomedonteae luimus periuria Troiae* *). Faxit modo numen O. M. vt honeſta pax ſit, certa, cum ſecuritate coniuncta, Germaniae et Regi glorioſa! Hanc votis precibusque expetere ad fidem religionemque noſtram pertinere arbitrabimur. Nihil enim aliud priuatae ſortis hominibus reſtat, quam vota facere, diuini numinis prouidentiae confidere, in fortunae ſuae mediocritate acquieſcere, quae patienda ſunt ferre, quae boni ciuis bonique viri munia ſunt praeſtare, ſe digna facere, meditari, curare. PP. in Georgia Auguſta m. Iulio cIↄIↄccxcɪv.

*) Ita vt reliqui quoque verſus poetae locum habeant:
Quippe vbi fas verſum atque nefas; tot bella per orbem,
Tam multae ſcelerum facies; non vllus aratro
Dignus honos; ſqualent abductis arua colonis
Et curuae rigidum falces curuantur in enſem.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum.
Vicinae ruptis inter ſe legibus vrbes
Arma ferunt; ſaeuit toto Mars impius orbe.

XXVI.

XXVI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. GEORG. HENR. FEDER
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
LVII.
IN KAL. SEPTEMBRES CIↃIↃCCXCIV.
CELEBRANDA
RITE INDICIT
SIMVLQVE
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IO. FRID. SCHLEVSNER D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT.

De bellis internecinis, eorumque cauſſis et euentis.

Nos tam pacatis et tranquillis rebus vti, Commilitones, vt ſtudiis noſtris tuto vacare, atque etiam ſollennia, quae hac tabula indicimus, rite celebrare poſſimus, in ea felicitatis parte ponimus, quae

quae aliis exoptanda, nobis gratulanda eſſe videri debeat. Vtinam pacis haec et tranquillitatis dulcedo eam ad animos noſtros vim habeat, vt, cum alii populi iris, odiis et vlciſcendarum iniuriarum cupiditate inflammati ad omnem immanitatem prolapſi meliorem ſui partem, humanitatem, exuunt, nos interea, mutua coniuncti voluntate et beneuolentia, mentibus nullo iniuriae acceptae dolore exſtimulatis, placido et iucundo Muſarum otio fruentes, ita nos ad humanitatem, aequitatem et iuſtitiam componamus, ſimus que ex eorum numero, qui, vt homines ſint, ſe natos eſſe meminerint, adeoque ad omnem animorum virtutem ingeniorumque per bonas litteras culturam enitantur, quae humanitatis nomine inſignitur. Sollennia autem, quae indicimus, quaeque piis gratulationibus et votis precibusque habendis opportunitatem afferent, duplici peragentur conſilio: quandoquidem et *anniuerſaria academiae noſtrae ſacra* celebranda, et *faſces academici* in aliam domum transferendi ſunt. Succedet enim in principes reip. academicae regendae partes ex venerabili Theologorum ordine Collega coniunctiſſimus

IO. FRID. SCHLEVSNER D.

cui remp. academicam curae cordique eſſe, ſalutem reip. ſummam legem haberi, et aequitatem cum humanitate coniunctam, tanquam deam noſtrarum rerum tutelarem coli, et ipſi nouimus, nec vos, Commilitones, fugere poteſt. Habere itaque videmur, cur etiam huius ſemeſtris decurſum fore tranquillum, nulla licentia turbatum, proſperitate aequabili commendabilem ſperemus.

Ceterum,

Ceterum, cum impoſita ſit lege et more neceſſitas praefandi ſollennibus noſtris, quandoquidem in his curarum et ſollicitudinum fluctibus, quibus nos tenent belli funeſtiſſimi caſus et viciſſitudines, vix quicquam eſt, quod ſatis teneat animos niſi cum iisdem coniunctum ſit: agite, ne ſurdis narrare videamur fabulam, ordiamur ſermonem a belli genere publicis quoque conſiliis agitato, vt accuratius diſpiciamus, quaenam *bellorum internecinorum* ſit *notio*, quae *natura*, quae *cauſſae*, quae *euenta*. Facile intelligitur, nos neque longum ſermonem inſtituere poſſe, nec id agere, vt ad rerum praeſentem ſtatum diſputationem deducamus. Continebimus nos intra tempora antiqua, de quibus et diſputare tutius eſt, et noſtri ordinis hominibus magis conſentaneum. Neque ad talem diſputationem expectanda eſt *rara illa* apud Tacitum (Hiſt. I. pr.) *temporum felicitas, vbi ſentire quae velis et quae ſentias dicere licet.*

Internecinum itaque *bellum* illud dici putabimus, quo ad internecionem vsque et ad excidium pugnatur, idque proprie ita dici, cum *eo ipſo conſilio* vtrinque ſuſceptum illud ſit, neque iam ab initio alia expectatio ac ſpes relinquatur, quam alterutrius partis funditus deletae et extinctae interitu finem illud habiturum eſſe. Verum etiam *ab vna parte* bellum cum internecino odio ſuſcipi et profligari poteſt, altera per vim et iniuriam ad decertandum pro ſalute adacta; quemadmodum a Romanis bellum Punicum tertium motum eſt. Aliud eſt, ſi *ad internecionem eſſe pugnatum* audimus; quod aut cum ratione, iudicio ac virtute, aut caeco impetu,

ira

ira et furore, fieri poteſt; neceſſitas autem ita pugnandi impoſita fuit, quamdiu capti occidebantur; eaque adhuc imponitur, ſi honeſta mors antevertit ſeu vitam ſeu mortem ignominioſam aut crudelem. Poteſt quoque fieri, vt *inter bellandum* ira et furore inflammati animi finem pugnandi non faciant alium, quam excidio et internecione ſeu mutua ſeu aduerſae partis. *Non* enim ſub notionem belli internecini cadit, ſi, bello quocunque alio conſilio et modo geſto, victor vltione, crudelitate, auaritia in victos, interdum in deditos, ſaeuit, vrbes ac prouincias ferro ignique vaſtat; cuius immanitatis innumera per omnes aetates exempla ſuppetunt. Vt vnum memorem, bello cum Perſeo finito Epiri LXX vrbes exciſae vno die a Romano exercitu ac direptae, et incolae ignari incautique in ſeruitutem redacti ſunt; cum enim praeda Macedonica militum cupiditatem non expleuiſſet, *Senatus praedam Epiri ciuitatium, quae ad Perſea defeciſſent, exercitui dederat:* (Liv. XLV, 34.). *Nec* illud proprie bellum internecinum dici poteſt, cum, qui nulla iniuria prouocati ſunt, imbelles et imparatos adoriuntur, eorumque ſtrage facta praedas agunt et agros colentium internecione vacuefactos occupant; vti Hiſpani Americae populos, quibus ipſum Hiſpanorum nomen inauditum erat, internecione deleuerunt. Ab *internecino odio* proficiſcitur bellum illud, quod recte internecinum appellatur.

Scilicet cum bellorum mouendorum *cauſſae* ſint multae variaeque, iuſtae quidem pauciſſimae, iniuſtae plurimae; *tertium* quoque ſecundum iſta genus, quod *a iuſta cauſſa profectum* poſtea *ad iniurias* *deflectit,*

deflectit, cum is, qui poenas exigebat et damni accepti reparationem iure poſtulabat, intra iuſti aequique fines haud ſe continet; ita vt hoſtis, poſt quam victus ſatis poenarum dederat, intolerabilibus iniuriis prouocatus nunc arma iuſta ſumat *a*), prior ille iniuſta moueat. ſunt tamen in cauſſis iſtis *aliae*, quae a ſumma animorum exacerbatione, et odiorum irarumque furore vlciſcendaeue iniuriae auiditate proficiſcuntur, *aliae*, quae minore cum animorum motu ſunt coniunctae; vt in bellis, quae de principatu, imperio aut dignitate, aut quae gloriae, opum potentiaeque cupiditate geruntur. Ad irarum et odiorum fluctus mouendos multum intereſt, ſitne *cauſſa populi*, propter quam arma capta ſunt, an, quae plerorumque bellorum fuit parens ac nutrix, ſolius *principis* aut paucorum potentium maiora appetentium vtilitas, ob quam bellum eſt motum. Minore quoque cum irarum acerbitate geruntur bella, quae *per iuſtos exercitus*, inprimis e ciuibus conſcriptos, diſciplina militari coercitos, proferuntur; at ſumma cum animorum impotentia, inter iras, odia, furores nouiſſimos, expediuntur arma, *quae*

a) Praeclara hanc in rem eſt oratio Pontii Samnitis apud Liuium IX, 1. — *expiatum eſt* (hac legatione) *quicquid ex foedere rupto irarum in nos caeleſtium fuit — Quid enim vltra fieri potuit — quid vltra tibi, Romane, quid foederi, quid diis arbitris foederis debeo? — at ego ad deos vindices intolerandae ſuperbiae confugiam, et precabor, vt iras ſuas vertant in eos, quibus non ſuae redditae res, non alienae accumulatae ſatis ſunt — Iuſtum eſt bellum, Samnites, quibus eſt neceſſarium; et pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes.* Dederunt quoque Romani ſuperbiae poenas in Furculis Caudinis ſub iugum miſſi.

Digitized by Google

quae a populo ipſo ſumuntur, ſi dolor iniuriae acceptae eſt publicus, et vltionis auiditas omnes omnium ardores inflammauit; tum vero odia internecina concitantur, et poſſunt res eo adduci, vt victi victoresque mutua internecione, gladiatorum more, pugnent cadantque. Quod bellorum genus, caeco multitudinis impetu temere ruens, cum nulla arte, nullo conſilio regi poſſit: ſuae ipſorum ſaluti male conſulturi eſſent reges, qui, vt illud exardeſceret, faces ſubiicere vellent. Locum enim habiturum eſſet illud, quod apud Comicum eſt: *Here, quae res in ſe neque conſilium neque modum habet vllum, eam conſilio regere non poteſ. — Incerta haec ſi tu poſtulas Ratione certa facere, nihilo plus agas, Quam ſi des operam, vt cum ratione inſanias.*

Omnino bella internecina ſunt *populorum ferorum* et aut nullo aut exiguo humanitatis cultu imbutorum, ita vt a ferarum immanitate nondum ad mitiores ſenſus progreſſi ſint. Ira illi et feritate belluina ſtimulati arma ſumunt eo conſilio, vt non victo et ſubiugato, ſed exciſo et deleto hoſte victores redeant. Caedium et cruciatuum adſpectus pro oblectamento eſt; in aliorum doloribus cogitatio de eo, quem ſenſum doloris ſimilis ipſi habituri ſint, nulla; tormentis, quae aliis adhibent, exultant. Adeo rationis vſus et humanitatis ſenſus nullus eſt, niſi inſtitutione et doctrina igniculi latentes excitati fuerint. Quamobrem agmine educto ita quisque in pugnam procedit, vt aut hoſtem ille iugulet, aut ipſe iuguletur, aut, ſi in hoſtium poteſtatem venerit, inter tormenta exſpiret. Accedunt alia, quae feritatem exaſperent. Habitant populi iſti per ſtirpes

 et

et tribus diuiſi parum numeroſas, eoque ad conſilia et ſtudia communia proniores; mutuis ſermonibus communes iras et odia facile exſtimulant, nec adſunt ea, quae a publica ad priuatam vtilitatem auocare poſſint, nullae opes, ne priuatae quidem poſſeſſiones; de communi omnium poſſeſſione ſeu ſilvarum ſeu lacus certatur; iniuria vni illata omnium tribulium iras inflammat; ſibi quiſque pugnat, non domino; pro ſe pericula adit, vulnera et mortem excipit. Inter haec odia feruntur ex odiis, vltiones occiſorum nouas vlciſcendi cauſſas arceſſunt, parentum et cognatorum mortes nouis mortibus cumulantur. Ita iras implacabiles ali neceſſe eſt, et odiis internecinis bella et praelia continuari, donec internecione ſublatus ſit alter aut vterque populus. Itaque deletae memorantur gentes haud paucae; aliarum non niſi exiguae reliquiae. Adeo belluina natura in homine ſuperat, niſi humanitatis cultus aliunde aduenerit.

Vbi autem populi a feritate beſtiarum *ad morem pecudum gregatim incedentium* in *ſocietatem qualemcunque* coïerint, more, ritu, lege, conſtitutam, vt iam ſub *barbarorum* nomine venire poſſint: bellorum cauſſis prioribus ceſſantibus cauſſae ſubnaſcuntur aliae. Conflat bella praedae agendae ſtudium; quaeruntur mancipia, ſiue ad pecudes paſcendas, ſiue ad agros colendos, ſiue ad vendenda corpora. Suaſit nunc, non humanitatis ſenſus, ſed vtilitas, ſeruare hoſtem, captiuos in ſeruitutem redigere, ad opus faciendum abducere, aut vendere. Cum his ipſis vitae ſocialis elementis diſcunt homines imperium pati; vix tamen illud acceptum eſt, cum

illud, ignoratione iuris et vnius vel paucorum cupiditate, in dominationem vertitur. Nunc omnia vitae mala publice priuatimque in imperia, male ſcilicet conſtituta, irruunt, et in his *bella dominandi libidine, auaritia, ſuperbia ſuſcepta.* Pugnatum ſic quoque haud raro ad internecionem; quoties ad vlciſcendas iniurias arma ſumta erant; hinc atroces illi bellorum terrores per caedes omnis aetatis et ſexus apud Homerum; et in rerum et euentuum monumentis haud raro memorati. Subſtitit mox ira victorum intra caedem iuuenum eorum, qui arma ferebant, ſaepe marium vniuerſorum; ducti pueri et feminae captiuae. Sic pugnatum eſt ad Troiam. Aliam internecini furoris cauſſam obiecit vltima neceſſitas, victus inopia et fames, inprimis multitudinis nouas terras, quas inhabitaret, occupantis et in colonias eductae. Multa proſtant exempla Graecae iuuentutis ad nouas ſedes quaerendas miſſae, et, cum veteres coloni ſuas poſſeſſiones defenderent, eorum ſtragem caedemque facientis. Eadem immanitate exſecrabili graſſati ſunt Iſraelitae in Canaanitas; quod, more barbarorum priſcae aetatis, ad numinis iuſſa et monita referri ſolitum erat.

Seruare eos, quibus imperare velis, ipſa ratio ſuadere videtur. At ratio ſuadet multa, quorum contraria ſequuntur homines. Tam inconſulti ſuae vtilitatis antiquitus fuere magni illi latrones generis humani, qui regna et populos ſubiugarunt, quosque terrarum victores appellamus, vt ignoratione artium, quibus victos in obſequio retinerent, eos, quibus imperare vellent, internecione delerent, et

terras in ſolitudines verterent, quas ditione tenere vellent. Tandem venit in mentem, populum victum in alias terras abducere, nouis colonis, quos ex ſuis ſedibus exturbari neceſſe erat, in iſtius ſedes deductis. Aſſyrios et Babylonios reges meminiſtis hunc morem ſeruaſſe. Alia bella gerebantur inter regulos et ſatrapas etiam eos, qui ſub eodem imperio vnius regis haberentur, et inter populos finitimos, innumeris de cauſſis, pleraque latrocinia potius praedae agendae cauſſa. Ex his iniuriis exarſere irae et odia; et ex his noua bella ſuperioribus atrociora, non raro internecina.

Proceſſum eſt a barbarie *ad meliorem vitae cultum.* Putes nunc *humanitatis imperium* aliquod inter homines eminuiſſe; quaeri ſaltem coepiſſe de *belli iure*, nec modo, quale ius illud eſſet *naturae;* nam naturalis impetus et furor non poteſt ius conſtituere hominum ſed animantium, aut hominum, quatenus animantes ſunt; nec quale eſt *gentium* ius, quandoquidem populorum vſu et more deprauata plura ſunt quam emendata; ſed *ius rationis*, quod ab ipſa humanitate, rationis et intelligentiae facultate et vſu, ſocietatisque humanae indole et conditione proficiſcitur. Manſit, proh dolor, inter populos eximio vitae cultu expolitos, humanitatis nomine etiam laudem ſibi quaerentes, bellorum barbaries; et intelligentiae vis, ſi quem vſum habuit, adhibita fuit non ad bellorum cauſſas praeuertendas et exſcindendas; verum ad excogitandas nouas belli inferendi cauſſas, probabiles atque etiam commentitio fuco ſplendidas, ad nouos modos gerendi belli, ad nouas artes caedium properandarum aut cumulanda-

landarum. Nunc bella per multum tempus continuari, nec, quod olim ſtolide factum, vnius aciei aleae fortuna imperii committi. Habet hanc laudem Graecia; quae multa in belli gerendi ratione melius inſtituit, nec tamen *humanitatis impulſu ac reſpectu*, ſed *vtilitatis ſtudio* et *arte militari in melius mutata.* Cum enim certis iam conſiliis gererentur bella, cum exercitus e ciuibus conſcriberentur, ſtipendia numerarentur, tributa conferrentur, magni apparatus fierent, vtrinque loca opportuna caperentur ac munirentur, praelia ex certis praeceptis et vtrinque virtute et arte committerentur: non potuit facile ad internecionem caedi hoſtis. Inter haec tamen priſtinae barbariei, interdum et belluinae feritatis veſtigia manſere multa, in agris igni ferroque vaſtandis, arboribus exſcindendis, pecudibus abigendis, captis in ſeruitutem detrudendis; facta adeo plurima ipſi victori exitioſa. Eſt omnino hoc *barbarorum,* non prouidere vnde ipſi viuere velint, ſed fruges et commeatus corrumpere, atque ita belli gerendi copiis et facultatibus ſe ipſos priuare. Nec tamen his contenti, incredibile dictu eſt, ad quam immanitatem ſaepe prolapſi ſint, vt taceamus alios, ipſi Athenienſes; horret animus, atrocia eorum per iram et vltionem facta in victos, in ſocios, in ipſos ciues, recenſere.

Neque *ſapientiae ſtudia* ad animos et iudicia Graecorum magnam vim habuere. Gerebantur bella *de principatu Graeciae, pro ſociorum iuribus, libertate;* mox *ad eorum libertatem opprimendam.* Quod enim fructuoſiſſimum eſſe videbatur hominibus, vt plures ciuitates ad tutelam mutuam communi foedere

coirent: hoc ipſum in bella aſſidua verſum eſt, eodem fere modo, quo magna Europae regnorum Societas perpetua bella progenuit. Ortae igitur inter Graecos ſuſpiciones, iniuriae, irae, odia internecina; non remiſſiora odiis in barbaros ſeu Perſas ſuſceptis *b*).

Vita iam aliquantum expolita duo bellorum genera increbuere, quae honeſto ornata nomine per omnia tempora ſummas generi humano calamitates intulere; alterum *pro libertate*, alterum *gloriae parandae cauſſa* ſuſceptum. Lubricum et ambiguum et pro cuiusque cupiditate ac fraude in omnes facile conatus interpretandum, *libertatis* nomen *c*) quan-

b) *Bellorum internecinorum* voce vtitur in his ipſe Iuſtinus VI, 6. XI, 9.

c) De falſis huius vocis acceptionibus, interpretationibus et fraudibus nihil dici poteſt, quod non apud Graecos iam occurrat; et poſſit hac de re longa diſputatio inſtitui vel ex vno *Iſocrate*, in *Archidamo*, *Panegyrico* et *Panathenaica*. *Romanos* de libertate vix vnquam aliter ſtatuiſſe videas, quam *vt eam ad ſe vnice ſpectare crederent;* alios populos, qui et ipſi liberi eſſe decreviſſent, cum iugum admittere nollent, armis in ſervitutem redigendi ius ſibi eſſe putarent. Nec aliter *reges*. Mithridates Aſiam a iugo Romanorum liberare ſe velle pronuntiauit, ſcilicet vt ipſe iugum regium ipſis imponeret; cui rei propter bella Romanorum ciuilia tempus valde opportunum eſſe putabat; in quo ille miſere falſus eſt, nam in *bello ciuili cum ſemel exarſere animi, multo maior eſt vindicandae libertatis ardor aduerſus exteros.* Ipſe rex paullo poſt, cum promiſſis ſuis fidem facere non poſſet, contra, belli neceſſitatibus vrgentibus, tributa imponeret ciuitatibus, ſumma omnium erga ſe odia concitauit, ſucceſſibus laetis regum aliorum inuidiam, ſiniſtris perfidam exultationem expertus; cumque rebus deſperatis ad ſocerum Tigranem confugiſſet, indigniſſimis ab eo modis acceptus

quantam malorum ſegetem inter homines ſeuerit, vel noſtrae aetatis exemplis edocti ſatis tenemus; neque de hoc plura dicere neceſſe eſt. Generis humani et *omnis humanitatis parricidae* iudicandi ſunt, qui nomen illud ſanctum ac venerabile, cum ipſa re, ſine qua nulla eſſe poteſt humanitas, nullus vitae vſus ac fructus, qua ademta ad pecorum vitam detrudimur, ſuo ſcelere ſuſpectum et inuiſum reddiderunt. Nec minus tamen lamentabilis humani generis conditio facta eſt opinione peſtilentiſſima, et omni humanitati infeſtiſſima, licere *bella ſuſcipere gloriae et potentiae augendae cauſſa*; magnificum et glorioſum eſſe, populos, quocunque nomine, debellaſſe, reges proſtrauiſſe, vrbes et prouincias vaſtaſſe et expilaſſe, aut in ditionem redegiſſe, imperii fines quouis modo protuliſſe.

Incredibile eſt, homines, qui ipſi libertate ſua, ac periculis pro ea ſuſceptis gloriabantur, aliorum libertatem putaſſe eſſe nullam, ſibique hoc permiſiſſe, vt omnes alios ſibi ſeruire, ſe ſolos liberos eſſe, aequum haberent. Nec minus improbabile dixeris, eum, qui iura ſua, bona, poſſeſſiones ſanctas et intactas aliorum cupiditate eſſe velit, et vel leuiſſimam iniuriae ſuſpicionem armis vlciſcatur, putare poſſe, ſibi ipſi licere aliorum poſſeſſiones vi et inſidiis aggredi, expugnare, expilare; atque tali

 latro-

acceptus cum auxiliis dimiſſus eſt, quae ad vltimam perniciem res accelerarent. Quanto melius ille ſibi conſuluerat, *ſi ingentes theſauros, quos cum maximis populorum ac terrarum vexationibus in bellum effuderat, ad firmandos regni fines et apparatus idoneos prouidendos prouinciasque viris copiisque inſtruendas adhibuiſſet.*

latrocinio victoris et herois faſtum et nomen ſibi imponere. Enimuero multo magis inſanierunt ii, qui in annalibus et hiſtoriis horum hominum ac populorum facinora, aeterna deteſtatione digna, ſummis cum laudibus enarrarunt. Hoc illud eſt, quod *in veterum ſcriptorum lectione* ſubinde bilem mouet, cum non vulgares modo, verum etiam eos ſcriptores, qui bonis litteris et philoſophia exculti erant, deteſtanda conſilia et facinora in opprimendis exteris tanquam praeclare facta extollere videas *d*). Quamdiu hominum animis talis opinio inſederit, in aprico eſt, nullam felicitatem ſtabilem ac tutam eſſe poſſe. Diutiſſime tamen, multis iam barbariei monſtris expugnatis, haec ſuperfuit perſuaſio, non efflorescere regna niſi nouis prouinciis adiectis, nec inclareſcere magnos viros, niſi terrarum vaſtationibus hominumque caedibus; *ſero*, inquam, (Horatii iſta huc deflectamus,) *horridus ille defluxit numerus Saturnius, et graue virus munditiae pepulere; ſed in longum tamen aeuum manſerunt hodieque manent veſtigia ruris.*

Neque *melior philoſophia et ſanctior chriſtianorum* in bellis inferendis ac gerendis multa mutauit; cuius praeceptis ſi obtemperarent homines, bella omnino eſſent proſcripta, vt ſaltem non niſi ad iniurias propulſandas arma capere liceret. Enimvero callida interpretatione ſublatum ex Chriſti diſciplina id ipſum cum aliis, quae vtilitatibus ſcilicet publicis priuatiſue obeſſe poſſent. Quae in bellorum

d) Hac de cauſſa, quando Carolum XII. Sueciae regem audierat Curtii lectione ad bella ferenda incenſum fuiſſe, bonum factum! dixit aliquis, quod Curtius haud facile potentum hominum manibus teritur.

rum gerendorum ratione aetas mutauit, aut *neceſſitas*, aut *utilitas*, pleraque *vitae melior cultus a bonis litteris profectus*, ſuaſit. Atque haec illa ſunt, quae bellorum internecinorum opportunitates hominibus eripuerunt. Supereſt enim in multis ſatis immanitatis, vt internecione deletum eſſe velint quicquid detrectat imperium, opinionesque, quas ipſi imbiberunt, reſpuit; retundunt tamen impetum multa, quae cum arte noſtra bellandi, cum imperiorum natura, copiis, opibus, cum belli apparatibus, qui multo maiores quam olim ſunt, cum hominum ingeniis, cum ipſo *vitae cultu* ſunt coniuncta; in quo omnino praeſentiſſimum eſt malorum remedium; quandoquidem ille non vno ictu ac momento, nec vbique per omnem terrarum orbem eripi et euelli poteſt. Fac enim multis locis omnem vitae et ingeniorum lucem extinctam eſſe, manebunt terrae aliae vnde nouae ingeniis faces ſuggerentur. Itaque humanitatis ſenſus, e communi ac publica populorum inſtitutione, moribus Europae et ingeniorum expolitione ſuſceptus, pudor et verecundia, aliquantum imbuit ac perfudit eorum animos, qui bellis decernendis et adminiſtrandis praeſunt, vt barbarorum immanitatem in vitam noſtram inducere ſibique tantum apud omnes bonos et poſteros dedecus relinquere nolint; ipſi duces et adminiſtri bellorum gerendorum ita educati eoque vitae ingeniorumque cultu imbuti ſunt, vt a tali barbarie non minus abhorreant; inprimis cum ſuperſtitioſae pietatis perſuaſio non vt ſuperioribus aetatibus animos ad crudelitatem inflectat. Cum porro bella gerantur per milites ſtipendiis, quae tributis et

 vecti-

vectigalibus ciuium colligi neceſſe eſt, conductos, eosque diſciplina militari habitos: non ea irarum ſaeuitia inflammari poſſunt animi, qua inter barbaros exercitus, in quos integri populi confluxerant, victus certaeque ſedis inopia ad vltima experienda adacti ita, vt caedibus rapiniſque ſibi victum quaererent; nec vero ſaniores ac prudentiores optabile eſſe putabunt, vt plebe ad arma concitata bella iterum gerantur; nolent enim hac arte viam ad labefactanda et euertenda imperia patefieri; id quod omnes boni curis ſecundis ac melioribus facile perſpectum habebunt. Ipſa conſiliorum prudentia bella nimium protracta admittere nequit: multo minus ſi cum hoſte bellum ducitur, qui non magis bellandi, quam arte opes et copias, vel omni ſcelerum genere admiſſo, parandi, ac virtute in furorem verſa, valeat. Quod igitur ipſa ratio dictat, bella non eſſe debere aut poſſe ſempiterna, id ipſa vtilitas ac neceſſitas iubere ac ſancire videtur.

Reſtat vt *varia bellorum internecinorum genera* eorumque *effectus* et *euentus*, quod polliciti ſumus, *exemplis antiquitatis* illuſtremus; licebit autem defungi pauciſſimis. Et de *barbarorum* quidem bellis internecinis multa dicere, neceſſe non eſt; expediuntur illa plerumque effuſa copiarum multitudine, cui reſiſti nequit, praecipue ſi adoriuntur populum viribus inualidis, in regno male adminiſtrato, tributis et exactionibus vexatum, re militari neglecta, potentum ſuperbia oppreſſum. Inprimis peccatur in hoc, quod non primo ſtatim tumultu ad communia conſilia deſcendere ſolent populi, vt

in

in ipſis finibus coniunctis viribus occurrant; ſed cunctantur ii, qui extra periculi aleam ſe poſitos eſſe putant, donec ceteris profligatis ipſi facilis praeda ſint barbaris ceterorum ſtrage nouas vires animosque adeptis. At barbari, cum praedae agendae aut nouarum ſedium quaerendarum cauſſa profecti ſint, non niſi excidio et internecione eorum, quorum terras inuaſerunt, eas tenere poſſunt; mox etiam, cum nulli nouo terrarum, quas inſederunt, cultui vacent, victus inopia ad vicinas terras procedere neceſſe habent; donec alia opportune eueniant, quibus ad meliorem vitae cultum in terris, quas occupauerunt, progrediantur. Poteſt autem fieri quoque, vt mitiſſimi et humanitatis cultu expoliti populi iterum *ad barbariem redeant*, modo per dominorum mollitiem et ignauiam, cum vanitate, oſtentatione, victoriarum maxime, et luxu coniunctam, modo per intolerabiles exactiones, prauitatem conſiliorum et adminiſtrorum auaritiam et libidinem. Ita paſſim inprimis per Aſiam, relictis agris, qui cum fructu coli nequeunt, mox et vrbibus, *in montium inacceſſorum iuga et ſiluarum ſolitudines* ſe recipere ſolent homines, paſcendisque gregibus aegre vitam ſuſtinent; vnde cum victus non ſuppetat multitudini, *latrociniis et praedationibus* vicinos campos infeſtant, tandem viribus auctis arma inferunt *ipſis imperiis*, quae exitioſa dominatione tanquam peſte ac tabe confecta mox iisdem ſuccumbunt. Ab iis, qui dominantium ſuperbia et ſaeuitia e ſedibus ſuis expulſi fuerant, iris et odiis internecinis nunc ſaeuiri nemo mirabitur: inprimis, cum occiſorum terris fortunisque victores inhient. Non

facile

facile eſt vlla magna rerum inter barbaros populos conuerſio, quae non ab eiusmodi populis, et his imperiorum vitiis, profecta ſit, quibus toties gentis humanae ad humanitatem matureſcentis incrementa iterum ſublata ſunt aut retardata.

Nec minus crudeliter ſaeuitum eſt a Graecis, quoties ii, qui *nouas ſedes* quaererent, inuaderent *terras iam a ſuis cultoribus poſſeſſas;* veteres enim colonos trucidarunt, pueros feminasque in ſeruitutem redegerunt, interdum omnem ſtirpem exſciderunt. Cuius barbariei quam ſupra iam attigimus, exempla multa in hiſtoriis proſtant, vt in Ionum coloniis per oram Aſiae maritimam condendis. Idem barbari e terris borealibus ſaepe facere auſi; et Hiſpani in inſulis Americae terrisque quas adierunt; nec diſſimilis fuit, quam iam commemorauimus, Hebraeorum barbaries in Palaeſtina occupanda; cui parem multis ſaeculis poſt experti ſunt ipſi, cum a Romanis ad internecionem gens exciſa eſt.

Haud raro tamen *iis ipſis, qui nouas ſedes quaererent*, haec immanitas exitio fuit, cum ab iis, quorum ſedes poſſeſſiones que adorti erant, ſtrage facta profligarentur aut internecione delerentur. Atque hoc eſt forte genus *belli internecini* vnicum, quod *cauſſam* habere videatur *iuſtam*, ſi ſuſcipitur aduerſus *populorum barbarorum examina* nullis certis ſedibus vagantium adeoque rapinis et caedibus viventium. Vix enim illi ad priſcas ſuas ſedes redire aut volent aut poterunt; neque, etſi recepti, facile meliori cultui et imperio adſueſcunt. Itaque Romani imperatores, qui barbarorum agminibus ingruen-

gruentibus prouincias ad Danubium et ad Rhenum habitandas aſſignauerant, eos ipſos viſi ſunt in imperii viſcera recipere, a quibus mox ſpiritus vitalis interclusus fuit. Sapientius ſibi conſuluerant eorum maiores, qui Gallos Apenninis traiectis nouas ſedes quaerentes, mox Cimbros et Teutones, internecione deleuerunt; nihil enim aliud barbari agebant, quam vt Romanis deletis ipſi excultos eorum agros tenerent.

Diuerſa fuit cauſſa Graecorum et Romanorum, quando *barbaris in finibus tranquille agentibus* ſigna intulerunt, vt inde triumphorum materiem quaererent regnique fines proferrent, ſeu metum et incertam barbarorum fidem iactitantes, ſeu humanitatis cultum, leges, iura, religiones, iis inferre ſimulantes, prouocando quoque ad exempla Herculis et Theſei *e*): quaſi iniuſtitiae praeſidia ſint in exemplis heroum et patriarcharum. Nam iisdem nominibus et artibus vſi ſunt veteres, quibus Franci, cum ſub Ludouicis regibus viuerent, et Hiſpani, cum falſarum religionum tanquam reos, poenis et ſuppliciis addicerent populos, et igni ferroque in eos ſaeuirent. Quanto melius Yncae Peruanorum inſtitutione et artibus ad meliorem vitae cultum barbaros, prauisque religionibus corruptos ad humaniorem doctrinam, adduxerunt!

Similia bellis cum barbaris geſtis paullo ante memoratis fuere bella *Carthaginienſium cum mercenariis militibus*, et *Romanorum* cum *gladiatoribus* et cum *fugiti-*

e) πρόφασις οὐκ ἄδοξος ἐπὶ ταῦτα τῆς πλεονεξίας, ἡμερῶσαι τὰ βαρβαρικά. Plutarch. Pomp. p. 656. E.

Digitized by Google

ſugitiuis geſta; nata quidem per iniuſtitiam et imprudentiam eorum, quibus vltimum exitium illa minata ſunt; cum eo tamen hoſte debellanda, quem ad internecionem delere neceſſe erat, cum poenitentiae locus nullus eſſet relictus. Referas quoque huc *bellum piraticum:* in quo tamen Pompeius humanitatis non immemor fuit, namque captos ad XX millia noluit occidere, verum, vt eos conſuetudine hominum locorumque et vitae mutatione manſuefaceret, a mari in continentem tranſtulit et vrbes agroſque colere iuſſit. Neque habuere Romani, cur conſilii poeniteret.

Inter bella maxime deteſtanda fuit *bellum Phocenſe*, *ſacrum* quoque dictum, cum internecione Phocenſium debellatum; quod eum effectum habuit, vt omnis Graecia libertatem amitteret; tam parum futura prouiderant homines, qui, poſtquam intolerabilia Phocenſibus imperauerant, his, rebus deſperatis arma ſumentibus, et, vt ſumtus in bellum ſuppeterent, templum Delphicum occupantibus, religionis violatae poenas ſanguine et caedibus expoſcendi ſibi ius et fas eſſe putarunt. Obtulit ſe cauſſae ducem Philippus, Macedoniae rex; acceptus ille a Graecis tam male credulis et ſtolidis, vt autumarent, *regem publicae Graecorum vtilitatis cauſſa* copias eſſe educturum, ſumtum in bellum facturum; quod a regiis artibus nemo ſanus expectare poterat. *Incredibile*, ait Iuſtinus (VIII, 2, 5), *quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriae dedit; illum vindicem ſacrilegii, illum vltorem religionum; quod* (ſic illi iactabant) *orbis viribus expiari debuit*, eius ſceleris *ſolum, qui piacula exigeret, extitiſſe. Dignum itaque,*

qui

qui diis proximus haberetur, per quem deorum maieſtas vindicata ſit. Ergo Graeci odio Phocenſium, tanquam omnes religiones euertentium, ardentes, obliti cladium ſuarum, quas Philippus antea intulerat, *perire ipſi quam non perdere eos praeoptarunt, expertamque Philippi crudelitatem pati, quam parcere hoſtibus, maluerunt.* Adiere Philippum Phocenſium legati bellum deprecantes, cuius clam a Philippo dilationem ter iam emerant; contra Graecarum ciuitatum legati, ad clientum adulationes prolapſi, bellum rogant. *Et haec potiſſimum facere Thebanos Lacedaemoniosque* indignareris, *antea inter ſe imperii, nunc gratiae imperantis aemulos. Philippus inter haec venditatione gloriae ſuae, tantarum vrbium faſtidia agitat, atque, vtros potius dignetur, aeſtimat. Secreto igitur auditis vtrisque legationibus, his veniam belli pollicetur, iureiurando adactis, reſponſum nemini prodituros; illis contra, venturum ſe auxiliumque laturum. Sic variato reſponſo, ſecuris omnibus, Thermopylarum anguſtias occupat.* — Quid multa? *Phocenſes, victi neceſſitate, pacta ſalute ſe dediderunt. Sed pactio eius fidei fuit, cuius ante fuerat deprecati belli promiſſio. Igitur caeduntur paſſim rapiunturque.* — At ſemel nunc intra Graecicae fines receptus Philippus fraudibus, dolis, inſidiis, mox vrbium direptionibus, armorum terroribus, tandem armis illatis, *eos, a quibus ad ſocianda in populares arma arceſſitus fuerat, ipſe dominatione opprimit,* libertate priuat. Hic exitus belli internecini cum alterius partis excidio, alterius ſeruitute.

Internecinum bellum fuit *Punicum tertium*; cum in ſuperioribus, ipſo Annibale profitente (Liv. XXII,

XXII, 58) de dignitate atque imperio eſſet certatum, nunc Poenis decertandum fuit de ſalute. Nihil iſto bello iniuſtius fuit, cum nulla iniuria prouocaſſent Romanos, contra, vt a ſe belli molem amouerent, iniquiſſimis poſtulatis ſatisfacerent Poeni; nec haberent Romani quod conqueri poſſent, niſi quod iterum Poeni effloruiſſent opibus, quae illis periculoſae aliquando eſſe poſſent. Diutius quoque omnem Romanorum virtutem et opes aut eluſuri aut ſuſtenturi fuiſſent Poeni, niſi fraude illecti ad pactiones deſcendiſſent, quibus perfidus Romanus eos armis et apparatibus belli ſpoliauit. At *Romani* hoc Carthaginis excidio *proluſerunt excidio ſuo;* auctis enim inde in immenſum potentum opibus, licentia plebis affrenata, qua ad remp., nobilium ambitione et cupiditate labefactatam, euertendam pauci vtebantur, factionum certaminibus omnia miſcentibus, res nouae ac motus ciuiles per LX annos, ex his bella ciuilia per alios LX annos inſequuta ſunt, nec finita niſi nobiliſſimis familiis aut extinctis aut opum copiarumque ſplendore priuatis, peſſimis quibus que ad ſummos honores euectis, plebe principis ſatellitum iniuriis obnoxia, ciuium omnino amiſſa libertate.

Ita multa alia bella geſſerunt Romani cum populis, quos, iniuſtis armis ad deditionem adactos, mox, cum iniuriis et vexationibus exaſperati ad arma ii ruerent, tanquam *rebelles* bello adorti internecione deleuerunt. Eſt haec illa humani generis fortuna omnium miſerrima, quod is, qui vim iniuſtam pati noluit, ab iniuſto domino contumaciae aut perfidiae poena dignus habetur. Ita Romani inter-

Digitized by Google

internecinum in Iudaeos bellum mouerunt, quoniam hi, per praeſidum ac procuratorum auaritiam et iniuriam extrema iam paſſi, maluere armis extrema experiri. Taedet pigetque ſeruatorum ſtudiis noſtris annalium, vix alia, quam iniurias populorum aut factas aut toleratas, narrantium. Verbo: meliora expectamus tempora; ea, quam adhuc habemus, generis humani hiſtoria, *inhumanitatis* eſt *hiſtoria.* Vix vnum et alterum in hiſtoricis libris verſum reperias, in quo humanitatis notitiam aliquam tradi videas.

Secundum haec, quae expoſita ſunt, rite conſideratis omnibus, etiam in hoc rerum genere verum eſſe conſtabit illud vulgare: *nihil eſſe* ſeu publice ſeu priuatim *vere vtile,* nec quidquam firmum ac ſtabile, *niſi quod ſit cum iuſtitia coniunctum, iuſtitiam* autem vere nomine dignam *nullam* eſſe *ſine humanitate;* exercetur enim iuſtitia cum maxime *ab hominibus erga homines.* Mirum itaque eſſe nequit, nullum a Romanis aut alio populo crudelitatis exemplum editum eſſe *quod non in ipſorum damnum et exitium verterit.* Sane fortuna belli internecini dubia eſſe non poteſt, ſi opes alterius populi ſunt praeualentes; ii enim qui imparibus viribus, praecipue nulla rei militaris ſcientia inſtructi, armis congreſſi ſunt, etſi cauſſa iuſta, non tamen, vt cauſſa, ita et armis vincere poſſunt. Etenim vt inter animantia a natura conſtitutum eſt, vt vis maior ſit ſuperior, ita in rebus humanis decretum eſt, vt, quoties homines a iure et ratione ad ſtatum naturae redeunt, non ius vincat, ſed vis. Attamen cum his ipſis etiam ita conſtitutum eſt, vt

inferiores viribus poſſint magna mala inferre validioribus, vel cum ſuo ipſorum interitu. Itaque clementia vbique vtilior erit populis. Porro autem rerum humanarum natura et ordo nexusque ita fert, vt oppreſſis remotisque aemulis, virtus langueſcat, in luxum, licentiam ac libidinem, diſſoluatur; animi ſuperbia et arrogantia ferocientes iniuriis et inſolentibus dictis factisque aliorum, etiam amicorum ſociorumque, odia prouocent, proludantque adeo iis temporibus, quibus ipſi ab opum et potentiae faſtigio deiecti aliorum ſeu miſerationi ſint, ſeu contemtui. Sin vero *pares viribus* animisque congreſſi ſunt, multo magis, ſi alter pro aris et focis, de libertate et ſalute, decertat: in magno diſcrimine vterque populus verſatur, et hiſtoriarum monumenta docent, aut vtrumque diuturna lucta exhauſtum ſuperuenienti hoſti facilem factam eſſe praedam; aut altero victo alterum ita eſſe confectum ac proſtratum, vt priſtinas vires haud facile recuperet, et paullo poſt ipſe hoſti victo miſerationi ſit.

Vnum ſupereſt *belli internecini* genus omnium bellorum atrociſſimum et infeſtiſſimum, *bellum ciuile*; quippe quo, ipſa rerum nouarum neceſſitate, per mutuas iniurias incenſis animis, poſſeſſionibus ab aliis ad alios translatis, nouis tabulis factis, nouis iuribus legibusque conſtitutis, quae aut iura omnium aut alterius factionis tollunt, eo res adduci neceſſe eſt, vt nemini non de libertate et ſalute ſit pugnandum; neque vllus rerum exitus eſſe poſſit, niſi altera factione funditus ſublata; nullus veniae locus, nulla fides, nulla ſecuritas. Neque alium

bello-

bellorum ciuilium exitum vidit aut Roma, aut recentior aetas, vti per Italiae ciuitates liberas ſuperioribus ſaeculis. Huic itaque vnicum remedium eſt, vt mature occurratur; ſin ſemel exarſerit, incendium exſtingui nequit niſi omni materia, qua ali illud poſſit, conſumta, alteraque, plerumque vtraque factione, exciſa ac deleta. Occurri autem poteſt mature, eadem omnis ſalutis et felicitatis parente, duce et moderatice, *iuſtitia*, cum *animi moderatione* piiſſima ſorore, coniuncta, in conſilium adhibita; reſtituto ſuo cuique iure, ſine aliorum tamen iniuria; abrogatis aut circumſcriptis iis, quae in paucorum vtilitatem cum totius reip aut multitudinis calamitate aetas longa, maiorum fraus vel ſocordia, intulit, vt tamen moris longo tempore in ius verſi ratio habeatur; quae fieri rite nequeunt, niſi de ſuo quisque iure aliquid concedat; differunt mala non tollunt, qui, nouis veteres iniurias cumulando, populos ſine ſua ipſorum noxa in obſequio teneri poſſe putant. Exemplum in hanc rem propoſitum eſt in maioribus noſtris *Chaucis*, quod ſi non vtilitate et bonitate, ſaltem auctoritate ſua vtinam animos multorum permoueat! apponamus locum Taciti valde memorabilem, etſi multis ex vobis, Ciues, ſatis notum: "*Tam immenſum*, inquit, (c. 35. Germaniae) *terrarum ſpatium non tenent tantum Chauci, ſed et implent; populus inter Germanos nobiliſſimus*, quique magnitudinem ſuam malit iuſtitia tueri. Sine cupiditate, ſine impotentia, quieti ſecretique, nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur; *idque praecipuum virtutis ac virium argumentum eſt*, quod, vt ſuperiores agant,

 non

Digitized by Google

non per iniurias aſſequuntur. *Promta tamen omnibus arma, ac, ſi res poſtulat exercitus, plurimum virorum equorumque;* et quieſcentibus eadem fama."

Vnum adhuc eſt, quod ſub finem huius commentationis animaduertere iuuat. Si bellorum ciuilium, proſcriptionum et immaniſſimorum facinorum hiſtorias perluſtres: memorabile eſſe inuenies, quod in mediis his aeſtibus ac furoribus ciuilibus ac domeſticis virtus erga hoſtes exteros non fuit remiſſior. Roma a Mario et Cinna occupata caedibus et rapinis vaſtabatur; conſulares et nobiliſſimi e Senatu necabantur aut fugabantur: dum interea exercitus Romani pro republica, quae nulla tum erat, acerrime pugnabant aduerſus Mithridatis copias; recuperata eſt Graecia, et coactus hoſtis conditiones pacis impoſitas accipere. Interea, dum de pace agebatur, Dardani, Scordiſci, Dalmatae, Moeſi, debellati. Ita Sulla victor in Italiam rediit ad bellum ciuile profligandum. Pugnatum eſt multis praeliis, magnis animis; magnae factae ſtrages; nec niſi Marianarum partium internecione bellum finitum.

Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magiſtra vitae, nuntia vetuſtatis. Cic. de Or. II, 9.

PP. in Georgia Auguſta pr. Kal. Aug. cIɔIɔccxcIv.

XXVII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. FRID. SCHLEVSNER D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IO. PETRVM WALDECK D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSA
COMMENDAT
IN A. D. II. MART. CIƆIƆCCXCV.

Exulum reditus in patriam ex Graecis Romaniſque hiſtoriis enotati.

Belli calamitatibus tam late graſſantibus, vt etiam finibus noſtris immineant, nos, Ciues, ad hunc vsque diem tam propitia fortuna vti, vt ſtudiis noſtris curisque vacare poſſimus, eſt ſane quod religioſos pioſque animi ſenſus excitare et ad gratam numinis O. M. venerationem inflammare poſſit; hancque fortunam vt nobis ſeruet ac perpetuet deus, vota ſuſcipientur, preceſque piae fient in iis ſollennibus, quae hac ipſa tabula in craſtinum diem indicimus.

 Pro-

Digitized by Google

Properante enim ad finem ſemeſtri ſpatio in magiſtratus academici Vices ſuccedet Collega ICtiſſimus

IO. PETRVS WALDECK, D.

quem cum ipſum Iurisconſulti nomen et profeſſio ad iuſti aequique obſeruantiam obligatum obſtrictumque arguat, ſtudium autem veſtrarum vtilitatum et commodorum, Ciues, ad diligentiam et fidem in legibus ſeruandis tuendisque multo magis incitaturum ſit: non tamen ille alienum a ſe eſſe putabit, vt diſciplinae ſeueritatem paterna temperet indulgentia, nihilque remittendo de legum praeſcriptis libertati cum honeſtatis ſenſu liberali coniunctae nihil detrahat. Vos modo id agite, vt veſtrae felicitati conſulatis ipſi. Felices vos, quorum anni in meliora ſeruantur tempora! quorum aetas attingere poteſt exitus, ſi non ſecundos et optatos, exitus tamen perplexarum rerum, fortunarum et caſuum, in quos Europae regna coniecere tot cauſſae, quarum tamen et ſationem et prouentum et fructus teterrimos prudentiſſimus quisque a multis inde annis facile praeuiderat. *Quem* tamen tum *vates Caſſandra moueret!* Malis mala remedia, plerumque ipſis malis peiora, adhiberi vidimus. Quanta rerum documenta, quae experimenta, ex praeſenti rerum temporumque perturbatione ac tumultu vos capere et ad vitam publicam priuatamque transferre poteſtis! Quam infeſta publicae priuataeque rei peſtis ſit luxus improbus, profuſio opum inconſulta exemplis ab aulis et palatiis, diuitum nobiliumque domibus, ad ceteros ordines manantibus; ex luxurie nata indigentia; vitae animorumque mollitie fracta et effeminata iuuentus, ſenectutis inertia, rerum agen-

Digitized by Google

agendarum inſcitia, grauiorum ſtudiorum neglectus, et verſae ad ludicra et muliebria ſtudia curae, tot tantisque exemplis docent vos tempora, quibus viuitis, vt fieri vix poſſit, quin ad ipſum vitae actum reuocetis conſilia meliora, quae et ipſae res, et vita, et boni prudentesque viri ante oculos ponunt, animisque veſtris inculcant. Non potuiſſet florentiſſimum opibus copiisque regnum ad exitum praeceps ruere, ſi homines, qui nullam niſi ſanguinis nobilitatem iactabant, bonis litteris imbuti bene de rep. mereri et meritis virtutumque documentis editis aditum ad ſummos ſibi honores parare maluiſſent, quam in ſumma bonorum ſtudiorum ignoratione induſtriae et virtutis praemia ſtirpis ſuae nobilitati mancipare. Ipſe rex, omni aulicorum grege melior et honeſtior, non potuiſſet ſceleſtorum hominum fraudibus circumuentus regno exui, niſi eius ſtudio et voluntati non modo defuiſſent nobilium prouida conſilia, hominum rerumque vſus et animorum moderatio ac virtus, verum etiam obfuiſſet nobilium incredibilis rerum agendarum ignoratio, prauarum artium aulicarum ad res regni peragendas grauiſſimas translatarum ineptiae, ambitionis et vanitatis certamina feminarum ingeniis digna. Ad humanitatis autem ſenſum, quo omnis virtus animi ſanior, erectior generoſiorque indoles, vitae cultus, elegantia vera ac dignitas continetur; ad hunc, inquam, ſenſum excitandum acuendumque imisque praecordiis infigendum, quot et quanta haec aetas offert oculis animisque exempla, quantarum miſeriarum et calamitatum! hominum e patria ſua exulantium, inter quos multi ſunt, quibus pro virtutis, fidei et con-

conſtantiae praemio omnium aliarum terrarum exilia irrogata ſunt! pro quibus cum arma ſumta ſint, ipſis interdictum eſt hoſpitio, aqua et igni, amiciſſimorum hominum! ipſi eiecti, miſeri, egentes, errant hoſpitio excluſi quod nec iumentis negatur! Vidimus quoque varia exulum genera, alia aliis ſuccedentia, etiam ex iis, qui ſe dediderant et in fidem recepti erant. Quanta rerum monſtra peperit temporum rerumque neceſſitas! quam vtinam ne opulenti et locupletes cauſſentur ſuaeque auaritiae praetexant! quin eam potius ad priuatorum ſenſus mouendos tanto acriores habituram eſſe ſtimulos miſerationis et beneuolentiae humano ſatu dignae ominamur.

Cum ingenuis animis indignum haud eſſe videatur, malorum praeſentium ſi non remedia, ſolatia ſaltem, quaerere in generis humani annalibus; etſi enim miſerum, eſt tamen ſolatium, videre in hac mortalium conditione iisdem malis laboraſſe vt noſtras, ſic veteres aetates; quaerere libuit, num priſtina ſimilis fortunae exempla ſpem aliquam felicioris ſortis ac fortunae oſtendant, et caſus inexpectatos euentusque proſperos ante oculos ponant, quibus erigi poſſit animus ad ſpem bonam et fiduciam. Nihil enim eſt, quod priuatos homines vetet humanitatis ſenſu et miſeratione moueri tot virorum omni virtutis ingeniique praeſtantia ſe commendantium, beneuolentiam fidem officiumque noſtrum meritis ſuis caſibusque extorquentium; quanto magis ſi ad cogitationem ſimilis fortunae, nec a ſe alienae, tacitam aliquis deſcenderit.

Cum

Cum *exulum* et *exiliorum* tam varia ſit acceptio: ante omnia conſtituenda erit notio, in qua noſtra ſe continet diſputatio. Spectat autem ad nos id genus, *cum per factiones aut rerum in ciuitate conuerſionem ſeu vi expelluntur ciues, ſeu, dum metuendum ſibi eſſe vident vel credunt, fuga ſalutem quaerunt.* Ita intelligitur, in omni ciuitatum et imperiorum genere exilia locum habere, in omni vitae ſocialis conditione; adeoque iam iis temporibus, quibus per familias, ſtirpes ac tribus viuebant homines, multos legimus ſuis familiis ac tribubus exulaſſe. Nolumus ex Hebraeorum annalibus exempla patriarcharum, quos vocant, commemorare, cum intra Graecas hiſtorias nobis ſubſiſtendum ſit. In mythis et hiſtoriis heroicae vitae, ne iam commemoremus eos, qui caedis improuide vel inconſulto factae cauſſa exularunt, multi paſſim memorantur exulare iuſſi a ſuis tribulibus, aut paterna domo eiecti, vt Teucer a Telamone patre *a*), aut a ciuibus, vt Theſeus. *Priuatus vrbe Theſeus eſt, quam condidit!* Quorum fortuna, aerumnae, caſus multis fabulis tragicis argumenta ſeuerunt. Memorantur porro exilia regum, exilia totarum ſtirpium, vt Achaei ſuis ſedibus eiecti fuere a Doribus, et populorum, qui captiui in alias terras migrare ſunt iuſſi. At ſacrorum et religionum cauſſa exilia nulla viderunt tempora priſca; ſeruatum tale flagitium iis temporibus, quibus, ſi ſana mens defuiſſet, melior

a) *Ob ſegnitiam non vindicatae fratris* (*Aiacis*) *iniuriae* vt Vellej. pr. At variis modis rem ornarant alii: vt vel e Servio conſtat ad Aen. I, 619. et Excurſ. XXIII. add. Horat. I, 7, 21.

vtique Chriſti doctrina a tali atrocitate animos hominum auocare poterat. Contra quot tyrannorum exilia, (Dionyſium ludi magiſtrum Corinthi facile quilibet in animum reuocat) quot regum memorat antiquitas! nam ad recentiora tempora procedere nolumus, ne in recentiſſimum exemplum regis exulis et in cuſtodia habiti incidamus. Vidit quoque aetas noſtra nouum exulum genus, qui rege, cui fidem iuratam fallere nolebant, deſerto, ipſi fugerunt, et extra fines patrios et ſuam et regis ſalutem melius tueri ſe poſſe putauerunt; qui iidem mox multo pluribus verecundiam et neceſſitatem iniecerunt, vt et ipſi ſedibus ſuis relictis conſilium inominatum inuiti ſequerentur; ſeruientium mox loco habiti, neglecti ac deſerti ab iis ipſis, quorum fortunam ſequuti erant. Proprio tamen aliquo modo ac more exilia frequentari ſolent *in ciuitatibus liberis*, quae, in voluntatum libertate et varietate, diſſidiis, odiis et factionibus, opportunitatem faciunt, ſiue respublica ſub principe, ſiue ſub magiſtratibus habeatur, ſiue populari conſilio regatur. Quo in genere rerum publicarum Graecia adoleuit, magno cum humanitatis per omnes aetates beneficio; quemadmodum credere licet ad cautionem et tarditatem in mutanda ciuitatum et regnorum forma et ſtatu aetatem noſtram magna poſteris documenta daturam eſſe; cum enim aliis in terris non niſi ſub regum dominatione populi haberentur, tali autem vita, cum temporum hominumque barbarie coniuncta, (id quod etiamnum Aſiae Africaeque infauſta ſors et conditio docet) nunquam notiones ſubtiliores et iudicia recta et ſana de populorum iuribus ſumma-

ſummaque rerum legibus inſtitutisque recte conſtituenda animis aut ſubnaſci aut in lucem efferri poſſint, adeoque neceſſe ſit, idem prauum corruptumque dominationis genus, niſi aliunde remedium obtigerit, per omnia ſaecula durare: Graecia ſola alias ciuitatum regendarum vices ac modos eſt experta. Itaque per omnes Graeciae hiſtorias multa ſunt exiliorum exempla, multi memorantur fugati, expulſi, ſolum mutantes; inprimis cum in iisdem ciuitatibus liberis, quod etiam per Siciliam, Italiam et Romae factum videmus, pro poena grauiſſima legibus irrogari ſoleret exilium. Verum factionum exilia, de quibus nunc potiſſimum agitur, tanto crebriora et frequentiora erant, quo magis ciuitatum conſtituendarum rationes, experiundo tum primum et alias ex aliis adſciſcendo, certis nondum notionibus, principiis ac praeceptis repertis, explorabantur magis, quam ſciſcebantur. Saepe itaque mutatas eſſe voluntates hominum nemo mirabitur, multo minus, ſi, in tanta libertate quos fluctus hominum ſtudia, odia, animorum affectus, mouere debuerint, reputauerit. Mutato itaque toties reip. ſtatu cum diuerſas quisque partes pro ordinis ſui, familiae, vitae, vtilitate ac dignitate tueretur, irae et odia mutua exaſperabant animos, ita vt ii, qui ſe cauſſa inferiores factos viderent, cum recipere nollent ea, quae ipſi non probaſſent, mallent e ciuitate excedere, aut, ſi pro ſuis decretis pugnarent, vi facta pellerentur. Ita ſucceſſerunt interdum exilia alia aliis, diuerſis factionibus rerum potitis, multoque magis ſi ad vnum aliquem, quem tyranni nomine deſignare ſolebat Graecia, rerum

ſumma

ſumma perueniſſet. Acerbior autem alia aliorum fortuna fuit in eo, quod aliis ſuas fortunas et familiam ſecum absportare licuerat, alii inopes et nudi fugiebant. Exilium tamen omne per ſe erat grauiſſima calamitas, multo magis quam noſtra in vita, quia, cum Graecia per tribus, ſtirpes ac ciuitates ad certum ciuium numerum deſcriptas habitaretur, nusquam exul inter tribules aut ciues locum habere poterat; viuebat adeo, quascunque terras et vrbes adiiſſet, extorris, exul, ſaltem inquilinus (μέτοικος) qui, niſi ciuitatis ius conſequutus eſſet, nec ciuitatum iuribus nec honoribus frui poſſet, potentiorum adeo ſuperbiae et vulgi iniuriae eſſet obnoxius. Tum vero iſtis aetatibus reditus erant vulgo nulli niſi ex agris armentisque ac ſeruis; quibus ſi quis erat priuatus, non niſi mercenaria opera victum conſequi poterat; nam artium commercia et mutuae exportationes, aut quaeſtus faciendi innumera inuenta, quibus nunc victum quaerere licet, nondum illo tempore vigebant, quo ſeruilium manuum opera, quicquid nunc ingenui ſine ignominiae nota exercent, perficeretur.

Quae ſi animo tenueris, non miraberis exilia in ſummae calamitatis et miſeriae loco habita eſſe et tot extare ſcriptorum loca, quae exulum fortunam lamentantur, aut ex philoſophiae praeceptis ſolatia decantant *b*). Hinc ſummi iſti patriae amores ac

b) Plura fuere veterum ſcripta de exilio: e quibus *Teletis* Pythagorei et *Muſonii* Stoici ſuperſunt fragmenta ap. Stobaeum tit. XXXVIII. Ex his aliisque, inprimis e Crantore, quod Diſputationum Tuſculanarum comparatione intelligitur, congeſſiſſe videtur libellum de exilio

ac deſideria, noſtris quidem temporibus minus accommodata, quibus extra ſolum natale viuimus plerique, et quibus patria eſt vbi bene eſt. Expulere ſcilicet haec ipſa commerciorum inter gentes populosque incrementa magnum illud ſtudium ſoli natalis; et ſimul, inprimis in populis late habitantibus, et in magnis imperiis, *patriae amor* refrixit. Deficit itaque noſtrarum aetatum homines ad magnas res audendas, ad diſcrimina ſubeunda et mala toleranda, affectus animi et ſtimulus acerrimus, *patriae amor:* in cuius locum ſucceſſit interdum *amor principis*, alibi *popularium virtutis opinio*, interdum *vanitas;* plerisque, per tributa, vectigalia, delectus, omni miſeria oppreſſis, praeter *ſoli natalis amorem nihil* relictum, quod quidem aliquo cum affectu ament. Itaque fit, vt antiqua illa patriae amoris exempla plerumque vix animis aſſequi poſſimus, vt que mirentur multi ſi audiunt, ad animorum motus affectusque potentius praeter amorem patriae vix memorari poſſe aliud. Amorem illum patriae iam Homerus in Vlyſſe nobiliſſimis verſibus exhibuit: *Quin etiam patriae fumum ſi cernere poſſit, continuo ſapiens vitam exhalabit Vlyſſes.* Et idem *Cernere nil aliud*

exilio *Plutarchus*, cuius magna pars exſcripta eſt apud *Stobaeum*. Eſt quoque *Dionis* Orat. XIII. περὶ φυγῆς, ſed is diſputando ad omnia alia delabitur. Adde Senecae Conſolat. ad Helviam. E recentioribus notus eſt libellus *P. Alcyonii* a Menckenio recuſus. Sunt verſus nobiliſſimi Euripidis, quos omnes repetierunt. Phoeniſſ. 391 ſq. vbi 394 grauiſſimum eſt quod libertatem loquendi non habet exul: ἓν μὲν μέγιστον, οὐκ ἔχει παῤῥησίαν. Atqui hac non ſoli exules priuari ſolent; et omnibus aſſeſcendum eſt σιγᾶν ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν, ἵν' ἀσφαλές.

aliud patria iucundius ipſa ſe poſſe profitetur *c*). In ſolitudine enim et diſcidio, procul a ſuis, cariſſimorum ſe offerunt animo ſpecies, ſenſus iucundiſſimi et deſideria, etiam in rerum neceſſariarum affluentia; effluxere mente moleſta et grauia, ipſae iniuriae, odia et irae; ſaltem cum bonis, quibus careas, non videntur eſſe comparanda *d*). Cum his deſideriis, hac aegritudine, quae animorum in aduerſarios irae, quae odia, efferueſcere debuere! partium aduerſarum criminationes, execrationes, tandem ipſius patriae, qua quis ſe omni reditus ſpe priuatum eſſe videbat, deteſtationes, vltionis cupiditates, ſtudia et vltimo loco conſilia *e*). Quam paucos fuiſſe putabimus, qui animis fortunae habitum induerent, ſeque temporibus aptarent, aut ſapientiae praeceptis animum firmarent generoſisque iſtis Tragicorum ſententiis apud ſe locum relinquerent, quales ſunt: *Secum ſuas ferunt virtutes exules*, aut: *Exilium eſſe ibi putandum eſt, vbi virtuti deeſt locus.* Contra, quam multos, qui parum memores, ſe vtilitatibus ſuis, cupiditatibus et iniuriis nomen patriae et libertatis praetexuiſſe, nunc iris et odiis occaecati ipſam patriam interire mallent, quam ſe ea carere! qui adeo armis eam petentes, aut aliena in eam arma concitantes,

c) Odyſſ. A. 57. *αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι Ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται.* et Od. J. 34. *Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων Γίνεται* &c.

d) Praeclare hoc in Aeſchinis apud Rhodios exulantis Epiſt. V. p. 674 ed. Reisk. *καί μοι δήποτε καὶ λοιδορίαι, αἷς ἐλοιδορούμην ὑπὸ Δημοσθένους, ἥδισται δοκοῦσι, καὶ σκώμματα, ἐφ' οἷς οὐδεὶς, ἔξω Κτησιφῶντος, ἐγέλασέ ποτε.*

e) Bene haec ad communes ſenſus et affectus reuocauit Iſocrates de Bigis ex Alcibiadis iunioris perſona p. 349.

tantes, diſcordiae facem animis ſubiicientes, non reputarent, ſe in patriae viſcera ſaeuire, et victoriae vtrinque praemium propoſitum eſſe patriae excidium! Multos itaque legimus, in perniciem patriae conſpiraſſe, dumque eam ab aduerſa factione liberatum irent, in ſeruitutem detruſiſſe grauiſſimam, ſimulque ſuam ipſos libertatem amiſiſſe, egeſtate, miſeria, contumelia oppreſſos vixiſſe, vitam miſeram miſere finiiſſe. Non enim conſilia ab ira et odio ſuſcepta felicem exitum habere poſſunt. Atque haec fere fuit cauſſa, cur tentati exulum reditus vix vnquam bene ſucceſſerint; non enim a prudentia et moderatione illa proficiſcebantur, ſed a caeco animi impetu. Inprimis autem factionum auctores ac principes, opibus, nobilitate, copiis antea potentes, qui faſtu, iniuriis et contumeliis ciuium ſuorum iras et odia prouocauerant, ſibi ſolis iura nata putantes, alios omnes plorare iubentes, atque ſpiritus ſuperciliumque cum luxurie et perfidia etiam per exilia circumferentes, artibus fere his vti ſolebant, vt clandeſtinis machinationibus alerent iras et odia ciuium ſuarum partium, qui in vrbe remanſerant, diffidia et ſeditiones fouerent, adeoque, ne incendia, quae ipſi, dum in patria erant, excitaverant, reſtingui poſſent, ſedulo curarent; quibus rebus noua ſaniorum ciuium in eos odia concitari, ipſi ſceleſtorum et pernicioſorum hominum loco haberi, ſuppliciis deſignari. At iidem fidem aliarum ciuitatum aut regum implorare; quibus nihil iucundius et exoptatius euenire potuit, quam vt idoneas haberent opportunitates, aliena appetendi et occupandi, ex aliorum miſeriis creſcendi, opesque ſuas augendi,

Digitized by Google

augendi, imminutis et fractis aliorum fortunis. Ita multi armis infeſtis ciues ac populares ſunt aggreſſi et ſuis et alienis. Quid autem eſſe poteſt triſtius, quid atrocius, quam arma in patriam mouere; multoque magis ſi, alienis armis bello moto, domeſtica libertas externa ſeruitute petitur! Nam quoties conſequuti erant id, vt factionem aduerſam profligarent, ipſi pars ſeruientium erant; ſeruitutemque ſeruiebant tanto magis tetram ac diram, quod cum dedecore et humili obſequio ea erat coniuncta. Plerumque tamen talis quoque fortunae ſpe exciderunt! Innumeris per plures aetates exemplis ſpei temere conceptae et ſemper falſae non tamen deduci ſe ab ſtolida hac opinione paſſi exules Graeciam ſeditionibus, diſcordiis, bellis, exagitare haud vnquam ceſſarunt; Ingens ciuitatum numerus per eorum conſilia, proditiones, ſeditiones, internecioni et excidio fuit datus; incredibilis ſaeuitiae et immanitatis exempla in victos et captos exercita; multae vrbes cum tota pube deletae, nulli aetati nec ſexui parcendum eſſe viſum; et vix fuit vllum Graeciae bellum, quod non aut motum eſſet exulum iris et ſtudiis, aut non inflammatum et nutritum. Quibus tandem rebus tam parum ſibi ipſi conſuluere, vt, pro miſeratione fortunae, quam ſuadebat humanitas, iuſta omnium in ſe concitarent odia, vt, tanquam diris deuoti, omnium bonorum, et ciuium et hoſpitum, execratione haberentur; iis autem, quorum implorauerant fidem, deſpecti, mox moleſti, tandem inuiſi, cum deſtitutos ſe clamando, ira exardeſcendo, ſuperbe incuſando, aliorum iras concitarent, mox ipſi nouis exiliis inci-

incideren t. Ita diis hominibusque inuiſi miſeri illi miſere perire: quibus calamitatibus facile occurrere potuiſſent, ſi initio, cum in ciuitate ſua opibus valebant, moderata ſequi, minus cupide auare et arroganter cum ciuibus ſuis agere, interdum de iure ſuo paullulum decedere voluiſſent.

Quae modo expoſita ſunt, exemplis per totum hiſtoriarum decurſum perpetuis et innumeris illuſtrare in promtu eſſet, ſi ſcriptionis huius ratio et conſilium id admitteret. Commemorabimus nonnulla nobiliora. Erant inter Alcmaeonidas et Piſiſtratidas, genere vtrosque Athenis nobiliſſimos, acerrimae contentiones, non de patriae vtilitatibus, ſed, vt fit, de principatu. Superior tandem fuit Piſiſtratidarum factio; expulſi Alcmaeonidae. Volebant nunc videri hi noluiſſe ſocii ac participes eſſe tyrannidis, ſed malle exulare patria, quam ciues ſeruitute oppreſſos intueri (ap. Iſocrat. de Bigis p. 351 D.). Poſtea Alcmaeonidae nauata ad Piſiſtratidas eiiciendos opera redierunt, ipſi tamen, etſi optimates, et ſuperbia inflati, vt locum tuerentur, ad humiles artes deſcendere, plebi aſſentari, et populares partes amplectendo robur ſuae factioni quaerere haud ſunt cunctati. Cliſthenes, qui ex iis fuit, popularem ſtatum, bene a Solone temperatum, ad plebeiam licentiam primus deflexit; deteriora etiam ſequutus eſt Alcibiades. Omnino hoc omnium temporum hiſtoria docuit, exitioſiſſimos popularis licentiae fautores fuiſſe ex iis, qui optimates et ariſtocratiae nobilitatis que vindices acerrimi erant, aut videri volebant. Interea Iſagoras, vocato Cleomene Spar-

tanorum rege, Athenienſes adegit, vt Cliſthenem et Alcmaeonidas iterum eiicerent, ſimulque DCC familias relegarent; tum populus plura alia nouari ſentiens, factionem Iſagorae et Cleomenis vrbe expulit, arce occupata; et venia Spartanis exeundi data, reliquos ad mortem vinxere. Reuocato Cliſthene cum ceteris a Cleomene exactis aliquandiu Athenienſes quiete egerunt; et tum quidem, interponit Herodotus *f*), "manifeſtum factum eſſe, iuris aequabilitatem rem eſſe praeclaram; paucis enim annis, tantopere opibus creuiſſe Athenienſes, et virtute bellica valuiſſe, vt facile appareret, cum prius tanquam tyrannis inuiti operam praeſtitiſſent, nunc ſibi ipſi vnumquemque operam nauare et vtilitates communes parare properaſſe." Spartani nunc, Athenienſium fortunae inuidentes, Hippiam et Piſiſtratidas arceſſiuerunt, vt Athenas nouis turbis exagitarent; res tamen intra conatus ſubſtitit; Hippias autem in Aſiam apud Sigeum exulatum abiit, ibique cuncta agitauit, vt Perſarum animos in Athenienſes concitaret, omnemque operam dedit, vt patria in Darii veniret poteſtatem. Ita exaſperatis animis Athenienſes, occupandum eſſe bellum rati, claſſem Mileſiis aduerſus Perſas auxiliatum miſerunt; ab hac crematis Sardibus conflatum eſt bellum Medicum, quod maximas Graeciae calamitates intulit. Idem Hippias fuit, qui Perſas ad Marathonium campum deduxit; idemque poſtea moerore ſiue morte violenta obiit. Quanta malorum ſeges per exules reditum in patriam molientes ſubnata, quantus calamitatum prouentus et quam continuus, in reciſarum ſtirpium

f) Herod. V, 78. cum inde a c. 66. reliqua expoſuiſſet.

ſtirpium locum propullulantibus tanquam nouis ſurculis et viuiradicibus!

Ipſum bellum Peloponneſium, ſi ad primam originem redimus, per exules fuit concitatum. Epidamnus, ſeditionibus vexata, Corcyraeorum, a quibus condita erat, auxilio fruſtra implorato, ad Corinthios, quorum Corcyra colonia erat, confugerat. Eiecta Epidamno factio Corcyraeorum inuidiam concitat erga Corinthios, ſuccurrere alteri factioni auſos; ita ad arma res eſt deducta; cumque Corinthii re male geſta maiore cum apparatu bellum pararent, Corcyraei Athenienſes de ſuppetiis ferendis ſollicitant. Per haec tam tenuia exordia iacta ſunt ſemina belli Peloponneſii, quo per XXVIII annos protracto totius Graeciae ſtatus fuit concuſſus, libertas labefactata,. multarum ciuitatum fortunae euerſae. Quibus exemplis patet, quantopere ab hoc exulum genere cauendum ſit, quod vlciſcendae iniuriae vnice intentum diſcordiarum et bellorum incendia per omnes terras circumfert. Nec de pace conuenire, nec vlla pax poteſt eſſe ſtabilis, quamdiu ipſi habeant, quorum aures obſidere, ad quos accedere et ſtimulos cupiditatibus ſubdere licuerit. Metus autem hic eſt tanto certior iuſtiorque, quo magis nobilitate ſtirpis ſe exules iactant aut opibus copiisque antea floruerunt. Habent enim aditus ad reges, ac principes viros, tum ad nobiles feminas, promtos ac liberos, vitae hominumque vſu expoliti cum ſint, commendant ſe morum elegantia, ſermonis feſtiuitate, voluntate ad aliorum nutum inflexa aut ſimulata, aſſentatione, calumniis, periuriis, ſtupris, ſceleribus: nam cum in luxurie et corru-

 ptelis

ptelis aulae ipſi olim vixerint, vnde virtutis alicuius notionem aut ſenſum habere illi poſſunt? Ita peſſimo quoque conſiliorum ſocio adſumto vbicunque admiſſi fuerint, turbare et miſcere ſolent omnia, ſpe plerumque vana et inani, interdum ne certo quidem conſilio, quippe ipſi nullo conſilio ac prudentia inſtructi.

Inter haec tamen animis dimittendum haud eſt, cum iisdem et nunc et olim fuiſſe inter exules homines ingenii mentisque dotibus inſignes, animi non minus quam ſtirpis nobilitate claros, alios virtute vtique ſua, probitate et integritate, notabiles, quos innumeri fortunae caſus, rerum, temporum, hominumque vices prioribus illis comites ſociosque adiunxerant, ſtolida eorum aut iniqua conſilia et facta damnantes ac deteſtantes, aulae faſtu, luxurie, flagitiis, ipſi aut non contacti, aut fortunae magiſterio ab iis corruptelis liberati. Inhumanum eſſet, ſi nolimus horum fortunam miſereri, neceſſitatibus ſubuenire, omni ſtudio et opera eos iuuare, vt in fortunarum ſuarum ruinis intelligant, virtuti inter nos eſſe locum aliquem et honorem, etſi nullo externo ſplendore fulgeat, nullis friuolis futilibusque ornamentis extrinſecus ſe commendet. Nec ſane et nunc et priſcis temporibus in miſerrima hac conditione defuere exulibus ſolatia et fortunae remedia, modo dignos ſe praeſtarent humanitate et miſeratione; finxit natura vbique humana corda ad ſenſum alienae calamitatis mollia; et multos paſſim memoratos legimus exules ſeu hoſpitio exceptos, ſeu ciuitate donatos, in familias et thalamos receptos.

Anti-

Digitized by Google

Antiquioribus temporibus frequens fortunae remedium erat, in colonias deduci aut in colonias nuper deductas exire nomenque profiteri. Magna coloniarum per Siciliam et Italiam pars ſuas origines exulibus debuit; multi in Macedoniam ac Thraciam ad nouas ſedes quaerendas diſceſſerunt. Alii militatum abiere in Aſiam a Perſarum rege mercede conducti *g*). Atque ita euenit, vt confluentia Graecorum inter barbaros exulum agmina ad cultum vitae latius proferendum magnam vtilitatem habuerint, non minus quam recentioribus temporibus exules in Americam profugi, aut patrum memoria exules a ciuibus caeco religioſarum opinionum furore inflammatis Gallia eiecti. Quid? quod iam in ipſis Graeciae originibus exules Cadmus et Danaus vitae cultus inter barbaros primi fuere auctores; Iones Aeoleſque exules Aſiae littora vrbibus, artibus, commerciis, frequentarunt! Adeo in fatis fuit, vt per exilia quoque cultus hamani generis interdum propagaretur, quod in Iudaeis in Mediam et Perſidem abductis iam eueniſſe ſatis conſtat, vt ipſi inde reduces a priſca barbarie aliquantum deſciuiſſent. Quid? quod litterae et artes per exilia in alias terras fuere propagatae; vti a Phyſcone Ptolemaeo pulſi Alexandria viri litterati et artibus clari litterarum ſtudia et artium commercia iterum in inſulas Archipelagi bellis ſucceſſorum Alexandri exhauſtas ac direptas intuliſſe memorantur. Qua

 quidem

g) (Illuſtrauit hoc nuper auctoritatibus laudatis vir doctiſſ. Böttiger Specim. Terent. fabb. p. 43. 43. Melius hi ſibi conſuluere, quam Romani exules inter Sullae proſcriptiones, qui ad piratas ſe contulerant, vt apud Plutarchum et Appianum legimus.)

Digitized by Google

quidem in re fuere perſpicaciores et prudentiores interdum ipſi tyranni, qui profugos et exules, artibus et litteris claros, humanitatis officiis ad ſe inuitarunt, et refugium liberaliter obtulerunt, cum bene intelligerent, non minus ſe vtilitates eorum acceſſu quam illos ſalutem conſequi. Quis ſatis exputet, exulibus noſtrae aetatis in terras ſeu deſertas ſeu incultas Ruſſiarum deductis, nouisque ſedibus inter barbaros conditis ab hominibus vitae humanioris elegantia imbutis, quantarum rerum initia enaſci poſſint, futuris ſaeculis quas rerum viciſſitudines quos caſus et euentus habitura! Quis non miſeris exulibus, maxime iis, qui ab aulae palatiorumque corruptelis immunes manſerunt aut ex priſtinis erroribus reſipuerunt, paratum eſſe optet refugium tutum ſiue in nouis coloniis condendis in terrarum rarius habitatarum ſolitudine, ſiue in locis, in quibus illi ingenioſas artes et vtilem operam vtiliter docere et excolere poſſint!

Contigerunt quoque nonnunquam reditus in patriam, ſeu lege de ſingulis lata, ſeu republica in priſtinum ſtatum reſtituta, vt ſublatis XXX tyrannis a Thraſybulo Athenis, et expulſis Lacedaemoniis a Pelopida et Epaminonda, Thebis; ſeu ante actarum rerum obliuione publice decreta: qua quidem prudentia et moderatione inſignis fuit Thraſybuli opera in patria liberanda; nam, expulſis tyrannis et exilio perpetuo affectis, *de ceteris qui in eorum partibus fuerant quaerere aut cuiusquam bona publicare lege ad populum lata vetuit h).*

Eſſet

h) ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν Xenoph. Hiſt. Gr. II. extr. Legem ἀμνηστείας vocant. Simili modo ſub idem tempus

Eſſet adhuc de exiliis apud Romanos agendum. Longam tamen diſputationem nec ſcriptionis huius anguſtia admittit, nec ipſa Romanorum hiſtoria ſuppeditat. Regem illi habuere ex patre a Corintho in Etruriam profugo natum; at iidem alterum regem exilio multarunt. Exules in Romanarum rerum memoria memoratos videmus multos *i*), nec tamen eius, de quo diſputamus, generis; verum aut lege et iudicum ſententiis aqua et igni intra certos ab vrbe terminos interdictos, (nam *exilium* nemini irrogatum, nec legum illud vocabulum fuit) aut qui ante inita ſuffragia vel latas iudicum ſententias aeſtimatamue litem in exilium abierant. Vnus exulum fuit, qui patriam armis vlciſceretur, Marcius Coriolanus, poſtea tamen precibus ſuorum ab impietate retractus. At enim bellorum ciuilium tempora plurimas viderunt fugas et exilia, de quibus paucis differendo eorum, quae adhuc diſputata ſunt, tanquam corollarium dabimus. Grauiora ſcilicet et plus quam exitioſa erant exilia, quia cum iis coniunctum erat, vt aqua aliquis et igni interdiceretur, et hoſtis reip. iudicaretur; vt liberum cuique eſſet aut ad iudicium eum retrahere aut impune occidere; vt bona publicarentur, (Appian B. C. I, 60) coniuges et liberi in egeſtate viuerent. Atque haec publice tabulis proſcripta nomen proſcriptionum peperere. Primi poſt Sullae cum armatis in vrbem

 ingreſ-

pus (apud Diodor. XIV, 34) Cyrenaei bellum domeſticum compoſuere fide vltro citroque data et accepta, iniuriarum memores neminem fore.

i) Roma ipſa habuit exules inter conditores ſuos, aſylo aperto non tam fugitiuis et latronibus, quam profugis e vicinis ciuitatibus.

Digitized by Google

ingreſſum, pugna intra moenia facta, ſunt proſcripti Marius VI Coſ. cum filio, Sulpicius trib. pl. cum aliis, numero omnino duodecim. Atque vtinam furor omnis in hoc ſubſtitiſſet! Praeclare Sulla rogationem ad plebem fieri vetuerat niſi ex Senatus auctoritate, nec comitia tributa haberi, ſed centuriata; quae duo ſi teneri potuiſſent, ſtare potuiſſet resp. Enimuero Sulla ad bellum Mithridaticum profecto profugorum factio, *praecipue locupletes*, *et in his feminae haud paucae bene numatae* (ibid. c. 63), reditum illis in patriam parant. Cinna Coſ. Marium reducit, ſollennibus ſuffragiis exilio abrogato, (c. 71) contraque fidem datam ingentes fiunt Marianorum furore caedes, dimiſſis ad perquirendos aduerſarios militibus; atrociſſima facinora, et ſpectacula iis etiam foediora, ad nefariam ſpectantis multitudinis voluptatem publice admiſſa; ſaeuitum in foro in cadauera foede lacerata; eadem contumeliis vexata inſepulta abiecta canibus alitibusque lanianda. Sulla abſens hoſtis reip. iudicatus, bona publicata. At ille litteris ad Senatum ſcriptis denuntians, venturum ſe confeſtim et iniurias vlturum, bello propere confecto, redux Italiam multis ingentibusque praeliis ac caedibus factis exhauſit; inde Romam ingreſſus poſt primam ſtatim concionem proſcripſit Senatores XL. equites cIↄIↄc. exinde indies alii aliique in proſcriptorum album adiecti; alii fuga dilapſi perquiſiti et necati; nec minor ſociorum per totam Italiam caedes, direptio, expulſio; totae ciuitates proſcriptae, agris inter veteranos diſtributis. Quae mala, furores, ac caedes innumerae multitudinis, arceſſitas fuiſſe apparet temerario et exitioſo

XII.

Digitized by Google

XII. iſtorum exulum in vrbem reditu! Atque haec quidem in bello Mariano et Sullano. Nam ad alterum et tertium et quartum bellum ciuile procedere horret animus ac refugit.

Interea temperare nobis haud poſſumus, quin nonnulla ſaltem laetiora ex iis ſubtexamus. Et Caeſaris quidem clementia nullo non aeuo celebranda venit, "qui caedium finem praeliis factis fecit; exulibus autem, exceptis iis, quorum cauſſa plane deſperata eſſet, reditum, inimicis veniam, et multis ex his, qui arma contra eum tulerant, magiſtratus prouinciarumque et exercituum praefecturas dedit." Itaque nec exules Pompeio interfecto fatalem neceſſitatem ſequi et cum Caeſare in gratiam redire cunctati ſunt *k*). Sceleſtiſſima et atrociſſima omnium fuit proſcriptio III. virorum, M. Lepidi, M. Antonii et Octauii; caedes et fortunarum direptiones factae promiſcuae, eorum quoque, qui nullas partes ſequuti fuerant, ſi tamen diuites et opulenti eſſent; indictum quoque eſt, primo vt matronae cIↃcccc ditiores bona ſua profiterentur et in ſumtus belli conferrent, tum vt idem facerent, quotquot in vrbe eſſent, omnes; interque haec exemplum quoque editum ludificationis et irriſionis teterrimae; nam in ipſis proſcriptionum diebus, Lepidus de Hiſpanis triumphauit, edicto propoſito: "Quod felix fauſtumque ſit: edicitur vniuerſis, vt ſacris epuliſque celebrent hunc diem: qui contra fecerit, inter proſcriptos eſto." Verum exempla commemorare volebamus fortunae melioris exulum.

Ii 5 Ergo

k) *Pompeio ſcelus eſt bellum ciuile peremto, Quo ſuerat viuente fides.* Lucan. IX, 248.

Ergo multi ex proſcriptis ſalui euaſerunt, et ad Caſſium profecti ſunt, aut ad Brutum aut in Africam ad Cornificium, ſed plerique in Siciliam, in qua Sext. Pompeius profugos omnes excipiebat, dimiſſis adeo praeconibus, qui eos ad ſe vocarent; propoſitoque iis, qui ſeruarent proſcriptos, praemio duplo eius, quod percuſſores accipiebant; lembos quoque obuiam miſit nauigantibus, triremesque oras legebant attollentes ſigna errantibus. Ipſe venientes excipiebat obuius veſtesque ſtatim et vtenſilia iis impertiebat — *nec poſtea cum triumuiris foedus iniit, niſi quo ſeruati profugi ſimul continerentur.* Alii quoque multi multis variisque modis cum euaſiſſent, pacatioribus temporibus patriae fuere redditi. Inſignia pietatis vxorum, liberorum, ſeruorum quoque, documenta tum extiterunt, e quibus magnum numerum Appianus memorat ſigillatim (de B. C. IV, 36-51). Omnino ingens diſcrimen obſeruare licet inter bella ciuilia Romanorum et aetatis noſtrae, ſi *hominum morumque comparationem* inſtituas. Quod noſtra aetate motum eſt bellum ciuile, ſatis conſtat, a quibus hominibus, quibus de cauſſis ac conſiliis, conflatum ſit. Inter homines aulicorum et potentum vitiis et flagitiis infectos, luxurie et mollitie fractos, regio iugo aut nobilium dominationi adſuetos, quomodo multorum animis ingenuus aliquis ac liber generoſusque ſenſus inſidere potuit! Ab humili aſſentatione et opum potentiaeque admiratione nullus, fortuna mutata, eſt progreſſus niſi ad ſuperbiam et arrogantiam, ab egeſtate ad auiditatem et expilationem aliorum; a rerum gerendarum imperitia ad ſtolidam iactantiam; nec facile in animis humilium

lium ſtudiorum notae inuſtae deleri poſſunt. At Romae diſcordia mota erat inter viros magnis rebus gerendis et meditandis adſuetos, generoſis ſenſibus imbutos, et in ipſo luxu, opum profuſione, dominandi cupiditate, ſuperbia, tamen magnum aliquid, audax, animoſum, intrepidum ſpirantes. Inerat dictis factisque grauitas; non illa leuitas et vanitas friuolorum ingeniorum linguaeque veteratoria procacitas. Si vero eas partes, quas inferiores fortuna eſſe voluit, conſideremus, quos quantosque viros in iis memoratos legimus! Et in ipſis ſceleribus vbi tulit aetas noſtra aliquem Catilinae ſimilem aut Sullae? vbi ſunt inter exules qui cum Catonibus, Scipionibus, Metellis, comparari poſſint! Legat aliquis epiſtolas a Cicerone et amicis inter bellum ciuile et exitia ſcriptas, quos ſenſus excelſos, mirabiles, ingeniis per litteras bonas et ſapientiae ſtudia excultis dignos reperies! vbi nunc horum ſimile aliquid vidimus! Adeo in magna cauſſae ſimilitudine ſumma tamen eſt ex hominum, eorumque ingeniorum et morum diſſimilitudine, diuerſitas. Victis deinde Bruto et Caſſio, per omnes prouincias exactae pecuniae et in Italia diuiſi inter legiones agri cum iniuriis, vexationibus et direptionibus, quibus ſimile quid nulla vidit aetas. Praefuit huic atrocitati Caeſar Octauianus; qui etiam mox Peruſia capta in plurimos animaduertit; *orare veniam, vel excuſare ſe conantibus, vna voce occurrens:* moriendum eſſe. Idem tamen poſthaec ad humanitatis ſenſum rediiſſe viſus eſt, primo, Sexto Pompeio profligato, cum etiam acta et litteras Senatorum ad Pompeium datas, vt erant, nec apertas, in foro ſpectante populo

populo combuſſit, ne nouis odiis et ſuppliciis locus eſſet; (Appian. B. Civ. V, 132) victo autem Antonio ad Actium in vrbem redux Antonii amicis praeteritorum veniam dedit, omnibus Antonii ſcriptis combuſtis, ne praeteritorum actorum vlla ſupereſſent documenta. (Dio LII, 42. cf. Fabric. ad eund XLI, 63.) Habuit adeo et hic locum, quod Lucanus de Caeſare Pompeii capiti illacrumante dixit: *fidem vidit ſceleris*, (h. e. ſe iam aſſequutum eſſe quae vellet) *tutumque putauit Iam bonus eſſe ſocer.*
PP. in Georgia Auguſta Kal. Mart. cIɔIɔccxcv.

XXVIII.

XXVIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. PETRVM WALDECK D.
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV. IVNII ANNI HVIVS CIƆ IƆ CCXCV.
REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI CIƆ IƆ CCXCVI.
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.

Narratio eſt, Commilitones, decretum aliquando fuiſſe ab Epheſiis, cum principem virum Hermodorum exilio multarent, his verbis: *Nemo de nobis unus excellat; ſin quis exſtiterit, alio in loco et apud*

Digitized by Google

apud alios ſit a). Quod hic publice profeſſi ſunt Epheſii, hoc clam palamque ſentimus, ſi non omnes, pleri-

a) Apud Cicer. Tuſc. Diſp. V, 36. Ex Heraclito philoſopho hoc traditur; cuius tamen verba teſtantur, a moderatione philoſophica haud parum eum abfuiſſe; *vniuerſos* enim *Epheſios* dixit propter hoc decretum *morte eſſe multandos*; (fere vt Diog. Laert. IX, 2. reddidit ἡβηδὸν ἀποθανεῖν.) Verum Graeca ſic ſe habent apud Strabonem XIV. p. 950. D. Ἄξιον Ἐφεσίοις, ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑαυτῶν ὀνήϊστον ἐξέβαλον, φάντες· Ἡμῶν μηδεὶς (aut vt Ionicum erat μηδὲ εἷς) ὀνήϊστος ἔστω· εἰ δὲ μὴ, ἄλλῃ τε καὶ μετ' ἄλλων. Seruauit vocem ἀπάγξασθαι Iamblich. in Vita Pythag. 30. Quid ὀνήϊστος ſit, Cicero me ius declarauit, quam ii, qui vulgo verterunt: *nemo noſtrum frugi eſto*. Hoc enim hominum inſanorum eſſet. Eſſe debuit vox Ionica ὀνήϊστοις, quantum aſſequi licet, (non ὀνηϊστὸς) ex ὀνήϊος pro ὄνειος ab ὄνημι, ex quo pro communi ὀνειότερος fuit ὀνείων, ὄνειστος et Ionice ὀνηίων, ὀνήϊστος. Occurrit vox in Apollon. Arg. II, 335. vbi ὠφελιμώτερον redditur, a Schol. recte ad ſenſum, non ad grammaticam. Fuit autem ὀνήϊος, ὀνήσιμος, ὠφέλιμος, proprie homo frugi, bonus, vtilis, vt *ciuem vtilem* dixere: inde ὀνήϊοι, οἱ βελτίονες, ἄριστοι, *optimates*, (qui ſcilicet optima h. e. vtiliſſima ſibi, ſaepe peſſima ciuibus, decernere ſolent) *principes*; adeoque *is, qui inter ceteros eminet*, ὀνήϊστος. Reddidit Sophiſta in Heracliti Epiſt. III. οὐ μόνον αὐτῶν (Epheſiorum) βέλτιστον, ἀλλὰ καὶ Ἰώνων πάντων. Manſit vocis vſus in medicorum ſcholis, qui ὀνήϊστον appellare ſolent, quod eſt *ſalubre*. Laudat Caſaubonus verſus ex Phoenice Colophonio poeta: Θαλῆς γὰρ, ὅστις ἀστέων ὀνήϊστος, &c. *qui eminebat inter ciues*. Vt ſcias, vnde huius poetae obſcuri notitiam habuerit vir doctus, aliis inutilem curam quaerendi imponens, addam: Phoenicem Colophonium Iamborum poetam fuiſſe, et verſus extare ap. Athenaeum XI. p. 495 E. Memoratur idem a Pauſan. I, 9. p. 23. Quod autem ad ipſum decretum Epheſiorum attinet, maligne id interpretatus eſt Heraclitus; eſt enim petitum illud e rationibus democratiae, quas ſequuti ſunt quoque Athenienſes oſtraciſmo inſti-

plerique tamen, nec modo e vulgo, verum etiam ex generoſioribus: eſt enim hic ſenſus cum natura humana coniunctiſſimus, neque vllus eſt facile animi morbus, cui magis ignoſcendum ſit, quam ſenſus moleſtus ex aliorum laude, inprimis ſi eos nobis praelatos, aut ab illis nos ſuperatos ac victos eſſe videamus. Cauſſas ille habet abditas in intimis animi noſtri ſenſibus, et, quo praeſtantior eſt natura et indoles, eo altiores agit radices. Cum enim nobis inſitus ſit ſenſus et appetitus praeſtantiae alicuius et eminentiae inter alios, quae ab illa proficiſcitur: cupiditas quidem eius aſſequendae non modo nihil, quod reprehendas, habet, verum etiam quod commendes; eius tamen comes eſt certiſſimus ille animi dolor, pudor et ira, ſi erepta aut praerepta tacita animi vota videamus ab aliis. Non itaque mirum, morbum hunc, cum natura humana tantopere coniunctum, regnare latiſſime. Cui adeo tanto ſtudioſius ac maturius paranda ſunt remedia, ac prouidendum prima ſtatim inſtitutione, vt ſtudium hoc eminendi inter alios et excellendi per ſe tam praeclarum certo conſilio ac iudicio regatur. Videmus enim quotidie, in quos intolerabiles animi morbos, vitia et furores, abire illud ſoleat.

Latiſſimus eſſet, at parum laetus et iucundus, locus exſpatiandi in miſeriam eorum hominum, qui ſemel hoc animi morbo correpti ſunt: quae ſint inuidiae

inſtituto, et Syracuſani petalismo: ne dignitate, auctoritate, opibus aliquis inter aequales nimium ceteris eminens libertati inſidias ſtrueret. Habetur autem Hermodorus Epheſius idem, cuius opera vſi ſunt Decemuiri legibus XII. tabb. Romanorum ſcribendis.

inuidiae tormenta, qui irarum fluctus, quae erinnyes animum exagitent, quibus ab omni aequitatis, humanitatis, pietatis, ſenſu recedunt in eos quoque, qui bene de iis meriti erant, qui bene ipſis cupiunt, nec eorum laudi inuident, quin de ſuo aliquid ipſi addere malint! Deteſtabili huic et in carnificinam animorum natae furiae omnisque virtutis et honeſtatis teterrimae peſti vt mature occurratur, a ſapientiae ſtudio petenda ſunt non modo remedia, verum multo magis tanquam prophylactica et antidota, et primo quidem a iuſtitia, quae ſuum tribuere iubet vnicuique, nec bona ſua alteri aut intercipere, aut iis detrahere, aut ea imminuere, adeoque nec iis inuidere; ad quod facile quisque adducitur, ſi modo ſe ipſum excutiat, quem ſenſum iniuriae habeat, ſi ipſe bono aliquo ſuo ſpolietur ab aliis. Perſuadet quoque prudentia, ſi bonum quisque ſuum ſeruare velit integrum, inuitandos eſſe alios cura ſimili et diligentia, qua nos eorumdem vtilitates ſeruare et tueri ſtudeamus. Ante omnia teneamus, neceſſe eſt, in iis ipſis, vnde laudem et famam paramus, naturae et fortunae partes eſſe primarias. Videndum ergo non modo, quam pulcrum et praeclarum ſit illud, quod appetimus, verum etiam, quaenam illa ſint, ad quae nos natura finxit, et quo in loco nos collocauerit fortuna. Ad haec duo metienda ſunt omnia, quae aggredimur, et in quibus verſamur; neque adeo animum aut turbet aut angat, ſi quid nobis aut natura aut fortuna inuidit; neque inuideamus aliis, ſi excellunt naturae fortunaeue beneficio aliqua in re, extra manus noſtras poſita; contra allaboremus

ſedulo

Digitized by Google

ſedulo in iis, quae in poteſtate et facultate noſtra natura et fortuna eſſe voluit: ea enim, in quibus ingenii vis et externarum rerum conditio conſpirant, ſucceſſum haud facile abnegant. Si tamen fortuna aduerſa vel ſic manibus, quod iam tenere videbamur, excuſſerit, aut aliorum inuidia et malignitas illud interceperit: ferenda haec ſunt, vt alii vitae caſus, quibus ſaepe diuturnae induſtriae fructus momento temporis auferuntur. Fortunae ludibriis mature eſt aſſueſcendum: eſt autem in his non minus fama ſeu rerum geſtarum ſeu ingenii et literarum; qua nihil eſſe poteſt aut magis incertum et lubricum aut magis fluxum; non raro ea ab indignis cauſſis et hominibus deſpectis emanans et pendens.

Habent haec ſapientiae praecepta non minus locum in certaminibus, ſtudiis veſtris, Commilitones, propoſitis. Pulcrum eſt, laudis cupidine accendi et inflammari ad committendum ſe in certamen; etſi moderatio et iudicium adhibendum, vt ne quis hoc faciat cum ſtudiorum ſuorum, quorum cauſſa huc profectus erat, detrimento; experiendae ſunt vires, ſed iam validae ſatis et nutritae ac firmatae *b*). Vbi autem ſtadium initum fuerit, componendus eſt animus iam ab initio, vt fortunae imputetis, ſi interdum caſus ita tulerit, vt nullus, niſi viribus inferior, ſit congreſſus, interdum, vt alius in hoc genere exercitatior victoriam auferat, et

b) Vt locum habeat illud apud Statium Theb. IV; 335. *Expecta, dum maior honos, dum firmius aeuum; Dum roſeis venit vmbra genis.*

et ad ſecundum vel tertium locum detrudat *c*). Neque vero ſic animis deſpondeatis, neque omnem operam ſine fructu impenſam eſſe iudicetis; conſequimini enim praemia laboris et induſtriae alia, haud aſpernanda; et in iis hoc, vt vires experiendo, quid valeant, didiceritis; monitis et iudiciis Ordinis quisque ſui, quid illud ſit, in quo porro maior opera et ſtudium ponendum ſit, edocti ſitis: quae vtilitas haud exigua ad omnem vitam pertinere poteſt. Paratis per haec ipſa animis, Commilitones, accepiſtis in coetu, qui in ſollennibus d. IV Iunii in templum academicum conuocatus erat, rationes publice reddendas eorum, quae ſuperiore anno propoſita ad quaerendum fuerant ab Ordinibus academiae, tum Commentationum, quae iis oblatae ſunt, recenſum, quaeque de his iudicia ſunt pronuntiata.

Ordo Theologorum

„ab iis, qui de praemio in hunc annum propoſito certare inſtituiſſent, poſtulauerat:

> *Vt momentum, quod habet hiſtoria Chriſti in vniuerſa religione, accurate expenderent, et ſine partium ſtudio aeſtimarent, tum vero etiam praecipua argumenta tam interna quam externa ſaltem indicarent, quae in refellendis dubiis, quibus veritas huius hiſtoriae, noſtra maxime aetate, tentatur, certiſſimum vſum praeſtare poſſunt.*

„Exhibitae ſunt Ordini commentationes *quinque*, et *prima* quidem verbis inſcripta:

Ἀληϑως και συ ἐξ αὐτων!

ſecunda cum ſymbolo:

> *Virtus recludens immeritis mori Coelum negata tentat iter via.*

tertia

c) Vel ſic locum habeto illud: *Gaudebat dici ſimilem iuxtaque ſecundum.* Statius Theb. VIII, 82.

tertia verbis Chriſti inſignita:

Αὐτη δε ἐστιν αἰωνιος ζωη.

quarta, quae epigraphen habet:

Adſpice venturo laetentur vt omnia ſeclo.

quinta denique verſu diſtincta:

Nulla ſalus bello.

„Gratum certe Ordini accidit, quod plures ſeſe obtuliſſent, de quibus iudicium ferri poſſet; gratius etiam illud, quod nulla oblata ſit, quae laude aliqua prorſus careat; ſed eo minus hoc gratum, quod examine non nimis ſeuero inſtituto, de nulla ita potuit iudicare, vt exſpectationi ſuae prorſus exiſtimaret ſatisfactum. Ita quidem primae, ſecundae et tertiae Commentationis auctores diligentiam ſuam atque ſolertiam, eruditionem etiam atque ingenium, ſatis Ordini comprobarunt. Multa illi attulerunt in ſecunda maxime quaeſtionis parte egregie obſeruata et ad refellendas calumnias in hiſtoriam Chriſti congeſtas eiusque veritatem confirmandam adprime facientia, verum in prima ac praecipua quaeſtione tractanda ita verſati ſunt, vt in omnia alia excurrentes, caput cauſae intactum proſus relinquerent; quo ipſo ſuſpicioni locum dederunt, eos vel non vidiſſe vel videre noluiſſe, in quo cardo rei verteretur.

„Hoc vero videre viſus eſt auctor quartae, et vidit certe auctor quintae commentationis; ſed ille, quae recte in iſto capite obſeruauit, nullis tamen argumentis confirmauit atque defendit, neque iis, quae contra afferri poſſunt et noſtra etiam aetate vehementibus ſtudiis prolata ſunt, quicquam oppoſuit; hic autem etſi multa accurate excuſſit et acute

Kk 2 monuit,

Digitized by Google

monuit, plura tamen praetermiſit, quae in arce cauſae tuenda tantum habent momenti, vt ſuſtineri ſine iis vix poſſit. Neque igitur pauca nec parua ſunt, quae in iſtis etiam commentationibus Ordo noſter deſiderat; Cum vero non potuerit non videre, auctorem quartae commentationis verbis inſcriptae:

Adſpice venturo laetentur vt omnia ſeclo.

reliquos omnes eruditionis copia, literarum varietate, iudicii acumine, et ſtili etiam elegantia, in ceteris ſupra omnem excuſationem horridi atque inculti, longe antecellere, et eam etiam eſſe commentationem, quae facili opera, ſi ſuppleantur aliqua et aliquanto plura recidantur, digna prorſus luce publica reddi poſſit: illam quidem nec praemio regio indignam cenſuit; *proxime* vero ad illius laudes eam *accedere* iudicauit, quae carmen inſcriptum habet: *Nulla ſalus bello! Pacem Te poſcimus omnes!*"

Commentatio ceteris praelata et praemio ornata habet auctorem

Chph. Henr. Albers, *Luneburgenſem.*

Qui ad praemium proximo loco acceſſit, eſt Io. Godofredvs Brüggemann, *Munda Hannoueranus.*

Propoſuerat *Ordo Iureconſultorum* quaeſtionem:

An et quae ſit iure Romano inter patremfamilias et liberos in poteſtate conſtitutos vnitas perſonae? Quae huius doctrinae fundamenta? Qui effectus? Quis eius vſus?

„Redditae ſunt Ordini *quatuor* exercitationes, his inſcriptae ſententiis:

I. Ex Ariſtotelis Magnorum Moralium lib. I. c. 34. quae incipit: ὥσπερ γαρ μερος cet.

II.

II. *Poſt nubila Phoebus.*
III. Ex Kantii Critica rationis practicae p. 155. quae incipit: *In vniuerſa rerum natura*, cet.
IV. Ex fragmento Pauli in L. 1. D. de reg. iur. quae incipit: *Regula eſt* cet.

Quae *tertio* et *quarto* loco memoratae ſunt commentationes, ita in concertationem deſcenderunt, vt ipſae inter ſe certare videri poſſint, cum vtraque ab induſtria et copia lectionis et ab idonea argumenti diſpoſitione eiusque ex principiis et legum fontibus facta tractatione ſe commendet; quamquam ſunt, quae in definiendo doctrinae vſu deſiderentur. Quae N. I. ex Ariſtotele inſignita eſt commentatio laudem meretur a concinnitate ſcriptionis, ab ordine tractandi et ab ipſa tractatione, in qua auctor ſeruat legitima principia, nihilque neglexit in iuribus ex ipſis fontibus exponendis. Nec minus ornate conſcripta eſt illa ſub N II. quae prodit auctoris induſtriam et copiam lectionis.

„Itaque perſpectis rationibus omnibus primas ferre viſa eſt, quae N. IV. ex *Pauli ſententia* inſcripta eſt, eique vnanimi Ordinis ſententia decretum eſt praemium regium; huic vero proxime *accedere* illam N. III. ex Kantii elogio inſignitam; vtrique vero maxime illam N. I. ex Ariſtotele inſcriptam, nec non hanc N II. cum lemmate *Poſt nubila Phoebus* accedere iudicatum eſt."

Commentatio praemio ornata habet auctorem
IVSTVM LVD. THEOD. FRID. BRVNSICH,
Hannoueranum.

Proximo autem ac primo inter ceteros loco acceſſerat ad laudis praemium FRID. CHRISTIAN. WITTE, *Kirchroda - Calenbergenſis.*

Digitized by Google

„Ab *Ordine Medicorum:*

Cum mirum et inſuperabile fere obſeruetur commercium inter hepar bilemque et animi pathemata: quaeritur, *quae ſit huius harmoniae ratio, cum anatomica tum phyſiologica; et quemnam vſum habere poſſit illius moderamen in praxi.*

„Etſi auctorem commentationis inſcriptae verbis:

Non ſi male nunc et olim ſic erit.

negari nequit, multo plura, quam quae ad rem ſpectabant, congeſſiſſe, ita vt prior Sectio prorſus recidenda ſit; probata tamen eius opera fuit hactenus, quod ad ſingula ea, quae in quaeſtione erant comprehenſa, reſpondit; anatomicas notitias adhibuit, philoſophicis argumentis diligenter eſt vſus, dicta ad medicum vſum recte transtulit, etiam oratione vſus eſt ſatis probabili. Viſa itaque eſt commentatio haud indigna, cui praemium aſſignaretur."

Praemium ita aſſignatum reportauit

LVD. HENR. CHR. NIEMEYER,

Blumenauio - Hannoueranus.

A *Philoſophorum* Ordine propoſita erat quaeſtio

de iure ſuffragii in ſocietate aequali ex principiis iuris naturalis.

Tres athletae proceſſerunt in medium; *primus* commentationem obtulit inſignitam dicto:

Vitam impendere vero.

Laudem ille habet doctrinae literariae et librariae, diligentiae et induſtriae in libris conquirendis et virorum doctorum auctoritatibus enotandis; verum alienis nimis parce adiunxit ſua, quoties ex ipſis principiis iuris naturalis, non ex virorum doctorum ſententiis, erat diſputandum; adeoque nec iudicii

ſub-

ſubtilitatem in diſpiciendo, ponderando et ſecernendo ea. quae aliena erant a re, ſatis iudicibus aequis approbare potuit.

Altero loco exhibita eſt commentatio cum dicto Ciceronis de Offic.

In rebus ipſis tuo vtere iudicio.

Cuius auctor quid illud eſſet, de quo quaereretur, et quorſum ita quaereretur, bene perſpexit; nec aberrauit ad alia, de quibus quaeſitum non erat; perſpicuitate, diſpoſitione et pertractatione aemulos ſuperauit, in afferendis aliorum placitis et exemplis vſus eſt iuſto dilectu, vt hiſtoricis notitiis non pugnaret, niſi argumentatione ex principiis philoſophicis abſoluta; in locis quoque veterum excutiendis doctrinae probabilis experimentum dedit; oratio latina feſtinationis haud raro veniam et excuſationem poſtulat. Deſiderantur quoque nonnulla in rebus ipſis; ſunt alia aut omiſſa aut deſideranda, de quibus priuatim melius moneri poterit auctor.

Tandem *tertia* ſucceſſit commentatio cum verbis Ciceronis:

Omnium quae in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſt profecto
praeſtabilius, quam plane intelligi, nos ad iuſtitiam eſſe natos. Cic. de LL. I, 10.

In ea vim ingenii viuidam, multarum rerum inprimis ex iis, quae noſtris temporibus in diſputationem adductae ſunt, notitiam et ſagacitatem facile deprehendas; non aeque iuſtas hiſtoriarum copias, nec orationis facultatem et vſum.

Quae cum ita ſint, iudicio Ordinis philoſophici commentatio *altero* loco memorata cum dicto:

In rebus ipſis tuo vtere iudicio

 prae-

praemio regia munificentia conſtituto digna viſa eſt; *tertia* autem, tanquam proxime ad eam *accedens*, et ipſa digna, quae prelo ſubiecta ab auctore euulgetur.

Commentationis victricis auctor ſcheda aperta innotuit

CHRISTIANVS SCHLÖZER, *Gottingenſis.*

Secundo loco laudata ſcriptio cum lemmate:

Omnium quae in doctorum hominum diſputatione verſantur:

auctor eſt CAR. GVLIELMVS HOPPENSTEDT, *Hannoveranus, Iuris ſtudioſus.*

Quod inter haec oculos animosque aduerterat, erat hoc, quod omnes, qui praemia abſtulerunt, aut iis acceſſiſſe viſi ſunt, hoc certamine e terris Hannoueranis oriundi ſunt: quae res haud exiguam commendationem ſtudiorum noſtrorum popularium habere debet; ita tandem manifeſtum fieri poterit, Georgiam Auguſtam non exterorum magis quam indigenarum ingeniis et ſtudiis florere.

Secundum haec prouidendum erat, et diligenter prouiſum eſt ab Ordinibus Academiae noſtrae, vt ſtudiis veſtris, Commilitones, nouae in anni futuri Iunium proponerentur quaeſtiones; quod ita curatum eſſe videbitis, vt, quisquis inter vos ſtudiorum ſuorum et doctrinae ſuae progreſſuum fiduciam habiturus eſt, ex iis laudis ſibi materiem parare poſſit.

Ab ORDINE THEOLOGICO poſtulatur:

primum quidem vt doceatur, quamnam maxime vtilitatem etiam hac aetate afferre poſſint libri eccleſiae noſtrae ſymbolici? deinde, vt, quantum fieri poteſt, exponatur, quomodo mos introductus et propagatus fuerit, horum librorum ſubſcriptionem a doctoribus religionis exigendi?

ORDO

ORDO IVRECONSVLTORVM poſtulat:

Iuris ſupremae inſpectionis ambitum et limites, tum ex natura rei et principiis iuris publici vniuerſalis rite definiri, tum exemplis inprimis iuri publico Germanico adcommodatis illuſtrari.

Ab ORDINE MEDICORVM poſtulatur:

Quae ſit febrium neruoſarum acutarum natura in genere?

Ab ORDINE PHILOSOPHORVM pro quaeſtione imperatum eſt

hiſtoriae vrbis agrique Gottingenſis breuiarium.

Quae in hoc tentamine ingenio et doctrinae veſtrae a Philoſ. Ordine propoſita ſint, accipite. Non nunc id requirimus, vt nouis notitiis conquirendis diligentiam veſtram et hiſtoriarum ſtudium teſtatum faciatis; verum, vt ea, quae in vulgaribus chronicis et libellis continentur, ad artis hiſtoricae praecepta retractetis, eaque perſpicue, breuiter et eleganter eloquamini. Scilicet cum genus dicendi hiſtoricum, ſtilum hiſtoricum appellant, pleroſque noſtrorum hominum fugiat, ſcitote, hanc exercitationem veſtris ſtudiis propoſitam eſſe, vt ipſo vſu et experimento facto, quale genus dicendi hoc ſit, intelligatis. Primo tamen loco id vobis agendum eſſe tenete, vt rerum ſcribendarum dilectum diligenter et ſeuere inſtituatis; porro vt ea, quae dilectu facto probaſtis, ad ſummam aliquam conſilii et ad ipſum rerum et euentorum nexum reuocetis; narranda per tempora et rerum genera commode diſponatis et ordine iuſto conſtituatis. Nunc ſuccedat cura ſtili, quae vt fructuoſa ſit, is animi habitus eſt induendus, vt, quae narranda ſunt, tam

quam praeſentia ante oculos habeatis, eaque potiſſimum commemoranda eſſe putetis, quibus momenta rerum geſtarum praecipua continentur. Haec oratione exponite, qualem ipſae res poſtulant, alia breuiter, alia diſerte, alia ornate; nec vero in putidis verborum ornamentis, tragica declamatione, aut rhetorico fuco et dictis aculeatis ſeu oratione *in antithetis ſe librante* ſtili hiſtorici Veneres latere putate.

Noſtis, Commilitones, in quaeſtiones ſingulas numorum aureorum XXV. praemium liberalitate Regis M. Britanniae Aug. eſſe conſtitutum. Scripta ante Kalendas Apriles eſſe reddenda, nolite animo dimittere, multoque minus hoc, breuitatis ſtudium propoſitum cum primis eſſe debere, vt reſcindantur inutilia aut in quaeſtione non comprehenſa; oratio autem adhibeatur perſpicua ac diſerta ſatisque latina, a qua nec externus libelli cultus abhorreat aut legentium oculos animosque male habeat.

Satisfeceramus officio, quantum quidem ad vos, Commilitones, et ad commoda veſtra ſpectabat; procedendum nunc erat ad id, ad quod noſtrum omnium religio ac fides nos vocabat. Etenim Aug. noſtri Regis, cuius munificentiae hoc ipſum ſollenne, quod agebamus, debebatur, dies natalis eo ſole, qui IV. Iunii erat, illuxerat; teſtanda erat laetitia noſtra, et facienda bona vota pro eius ſalute et incolumitate. Quae quidem fecimus publice priuatimque omni cum animorum pietate, vt, quandoquidem Eius conſiliis et curis noſtrum omnium, nec modo terrarum Hannoueranarum et M. Britanniae, verum magnae omnium terrarum partis, ſalus

et

et incolumitas continetur, Numen O. M. ei propitium praeſensque adſit, vires, animum, conſilia ſuppeditet, iisque exſequendis idoneos auctores, voluntatis interpretes intelligentes et probos, prouideat; ita vt optimi principis pectus curis et ſollicitudinibus leuetur, ſalus reip. in tantis tempeſtatibus ac fluctibus inconuulſa maneat, paxque omnium bonorum votis expetita terrarum orbi reſtituatur. Haec quidem ſunt vota quae pie facere licet; reliqua omnia Tuae curae et ſapientiſſimae prouidentiae permittimus, Numen O. M. quid enim votis expetendum ſit nec ne, in fragilitate hac et inconſtantia rerum humanarum, in hac futurorum caligine, praeſentium difficultate, quis mortalium conſtituere auſit! ad Tuam confugimus ſapientiam aeternam, qua vniuerſum terrarum orbem adminiſtras, et omnipotenti, etſi animis noſtris oculisque ignota, vi ac virtute regis, Te adoramus et veneramur, vt ex iis, in quas tanta Europae pars implicita eſt, tricis et laqueis eam liberes *d*), pacemque, vnicum infinitorum malorum remedium, reſtituas. Exaudi vota precesque, quas et nos et nobiscum pars generis humani melior facit aſſidue et religioſe.

P. P. in Georgia Auguſta d. x. Iunii cIↃIↃccxcv.

d) Secundum effatum apud Hirtium de bello Alex. 75. — *adiuuante plurimum deorum immortalium benignitate; qui quum omnibus caſibus belli interſunt, tum praecipue iis, quibus nihil ratione potuit adminiſtrari.*

XXIX.

XXIX.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IO. PETRVS WALDECK D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA

LVIII.

IN KAL. SEPTEMBRES CIϽ IϽ CCXCV.

CELEBRANDA

RITE INDICIT

SIMVLQVE

SVCCESSOREM

IN

MAGISTRATV ACADEMICO

IO. FRIDERICVM GMELIN D.

CIVIBVS SVIS

HONORIS ET OFFICII CAVSSA

COMMENDAT.

Romanorum prudentia in finiendis bellis.

Tametſi maiorem in auertendis, quam in ſuſcipiendis bellis prudentiam ſpectari aiunt ſapientes, cum tamen neceſſitatem facere poſſit aut iniuria aliorum aut in diſcrimen adducta imperii

Z z 2 ſalus,

Digitized by Google

ſalus, libertas, dignitas, non minus prudentia in bello gerendo, tum in finiendo longe maxima, locum habet; ſiquidem bella nullo alio conſilio ſuſcipiuntur, quam vt pace facta aliquando componantur; etſi ſaepe res ita eueniſſe vidimus, vt vtraque pars, acceptis vtrinque malis infinitis ingentibusque cladibus, in eo acquieſceret, quod rebus vtrinque integris melius teneri potuerat, detractumque eſſet vtriusque opibus, nulla autem alterutrius bonis facta acceſſio; quid quod ne laetiſſima quidem victoria plene ſatisfacere creditur pro damnis bello illatis *a*). Iam ſi prudentiae ſumma eſt, videre quid factu opus ſit; eſſe, iam ante rerum actum, ſatis deliberatum, bene perſpectum ac conſtitutum, quod ſequaris; conſilia ad id conſequendum habere idonea, cum opibus ad ea exſequenda ſatis validis et paratis, iisque pro rerum, hominum, temporumque rationibus ad aſſequendam finem recte vti: perſpicere licet etiam minus exercitato, in bello finiendo et pace componenda prudentiam plurimum valere cum in temporis opportunitate obſeruanda, hominum ingeniis et voluntatibus perſpiciendis ac flectendis, tum in vtilitate cum iuſtitia iungenda. Verum haec tralatitia ſunt, neque nunc ea in diſputationem veniunt, nec id ſuſceptum erat, quippe quod ab hoc tempore, loco noſtro ac perſona, alienum

a) Praeclara illa Annibalis oratio ad Scipionem ante pugnam fatalem ad Zamam ap. Liv. XXX, 30. *Optimum quidem fuerat, eam patribus noſtris mentem datam ab diis eſſe, vt et vos Italiae, et nos Africae imperio contenti eſſemus; etenim ne vobis quidem Sicilia ac Sardinia ſatis digna pretia ſunt pro tot claſſibus, tot exercitibus, tot tam egregiis amiſſis ducibus.*

num foret. Minus moleſtam eſſe diceretis talem aut ſimilem diſputationem, ſi pacem, quam animis arrectis expectamus, iam confectam noſtris ſollennibus celebrare licuiſſet, quae nunc *anniuerſariam* fauſtis auſpiciis conditae Georgiae noſtrae Auguſtae memoriam recolunt, ſimulque noui magiſtratus auſpicia, quem initurus eſt Collega optimus et coniunctiſſimus

IO. FRID. GMELIN D.

quem ita animum ſuum comparaſſe nouimus, vt ſalutem reip. academiae ſummam eſſe legem, eam autem bonae ac ſeuerae diſciplinae, tanquam fundamento, ſuperſtructam eſſe cenſeat, neque pro publica vtilitate aut labores aut inimicitias ſuſcipere recuſet, quandoquidem vix vllum vnquam tempus fuit, quod in diſciplina academica rite tuenda, in morum honeſtate et publica tranquillitate cuſtodienda, conſiliorum rectorum conſtantiam magis deſideraret. Vos itaque, Ciues, vt officio ac fide, ita voluntatibus et ſtudiis, virum veſtrarum rerum ſtudioſiſſimum ita proſequimini, vt et illum ſuarum curarum laborumque haud poeniteat, et vos publicam communemque non domi modo ſed et foris, per terras exteras, laudem tueamini, verecundia, modeſtia, ſedato vitae morumque ſtatu ſtudiorumque bonorum honore, Georgiam Auguſtam facile excellere.

Cum itaque de pace maturata gratulationes his ſollennibus nondum audiri poſſint, nomen tamen pacis tam dulce Muſis ſit, vt eius ſono; tanquam Sirenum cantu, delinitae defigantur; liceat, ſaltem boni ominis cauſſa, in re cum ea coniuncta aliquantum

Digitized by Google

quantum morari, et, cum per ſuperiores annos, inuitantibus temporum rationibus, nonnulla ex antiquitate petita, quae cum praeſentibus comparari poſſent, in medium prolata fuerint, liceat, inquam, nunc tanquam corollarium adiicere breuem diſputationem *de Romanorum in finiendis bellis prudentia b)*. Iucundum enim eſt, de eo dicere, quod ames, etiamſi non teneas; et in rerum cariſſimarum deſiderio facundi natura ſumus omnes, ſoletque amator, quicquid cum amicae abſentis memoria coniunctum eſt, reputare lubenter et commemorare. Donec itaque pacem, amicam omnium votis deſideratiſſimam, Philaenium noſtrum dulciſſimum, amplexu teneamus: liceat animos paſcere contemplatione ſimilium temporum, quibus illius aduentus fuit expectatus, et videre conſilia, quae eum maturauerint.

Iam ſi omnis prudentia non ſola ſagacitate ac rerum perſpicientia, verum nec minus vſu rerum et experientia acquiritur: nullus facile populus memorari poteſt, qui maiorem *bellorum finiendorum prudentiam* habere debuerit quam Romani, qui innumera bella fecerunt: de quibus quidem nunc non quaerimus, qua iuſtitia, qua vtilitate, qua prudentia geſta fuerint; de bellis compoſitis ac finitis nunc agitur. Etſi enim verum eſt, ad bene finiendum bellum eſſe hoc primarium, vt ſuſceptum illud ſit prudenter, et cum prudentia et virtute geſtum: licet tamen mente et animo ſeiungere ea, quae ipſa

b) Omnino bella finiuntur *internecione, expulſione* et *fuga, pactione:* quae Romanis erat *pacis* et contracte *pax.* Primum genus eſt belluinum, alterum barbarorum; in vltimo acquieſcimus.

Digitized by Google

ipſa re coniuncta ſunt, adeoque belli finem ſeorſum contemplari: inprimis cum in pace humanis conſiliis plura regi et adminiſtrari poſſint quam in bellis, in quibus caſus temeritate et fortuna caecoque hominum impetu plura rapiuntur ac feruntur quam geruntur.

Vt autem Romanorum in bellis finiendis *prudentiam* facilius perſpicere poſſimus; (neque enim nunc in *vocabuli* vi ſubtiliter definienda laboramus, tametſi haud ignari, plerumque illud nomen ſibi ſumere in belli pacisque negotio *calliditatem, aſtutiam, fraudem,* quicquid tandem *ſubdolum, falſum, fictumque* eſt) agedum dirimamus ac diſpeſcamus rerum genera, quae in diſputationem venire poſſunt. Vt enim bellum cum prudentia finiatur, primo loco neceſſe eſt, *vt ſuſceptum illud fuerit iudicio certo* prudenti, ſatisque circumſcriptis praemiis, ad quae illud properet; tum *vt opes adſint ſatis validae* eaeque *in manu poſitae, paratae et promtae; vt* que *illis ad conſiliorum rationes accommodate vtantur* ii, a quibus res geruntur, exſequendo id, quod mandatum eſt, ſtrenue et cum virtute reique militaris peritia; quandocunque autem id, cuius cauſſa bellum ſuſceptum eſt, obtentum fuerit, aut eius conſequendi opportunitas ſe obtulerit, omni calumnia ſuperbia et auiditate abeſſe iuſſa *conditiones* imponantur, tanto illae *aequiores,* quo magis *in iis* acquieſcet victor, *quae, prima diſcordia mota, in controuerſiam venerant, quaeque iure poſtulaſſe videri debebat.*

Primo igitur bella dixeramus ſuſcipi *conſilio certo ac ſcopo recte conſtituto;* ad quem tota belli gerendi ratio directa ſit neceſſe eſt. Conſilia enim

ex

Digitized by Google

ex temporibus nt capere licet *ad exſequenda* ea quae mandata et iniuncta ſunt, ita *conſiliorum ſumma* ab initio ita conſtituta erit, vt in ea mutari nihil, nihil addi ſubtrahiue poſſit; alioqui parum deliberato et conſulto in bellum ruiſſe populus dicendus erit. Conſtat autem hiſtoriarum fide, multa bella ſuſcipi ac geri ſic, vt neutra pars ſatis definitum ac conſtitutum habeat, quid tandem bello conſequi velit; vt adeo temere et nulla certa cum fine etiam de pace conſultetur et transigatur. Raro fortunae tanta eſt conſtantia, vt ea ad maiora ita ducat, vt ex his alia tuto tentari poſſint. Alexandro ſane nouimus alios ex aliis ſucceſſus obtigiſſe fortuna tam propitia, vt, qui Aſiae forte contentus littore fuiſſet, victoriis tanquam aeſtu abreptus in altum euectus totam Aſiam ſubiugaret. Videmus ab aliis bella commota eſſe iris et odiis extrema ſuadentibus, ita vt ea propoſita eſſent, quae aſſequi non poſſent, niſi fortunae caſibus variis multiplicibusque incredibiliter in vnum conſpirantibus, quibus nemo paullo ſapientior rerum ſummam committat; hos, ſi praeter opinionem res ceciderint, ad rationes pacis ineundas tantum non ſtupere neceſſe eſt; non minus quam eos, qui nil niſi excidium hoſtis minati erant, cum ad eum vel reprimendum vix virium ſatis eſſet. Atqui *Romanos* fatendum eſt in plerisque bellis conſciſcendis deliberate et ſedate, opibus ſuis et hoſtis vtrinque trutinatis, ceteris, quae in conſiderationem veniunt, ponderatis, ipſisque belli caſibus in rationes adhibitis, *ab initio ſtatim finem ſibi praefixiſſe*, ad quam bellum perduceretur, eamque *talem, quam probabiliter aſſequi liceret;* quum

 autem

autem eam *attigiſſe* ſe putarent, nullo ſucceſſu elatos *fortunam inhibuiſſe*, et *conditiones pacis intra eam finem conſtituiſſe.* Hoc illud eſt, quo ſibi tantam moderationis et aequitatis clementiae que laudem per priora reip. ſaecula comparauerant Romani, quae, vt fieri ſolet, etiam ad ea tempora durauit, quibus dudum ab illa moderatione et aequitate deſciuerant, ipſi totius terrarum orbis raptores et latrones facti.

Omnino *alia* fuit *conditio populi Romani* in fortunae tenuitate cum populis aequalibus fere opibus bella gerentis ac finientis; *alia* eius mens, Italia iam in ditionem redacta, ad maiora adſpirantis; *alia*, cum fortunae nimis ſecundae impar iam eſſet; nunc enim, cum fortunae aura adſpirante, omne fraudis, perfidiae, et impotentiae genus, etiam in foederum fide tuenda, tanquam peſtilens ventus, Romanos afflauit. Vt taceamus, quod primis temporibus modo ciuitatem victis darent, (v. c. Cic. de Off. I, 11. ſ. 35.) modo connubia iungerent: (v. c. Liv. IX, 43.) conditiones pacis ab iis dictas videmus plerumque eas, quae ab principio ſtatim poſtulando aut conquerendo ex aequitate conſtitutae fuerant; vt res repetitae redderentur; vt iniuria aut alia belli cauſſa tolleretur, damnum datum repararetur: poena addita pro rerum conditione, leuiore errori, grauiore iniuſtitiae, grauiſſima perfidiae ac malitiae. Ita res plerumque ad antiquam formulam reuocatae, aut noua formula foedus ſcriptum eſt, qua belli moti cauſſae in poſterum praeciderentur. Eſt enim hoc illud, quod maxime prouidendum eſſe intellexit Senatus Romanus, *vt nouae fraudis opportunitates praeclude-*

cluderentur, nouarumque diſcordiarum ſemina exſtirpata euaneſcerent; quandoquidem rerum eadem, quam armis auertere volueramus, conditione manente bellum finiri luctuoſum eſt, belli autem cauſſis manentibus parum fructuoſum parumque tutum.

Ex quo autem, fortuna conatibus et conſiliis adſpirante, victoriis ducentibus, imperium terrarum affectare coepit Romanus, ad quod ipſa natura eum ducere videri poterat, vt omnes mari mediterraneo adiacentes terras teneret easque et nauigatione et imperio iungeret, admiratione dignum eſt, quanta eum prudentia, conſiliorum conſtantia, maturitate et perpetuitate ad propoſitum hunc exitum actiones et ipſos fortunae caſus accommodauerit. Itaque nec vllum eſt pacis foedus, cuius quidem diſerta extat memoria, in quo non admirabilia huius prudentiae documenta agnoſcas; vt ex numero veſtro, Commilitones, iis, qui ad remp. aliquando acceſſuri ſunt, hoc iucundum et vtile ſtudium propoſitum eſſe velimus, vt foedera pacis a Romanis percuſſa exquirant diligenter et curioſe expendant ſingularumque rerum cauſſas et conſilia inueſtigent. In foederibus cum Poenis fundamenta imperii terrarum iacta eſſe facile aſſequare. In pace cum Philippo, Macedonum rege, facta nullum eſt caput, quo non opes regis minuerentur, etſi ſociis potius, quam Romanis ipſis, accreſcere res inde viderentur. Ita hoc ipſum fuit praeclarae prudentiae, quod, cum Graeciae ciuitates, quibus excedere iuſſus erat, praeſidiis tenendae eſſent magna cum Romanorum moleſtia, Graecia libera eſſe iuſſa eſt; quae quidem res ſummis laudibus eſt celebrata (v. Liv. XXXIII, 32.)

Digitized by Google

ab iis qui ignari eſſent, ſuae magis vtilitatis quam libertatis reſpectu id feciſſe Romanos. In pace cum Antiocho Aſiae imperio tanquam crepido aliqua fuit praeſtructa, cui illa inaedificari poſſet, regis potentiſſimi opibus omni arte conuulſis, ceteris regibus et populis ciuitatibusque inde auctis ornatisque, vt populo Romano tanquam beneficiis obſtrictae viderentur. Diligenter tamen vbique cautum intelligas, ne ſociis aliquid concederetur, quod eorum opes nimium augere poſſet. In iis, quae cum Achaeis acta ſunt, multa mireris, quibus circumſcriptae et acciſae fuere eorum opes, compreſſi ſpiritus, praeciſae ſpes. (v. c. Liv. XXXVI, 32.)

Eodem referimus nonnulla in foederum conditionibus imperata per ſe dura et grauiſſima; inprimis multam impoſitam victis per penſiones plurium annorum ſoluendam: ita enim et belli impenſas compenſabant et victi populi vires atterebant, ne nouas res molirentur. Ita Carthaginienſibus bello primo finito imperata bis mille et ducenta talenta in X. annos, vt ſingulis annis CCCXX. talenta eſſent pendenda; altero bello in pacis conditionibus fuit, vt dena millia talentorum in L. penderent, adeoque ſingulis annis CC. talenta *c*). Philippo quoque, Macedonum regi, vt ducenta talenta

c) Videtur in hoc ipſo cauſſa, quam alibi obſeruatam non meminimus, latere, qua permoti Romani repente in tam praeceps conſilium ruerint, vt iniquiſſimis conſiliis Carthaginienſes tertio bello peterent. Pace a. 553. V. c. facta, a. 604. quo tertium bellum decretum eſt, exierant anni L. penſionum; viſum que eſt, Carthaginem nunc ab annuo tributo liberatam nimias opes, Romae periculoſas, adepturam eſſe.

Digitized by Google

talenta penderet ſtatim ante inducias, ipſo autem foedere icto mille talenta: dimidium praeſens, dimidium penſionibus decem annorum; in ſingulos annos L. talenta. Antiochus autem dare iuſſus pro impenſis in bellum factis quindecim millia talentum, quingenta praeſentia, duo millia et quingenta, quum ſenatus populusque Romanus pacem comprobaſſent; millia duodena talentum per duodecim annos. Quibus penſionibus ita fractae ſunt et ſolutae Syriae opes, vt in poſterum nihil inde metuendum eſſet Romanis. Dura haec cum ceteris, viſa tamen modica et moderata, quippe tum imperata, cum victori iam omnia liceret; cumque ea non alia eſſent, quam quae ante praelium ad Magneſiam infeliciter tentatum pacem petentibus reſponſa erant; Scipione quoque Africano ſuadente, *vt bello rex abſiſteret, pacis conditionem nullam recuſaret:* (Liv. XXXVII, 35. 36). Idemque (c. 45) mox legatis, *priusquam*, inquit, *aciem videremus, quum communis Mars et incertus belli euentus eſſet, de pace vobis agentibus, quas pares paribus ferebamus conditiones, easdem nunc victores victis ferimus.* Cum itaque victis non grauiſſima quaeque, quae belli iure expectari poterant, irrogarent, etſi ſuae vtilitati in eo ipſo proſpicerent, laudem conſequuti ſunt Romani *clementiae in victos*, quibus *parcendi morem Romanis vetuſtiſſimum* eſſe pronuntiat Titus Quinctius apud Livium (XXXIII, 12).

Contra Aetolorum ferociam et ſuperbiam ita retuderunt, vt fauentes haberent omnes, qui vexationes eorum et depopulationes continuas tolerauerant.

rant. Multum quidem illi conſilia Romanorum rebus Graeciae imminentium adiuuerant; at mox tumentes et in dies magis ferocientes, Romanorum odiis in ſe concitatis, cum ſe ab iis negligi viderent, (v. Liv. XXXIII, 11. 12. 13) bellum in eos concitant, reges ciuitatesque ſollicitant; Antiocho tandem profligato ipſi deſtituti arma fruſtra mouent, cladibusque multis afflicti tandem pacem petunt, et permittere ſe in fidem Romanorum iuſſi, imperii ſeueritate et indignitate multo magis exaſperati, iterum armis ſumtis, mox vltro petita pace, cum nec tum conuenire poſſet, victi, ad duriora, quam ante, accipienda deſcenderunt (Liv. XXXVIII, 8-11).

Nec tamen Romanos moderatione et aequitate, quam antea praedicabamus, ſemper vſos eſſe, fatendum eſt. Inuidia et odio in Carthaginienſes inflammati, et Maſſiniſſae calumniis fraudibusque inſtigati *d*), nullum eſt iniuriae et contumeliae genus, quo non in eos ſaeuierint, vt ad arma capienda eos concitarent, quo data eſſet facultas delendae vrbis. Cum his igitur inexpiabile bellum eſt geſtum; cum magno quidem ipſorum Romanorum malo; hac enim aemula ſublata ad omnem licentiam et luxuriem prolapſos eſſe Romanos ſatis conſtat. Nec minus ad internecionem pugnatum eſt cum Numantinis, vt vlciſcerentur clades foedas ab iis acceptas. Soluti itaque omni, quo contineri poſſent,

d) Vellei. Pat. I, 12. — *magis, quia volebant Romani. quicquid de Carthaginienſibus diceretur, credere, quam quia credenda afferebantur, ſtatuit ſenatus Carthaginem exſcindere.*

Digitized by Google

poſſent, metu, mox auaritia et libidine ita efferati ſunt, vt, ſenſu honeſti eiurato, foederum quoque fidem inſuper haberent, vtque, quae antea Punica fides erat, fides Romana audiret: *Romani*, Mithridates ad Arſacem Parthorum regem ſcribit apud Salluſtium (in fragm. libri IV. Hiſtoriarum) *arma in omnes habent, acerruma in eos, quibus victis ſpolia maxuma ſunt. Audendo et fallendo et bella ex bellis ſerendo magni facti.*

In *perſugis* perquirendis et retrahendis ſummam ſeueritatem et curam adhibuere Romani; eratque hoc in omnibus fere pacis foederibus caput, de quo difficilis plerumque et pertinax eſſet contentio. Supplicio ſemper affecti perſugae; quippe qui et ſigna ſua reliquerant, et infeſta patriae ſigna intulerant; vt ii in memoriam reuocent miſeram ſortem eorum, qui nunc, cum ad patriam recuperandam arma ferunt, vbi in poteſtatem hoſtium venerunt, tanquam perduelles ſupplicio afficiuntur. Vtinam ne ferox victor recordetur eius, quod iidem Romani fecerunt, vt perturbatores pacis ſibi dedi iuberent; velut in bello cum Antiocho. *Nunquam*, ait Africanus, *ſatis liquebit nobis, ibi pacem eſſe populo Romano, vbi Hannibal erit; eum ante omnia depoſcimus. Thoantem quoque Aetolum, concitorem Aetolici belli, qui et illorum fiducia vos, et veſtra illos in nos armauit, dedetis, et cum eo Mnaſimachum Acarnana, et Chalcidenſes Philona et Eubulidam.* Liv. XXXVII, 45. An exules recipiendi eſſent, aliquoties in controuerſiam veniſſe videmus. Communi omnium gentium iure ſe eos recepiſſe contendit Perſeus (ap. Appian. lib. IX.

de reb. Maced. cap. 3. ed. Lipſ. p. 524). De recipiendis ab Aradiis exulibus conuentum eſſe cum Syriae regibus, narratio eſt ap. Strab. XVI. p. 1094. B C. Bello Punico II. finito de transfugis grauius etiam conſultum; nominis Latini qui erant, ſecuri percuſſi, Romani in crucem ſublati (Liv. XXX, 43). Mortem perfugarum praeſentem deditiones vrbium et caſtrorum ſaepe moratam eſſe in multum tempus, nemo mirabitur. Mithridatem, qui ex his transfugis copiarum ſuarum, ad militiam parum exercitarum, robur conſtituerat, omnes in partes ſe vertere videmus, ne eos tradere cogatur. (Appian. Mith. 98.)

Romanae artis et illud eſt, quod ſpecioſis nominibus duras pacis leges mitigabant, omninoque parendi neceſſitati praetexebant nomen honeſtum *Societatis*, appellabantque *Socios*, quos imperio ſuo parentes, viros, arma. copias, tributa, mittentes haberent. *Maieſtatem populi Romani comiter conſervare* (ap. Cic. pro Com. Balbo 16.) *imperium maieſtatemque populi Romani conſeruare ſine dolo* (vt in foedere cum Aetolis Liv. XXXVIII, 11.) hanc vim habebat, vt imperio populi Romani ſubiectus populus eſſet; ademtum eo ipſo *belli* faciendi ius et poteſtas, et impoſita neceſſitas copias mittendi: quae et ipſae *auxilia* appellabantur: hoc eſt in verbis: *hoſtes eosdem habento, quos populos Romanos, armaque in eos ferunto, bellumque pariter gerunto. Deditio* populorum fieri ſolita eſt his verbis, *vt in fidem ſe populi Romani permitterent;* qua formula cum aliquando vſi eſſent Aetoli, ignari, ita victoris arbitrio ſe ſuaque permittere, mirum in modum falli ſe

ſe mox intellexerunt *e*). Victo captoque Perſeo Macedonia prouincia facta eſt ſpecioſo nomine *libertatis f*).

In hoc autem inprimis probandos arbitramur eſſe Romanos, quod *tempus iuſtum pacis faciendae* ſollerter animaduertere, eoque ſapienter vti, nec illud negligere aut manibus dimittere ſolebant, quodque *morem conficiendae pacis facillimum et expeditiſſimum* amplexi ſunt. De vtroque pauca adhuc ſubiicere conſentaneum eſt. Cum, quoties bellum non ira et cupiditate ſed conſilio ſuſceptum fuerit, ii, qui ſummae rerum praeſunt, conſtituto ſemel, ſed deliberate et prudenter, eo, quod bello aſſequi velint ac poſſint, in tota belli gerendi ratione ac curſu tanquam ante oculos poſitum perpetuo habeant id, quo tendi ab initio conſtitutum erat, hoc eſt pacem: *eſt* ſane *hoc vnum tempus de pace agendi, dum ſibi vterque confidit et pares ambo videntur;* animo reputantes *ſi alteri paullum modo tribuerit fortuna, non eſſe vſurum conditionibus pacis eum, qui ſuperior videretur, neque*

e) Videndus Liv. XXXVI, 27. 28. add. XXXVII, 1. et 49. coll. XXXVIII, 8. 11. et ipſe Polyb. Exc. libri XX, 9 ſq. add. Appian. de reb. Pun. (lib. VIII, 68. ed. Lipſ. p. 385. Vol. I.) et Polyb. I, 31.

f) Liv. XLV, 18. *Omnium primum* liberos eſſe *placebat Macedonas atque Illyrios; vt omnibus gentibus appareret, arma populi Romani non liberis ſeruitutem, ſed contra ſeruientibus libertatem afferre; vt et in libertate gentes quae eſſent, tutam eam ſibi perpetuamque ſub tutela populi Romani eſſe, et quae ſub regibus viuerent, et in praeſens tempus mitiores eos iuſtioresque reſpectu populi Romani habere ſe, et, ſi quando bellum populo Romano cum regibus fuiſſet ſuis, exitum eius victoriam Romanis, ſibi libertatem allaturum crederent.* Pulcra vero oratio!

fore aequa parte contentum, qui ſe omnia habiturum confideret: ſunt Iulii Caeſaris verba Pompeio nuntiata (de B. C. III, 10). Ab hac prudentia, quae ſine moderatione animorum eſſe nequit, qua raro vſi ſunt multi populi, non facile deſciuere Romani; primis ſaeculis, cum viribus vterentur adhuc parum firmis, quoties aut iniurias eſſent vlti aut impetum hoſtis et ferociam repreſſiſſent, ſe paratos ad pacem ineundam oſtendebant, aequasque conditiones vltro ferebant; vbi contra cum potentioribus contentio inciderat, a quibus multas magnasque ſtrages acceperant, non, niſi fortuna propitium tempus ex victoriis obiiciente, pacem admiſerunt, pacem tamen petentibus haud cunctanter conditiones dictarunt, duras forte, non tamen ſuperbas et a victoriae iure alienas: ſatis habentes, aduerſariorum opes frangere non internecione delere. Fortunae viciſſitudines aliquoties experti, (nota ſunt vel ex puerili eruditione, quae in bellis cum Samnitibus euenerunt, aut quae in bello Punico, Regulo iniquas conditiones Poenis ferente mox victo et capto) ſecundo rerum curſui haud confidendum eſſe didicerant; neque hoſtis ſalutem deſperantis audaciam eſſe prouocandam. Ita hac ipſa Reguli ſuperbia et calamitate edocti, annis quatuordecim poſt bello Punico finem impoſuere conditionibus fere iisdem in quas a Poenis dictas iam tum conuenire pax potuiſſet; aſſequutique erant Romani id quod Scipionem edocebat Hannibal: (Liv. XXX.) *Maximae cuique fortunae minime credendum eſt. In bonis tuis rebus, noſtris dubiis, tibi ampla ac ſpecioſa danti eſt pax; nobis petentibus magis neceſſaria quam honeſta.*

Melior

Melior tutiorque eſt certa pax, quam ſperata victoria: haec in tua, illa in deorum manu eſt. — nuſquam minus, quam in bello, euentus reſpondent. Inter haec tamen, iniquis bellorum caſibus et fortuna aduerſante nunquam adducti ſunt, vt foedas pacis conditiones admitterent, aut admiſſas ab imperatoribus ſancirent; hoc illud eſt in quo Romana virtus et conſtantia, maxime eminuit; eaque bello cum Hannibale geſto memorabili exemplo ſpectata eſt; mox tamen ipſi victores facti pacem petentibus Poenis ſine mora dura quidem, aequa tamen imperarunt. Cum autem opes ſatis validas adepti imperium terrarum affectare coepiſſent, eam mentem induerunt, vt ius fasque eſſe ſtatuerent, vt omnes populi nomini Romano parerent: verſumque adeo in ius et morem, vt ſeruitutem omnibus, libertatem ſibi ſolis conuenire prae ſe ferrent g), in que eo nihil, quod ab aequitate recederet, ſe facere putarent. Potuit adeo mira illa ciuitatum Galliae apud Tacitum (Hiſt. IV, 68) conſultatio locum habere: *libertas an pax placeret.* Quanto digniora erant Romanis reſponſa Privernati data: *viri et liberi vocem auditam — eos demum, qui nihil, praeterquam de libertate cogitent, dignos eſſe qui Rnmani fiant:* (lege Liv. VIII, 21).

Quod ſi *belli finiendi tempus iuſtum* aduenisſe viderant Romani, quandoquidem facile conuenitur, quando

g) Indignari neceſſe eſt, ſi ipſum Caeſarem ita loqui audias: *Itaque, quum intelligeret, omnes fere Gallos nouis rebus ſtudere, et ad bellum mobiliter celeriterque excitari, omnes autem homines natura libertati ſtudere et conditionem ſeruitutis odiſſe:* iam quid porro? Ergo opprimendos eos eſſe ſtatuit. v. de B. G. III, 10.

quando animi a quietis conſiliis haud abhorrent, ita vt rationem ſequi malint quam fortunam vel iram et cupiditatem: non iam illi varia cunctatione ac diſſimulatione res differre, in varias partes trahere et omnia alia, quam quae vellent, oſtendere; ſed ſine omni calumnia et dilatione admiſſa hoſtium legatio, audita ab eo, qui exercitum ducebat; conditionibus vtrinque compoſitis res nuntiata Senatui, a quo probarentur illae ſeu mutarentur, aliaue adderentur. Renuntiato Senatus decreto pax facta. Intercepta eſt hac rerum agendarum celeritate et ſtrenuitate omnis illa calliditas, quae in pacis conditionibus, tanquam in laqueis contexendis, elaborare ſolet, quibus irretita poſtera aetas nouis discordiis et bellis ſe implicitam eſſe ſentiat et exitioſam ſibi vafritiem iſtam, quam vulgo politicam appellant, diris omnibus deuoueat.

Vt autem haec tam breuiter ac celeriter peragi poſſent, Romanae reip. inſtituta facile admittebant, hac quidem in re admirabilia. Omnis enim pacis faciendae deliberatio eiusque decernendae ratio erat apud *Senatum;* nec niſi decreta pax ad populum, vt eam iuberet, ferebatur *h*). Inter Senatores autem erat magna pars eorum, qui ipſi exercitus duxerant, et

h) v. c. Liv. XLV, 21. Niſi forte, quod raro factum, in Senatu ipſo de pace diſſenſus erat: tum ad populum de pace latum eſt; vt, cum Cn. Lentulus Coſ. cui Africa prouincia, mox claſſis, obtigerat, bellum cum Carthaginienſibus ducendum eſſe contendebat, a Tribunis pl. ad populum latum eſt: v. Liv. XXX, 13. et diſertius ap. Polybium. Erat tamen vel ſic ſummum belli pacisque arbitrium apud populum, nec tamen niſi e Senatus auctoritate.

Digitized by Google

et triumphos egerant, vt adeo, quemadmodum de belli gerendi modo, ratione et tempore, ita de pace prudentius ſtatuere poſſent, quam ii qui rebus ciuilibus ſolis innutriti fuere. Aderant ii ipſi, qui ſuperioribus annis in iisdem terris bellum geſſerant, adeoque rerum ſtatum et conditionem, populorum ducumque ingenia et mores ipſi optime norant. Prudenter itaque a Senatu de bello et pace conſuli potuiſſe nemo dubitet. *Nulli* praeterea erant Romanorum *ſocii aut foedere iuncti*, quorum ſeu nutu et arbitrio ſeu aſſenſu pacis conditiones eſſent ſcribendae. Socii enim, qui erant, non aequali iure coierant, ſed inferiores erant imperio et auctoritate; quorum quam parum ratio ſit habita, vel in pace cum Philippo agitata diſcere licet: (v. Liv. XXXII, 32 ſq. XXXIII, 11. 12). Interuentu tamen er deprecatione Sociorum in bellis ſoluendis et conditionibus mitigandis multa peracta paſſim legimus, vt in bello cum Aetolis. Etſi enim *ſponſiones* et *fideiuſſiones*, quibus nunc vti ſolent, veteres vſu non habuerunt: auctoritate tamen ſua hos ipſos interceſſores continere eos, quos in foedus reciperent, et vt foedus ſeruarent admonere, bene intelligebatur. *Multum autem, per quos petita ſit, ad fidem tuendae pacis pertinet.* (Liv. XXX, 30 extr.) Porro primos ad pacem componendam aditus inſtruendos relinquebant Romani *ducibus exercituum*, qui optime ex locorum temporumque rationibus iudicare poterant, quid factu opus eſſet. Ne tamen horum cupiditati temere rerum ſummam committerent, more receptum fuit, vt Senatus *legatos* cum mandatis mitteret, plerumque numero *denos*, qui impe-

imperatori in legibus ſcribendis adeſſent et ex quorum ſententia, quibus legibus ei videretur, pacem ille faceret. (v. c. Liv. XXX, 43 de Scipione.) Inde populi, cum quo pax conuenerat, legati Romam proficiſci iuſſi, vt, quae ab imperatore ex decem legatorum ſententia acta eſſent, ea Patrum auctoritate populique iuſſu confirmarentur (ibid. c. 43). Etiam in his de pace actionibus multa occurrent vobis, Commilitones, lectu iucunda et ad vitam rerumque actum vtilia: etſi ea ſigillatim perſequi non vacat.

Adiuuabat non nunquam pacis conſilia eaque accelerabat inſtitutum Romanorum hoc, quod *annua* erant *imperia;* niſi itaque imperii ſibi prorogandi ſpes adeſſet, quod ſerius magno cum reip. malo factum eſt, conſul aut praetor ad bellum miſſus fortunae non modo inſtandum eſſe videbat, verum etiam ne, qui ſibi vt ſuccederet miſſus erat, gloriae fructum ad ſe raperet, pacis componendae conſilia proponebat; id quod plurimis exemplis conſtat, inprimis in bello Punico ſecundo, in bello cum Philippo et in aliis.

Etiam illud memoratu dignum eſt, quam *plana ac ſimplici formula* pacis foedera a Romanis fuere perſcripta; tantum abeſt vt illae de induſtria inſidioſe et captioſe ſcriberentur *i*). Enuntiatae autem conditiones *ſermone illo imperatorio Romano:* qui vel ſolus populum terrarum dominum arguere poſſet.

Fecia-

i) Semel fallaciam ac fraudem commiſſam meminimus in pace cum Mithridate facta, quae ne perſcripta quidem fuit. (Appian. Mithrid. c. 70.)

Digitized by Google

Fecialium opera adhibita eſt ad foederis ſollennia; neque in ea quicquam ad prudentiam ſpectat, niſi quod ritus religioſi ſanctitatem pactioni conciliarunt.

Tandem et id in Romanorum laude habendum eſt, quod *conditionibus pacis exſequendis* ita inuigilarunt, vt nihil omiſſum aut dilatum eſſe vellent; aſpernantes eas artes, quibus per calumniam, dolum malum aut calliditatem differuntur res, vt nouum inde quamuis tenue et exiguum lucellum capiatur, etſi irarum et calamitatum incendio aliquando nepotibus ex ea fraude erupturo.

Eſſent adhuc alia in negotio pacis omnium, quae inter populos exiſtere poſſunt, grauiſſimo memorabilia, quae in rerum geſtarum annalibus occurrunt. Verum ſubſiſtamus in bonis votis pro reip. ſalute et incolumitate bonaque pace Germaniae quam primum reſtituenda.

PP. in Georgia Auguſta pridie Kal. Sept. cIↃ IↃ ccxcv.

INDEX.

Digitized by Google

I N D E X. *)

Achaei ſub Caucaſum 133 e).

Adrianus conſilium publicum ex Ictis delegit 220. 222.

Aegyptii. In iis duorum diuerſorum populorum indicia ac veſtigia agnoſcere licet 207 p). antiquioris alicuius culturae artiumque veſtigia 208. eorum in Indiam nauigationes memoria exciderant 209.

Aegyptus. eius ſubiugatio propter commercia Indiarum et Europae exoptanda 36. 38.

Aemulatio. eius natura 249 ſqq. eam Erida veteres appellarunt 250 ſqq. duas habet Heſiodus Erides 251.

Aethiopes. Brucii de iis narrata 205. et l). duplex eorum genus in Herodoto 206 n).

Africa ſeruitiorum parens, quibus de cauſſis 122.

Agſos. Agaſi. Agazi. Brucii opinio de iis 199. 205.

Alexander magnus. eius temeritati debemus litterarum et philoſophiae facem 172. eius aetas magnorum virorum prouentum habuit memorabilem 175. patris Philippi conſilia exſecutus eſt 172. Eius in Aſiam expeditio 34 ſqq. 44.

Alexander rex Aegypti 293 alius ibid.

Alexander II. rex Macedonum 168.

Alexander Imp. de eius ſtudio iuris 222.

Alexandria litteris florens 439. fugatae Ptolemaei Phyſconis crudelitate litterae 438. ſed mox ab eodem exteri magnis praemiis, vt Alexandriam deſertam confluerent, inuitati 441.

Alexandrini. quae Dio de eorum moribus narrat 295.

Alexis, ἐν ἱππεῖ. 436 t).

'Αμυηστείας lex 502 h).

Amor, niſi a iudicio virtutis et beneuolentiae proceſſerit, fruſtra ſimulatur 180.

Ανάκρισις et Ανάγνωσις 87. 88.

Antiochus. rex. eius epiſtola ad Phaniam 437.

'Απαγωγή. 85.

'Απάγξασθαι 510 a).

Appia-

*) Debetur ille operae iuuenis probi et ſtudii pertinacia fortunae anguſtias euincentis *Georgii Frid. Wiegmann*, Clausthal. Seminarii philolog. Sodalis.

Appianus. loc. (Mithrid. ſ. 78.) ill. 138 l).
'Απροστάσιον 83.
Archontes, quae partes eorum in re iudiciali fuere 78. 80. 84 ſq.
Areopagus. quae cauſſae ad eum pertinuerint 77 ſqq.
Ariarathes rex Cappadocum 136.
Ariſtophanes. eius fabula, *Equites* inſcripta, democratiae corruptelas et demagogorum artes exhibet. eius fabulae argumentum expoſitum 404 ſqq. ei. Scholion de X tabellis 79 b). ei. loc. ill. 400 d).
Ariſtoteles de demagogis et de oligarchia praeclare diſputavit 414 v).
Artes. earum cultu veteres ſuperarunt aetates recentiores 208.
'Ασέβεια. in quo iudicio de ea actum ſit 78. eius accuſatus Midias 81. 83. et Socrates 89.
Athenaeus. ei. loc. (XII. p. 574. A.) de Scto Rom. ill. 424 b) loc. (XIII. p. 610.) emend. 436. et de epiſtola Antiochi ad Phaniam ill. 437 v).
Athenae habuere tribunalia et dicaſteria 69. oratores erant conſtituti, qui reos in iudicium adducerent. ib. Contentiones inter Alcmaeonidas et Piſiſtratidas multorum malorum cauſſae fuere 497. 498.
Athenienſes maiorem in re iudiciaria ſubtilitatem quam Romani ſectati ſunt 77. de iudiciorum publicorum ratione apud eos. vid. *Iudicia*. Libertatis et aequalitatis ciuilis in eorum rep. delineatio ex Ariſtophane 396 ſqq. vitia reip. 396. ex quibus cauſſis corrupta ſit ciuitas 403 ſqq. per quos homines, quibus artibus 404. 407.
Athletica. vid. *Gymnaſtica*.
Auditorium principis a Conſiſtorio diuerſum 221 d).
Auaritia regum inter cauſſas afflictorum et euerſorum regnorum 168 m).

Bacchanalia. de iis quaeſtio 61.
Barbari noſtri aeui non comparandi cum iis, quos Graeci et Romani hoc nomine appellarunt 39. eorum belli gerendi ratio 39. 40. eorum imperiorum ac regnorum ratio libertati infeſta 122. num eorum incurſiones metuendi ſint 42. vid. *Expeditiones*. Factarum a barbaris incurſionum exempla 43 ſqq.
Bellum. In melioris vitae cultu manet bellorum barbaries, et hominum ſollertia non niſi ad nouos modos artesque belli gerendi adhibetur 468. neque ſapientiae ſtudia ad ea regenda vim habuere magnam 469. neque melior philoſophiae et ſanctior Chriſtianorum religio

in bellis multa mutauit 472. tantum neceſſitas aut vtilitas aut vitae melior cultus a bonis litteris profectus nonnulla mutauit 473. duo bellornm genera pro libertate, et gloriae parandae cauſſa 470 ſqq.
Bellum ciuile. diſcrimen eſt inter bella ciuilia Romanorum et noſtrae aetatis 506. eſt genus belli internecini 482.
Bella internecina. eorum notio 462 ſqq. cauſſae in populis prorſus feris 465. in populis barbaris 466. genera et euentus antiquitatis exemplis illuſtrati 474 ſqq. Bella internecina barbarorum 474 ſq. Graecorum nouas ſedes quaerentium, aut hoſtes in fines ingreſſos caedentium 476. Romanorum cum barbaris, qui in finibus tranquille agebant 477. Carthaginienſium cum mercenariis. ib. bellum Phocenſe ſacrum 478 ſq. b. Punicum tertium 479. Romanorum cum rebellibus 480.
Bellum Punicum III. iniuſte ſuſceptum 534. eius cauſſa occulta 532 c).
Βήματα quatuor Athenis 77. praefuit iis βασιλεύς 78.
Berberi. vnde Barbariae nomen natum putat Bruce 199.
Boehmer, Ge. Lud. eius ſacrum ſemiſaeculare d. XVII. Sept. XC. 211. 214. Oratio in eo ſacro habita 231 ſqq.
Bruce, Iac. eius opiniones de primis commerciis et nauigationibus in Indiam expoſitae 196 ſqq. et diiudicatae 203 ſqq.
Bryges ſiue Brigi 164 f).
Byzantium exercuit quaeſtum mangonicum 128 d).
Calendarium veterum. eius ratio 266. qui de eo ſcripſere ib.
Cappadoces. quo imperio tenebantur 136. libertatem a Romanis oblatam reſpuunt 137. rex eorum mancipiis locuples 138.
Carneades legatus Romam miſſus 427. quomodo accipienda narratio de eius diſputatione de iuſtitia in vtramque partem 427 f).
Caſus mirabiles ad deum referre, quam varie dicatur 97. in his morborum ſanationes 99.
Caucaſus. Populi ſub eum ad mare habitantes praedationes maritimas, plagii faciendi cauſſa, fecerunt 133 g).
Cenſurae librariae exemplum Domitiani crudele 433 n).
Certamina, apud Graecos et Romanos religionum et ſacrorum cauſſa habita 104 105. cf. *Ludi.* De eorum vtilitate in vtramque partem diſputatum 12. cum corporum tum ingeniorum exercitationes inter veteres viguerunt 12. gymnicarum exercitationum vtilitas primis
aetati-

Digitized by Google

aetatibus ib. et 14 *). corruptae eae ſerioribus ibid. earum neglectum nos multis luimus malis 13. Certamina ingeniorum oſtentationis et vanitatis multum habuere 14. Dramatum certamina apud Athenienſes ib. Certamina a rege in Acad. Georgia Auguſta inſtituta 17. eorum conſilium 18. leges 28. quatenus certamina noſtra litteraria cum illis comparari poſſint 107. vid. *Quaeſtiones* in indice rerum academicarum.

Chauci. loc. Taciti de eorum iuſtitia 483.

Chorus fecit initia ludis ſcenicis, et inuitauit ad pompam ducendam 105.

Cleo demagogus 406. 412.

Cognitiones, quam late pateant 221.

Coloniae deductae, quibus legibus 353. 356. 357.

Comana dea et vrbs 136.

Comitia tributa. in iis iudicia populi conſtituta a magiſtratu plebis 58-60.

Commerciorum viciſſitudines antiquiſſimae e mente Brucii 201 ſq. 206 ſq.

Commodus. eius deſidia 223.

Conſilium publicum 61.

Conſiſtorium 221 d). Conſiſtoriani comites 222 e).

Conſtitutiones principum, quando coeperint eſſe frequentiores 220.

Conſules. eorum iurisdictio 55. 58.

Coraceſium, 134.

L. Craſſus. quid eum adduxerit, vt in edicto cenſorio rhetorum latinorum ſcholas eſſe tollendas cenſeret 429 h).

Crates Mallotes, 429.

Crimina publica. apud Romanos primis temporibus 52. 53. ſub Impp extraordinaria 70. Criminalis iuris noſtri notio diuerſa ab antiquitate 65.

Cuſchaei. narrata de iis Brucii 197 ſq. 203 ſq.

Delicta et *actiones e delicto* 50. 59.

Delus inſula: in ea praecipuus mancipiorum mercatus 134.

Democharis oratio pro Sophocle 436.

Deportatio reorum apud Britannos in nouam Cambriam auſtralem, nouum eſt poenae genus 270. 273. ſalubre 274. 284. deportatio in Sibiriam atrocior 274. quo conſilio antiquis temporibus populi victi deportati ſint. v. c. Hebraei in Chaldaeam 276. ad deportandos reos neque a Graecis neque a Romanis deductae ſunt coloniae 277.

inter Romanos deportandi modus inſtitutus ab Auguſto, in ipſas filias 280. diuerſa eſt a relegatione et exilio 280 ſqq. deportatio in inſulam, quid ſit 282. acceſſit haec poena ad interdictum ab aqua et igni ib. exempla deportationis 281. loca in quae plerumque deportatio facta ib. cf. *Relegatio*, *Exilium* et *Interdictio*.

Δῆμος. ei. notio ill. 400 i).

Δίκαι. cauſſae priuatae 79. 84. generaliori etiam ſenſu γραφὰς comprehendebant 86. δίκη εἰσαγώγιμος 88. ἐμπρόθεσμος 87. ἐρήμη 88. nonnulla δικῶν genera memorata 90.

Δικαστήρια ſex περὶ δημοτικῶν 97. quae cauſſae ad ea ſpectaverint. eorum praefecti. numerus iudicum 79 ſq.

Dionyſius Halic. eius ſententia diiudicata 53. et ill. 56. 57.

Diſſenſus hominum, etiam iisdem vocibus vtentium, tolli nequit 98.

Δμῶες 127 *).

Δοκιμασία 83. 85. 87.

Domitiani edictum de philoſophis ſubmouendis 434.

Εἰσαγγελίαι ad populum 81. 82. εἰς βουλήν. 84-86, ſaepe inter γραφὰς referuntur 86. 87.

Eloquentia. eius vſus et neceſſitas in rebus publicis 397. in iudiciis 71. dignitas et laus 72. quo differat negotiorum ſcripto an oratione gerendorum ratio 398. exemplo Francorum declarata 401. eius prauus vſus, 73. et mala certiſſima 397. eloquentia adulatoria 402 e).

Emathia 162.

Ἔνδειξις 85. 86.

Epheſiorum decretum de Hermodoro 509. loca de eo ill. 510 a).

Ἔφεσις 80. 83.

Ephetae 79.

Erides duas habet Heſiodus 251.

Εὔθυναι 83.

Europa. num barbarorum incurſiones in eam metuendae ſint. 32-46.

Exilia. exiliorum notio 489. de exilio ſcriptores 493 b). ea in omni ciuitatum et imperiorum genere locum habuere ib. ſeq. praeſertim in ciuitatibus liberis 490. legibus irrogata. maxime vero in factionum turbis 491 ſq. illa aetate grauiſſima erat calamitas. quibus de cauſſis 491. exilia apud Graecos 277. apud Romanos ib. et 503. in libera republ. 278. inter factiones principum 279. inter bella ciuilia 503 ſqq. ſub Impp. 280. modo latius modo anguſtius nomen acceptum 281. quae genera

Digitized by Google

nera Marcianus conſtituit, ib. d) cf. *Deportatio* et *Interdiſtio*. Exilia philoſophorum 427. 435. 437. per exilia cultus humani generis, artes et litterae propagatae 501.

Exules, non habent caput, ſed proſcriptis ſimiles ſunt 275. Auguſti edictum de exulum licentia et luxu coerçendo 283. exules aegre recepti in foederis pactione 535 b). miſera eorum fortuna 496. 497. per exules bellum Peloponneſium concitatum 499. Athenis exules Alcmaeonidae et Piſiſtratidae multorum malorum cauſſae 497. 498. perpetuarum diſcordiarum et bellorum ſemina circumferunt 499. 500. non eodem loco omnes habendi 500. Remedia fortunae exulum varia 501 ſq.

Exulum reditus tentati 494. vix vnquam ſucceſſum habuere ibid. eius rei cauſſae in ipſis moribus, conſiliis, vitiis, peccatis exulum ibid. 495. 496. reditus ex lege lata 502.

Ἐξορίζεσθαι. 283 h).

Expeditiones longinquae in barbaros, difficultates multas habent 32 ſqq. exempla earum, quae ſucceſſum habuere memorabilem 34. 36. ſed et infeliciter ſuſceptae proſtant 35. noſtris temporibus ne cogitari quidem poſſunt 37 ſq.

Feciales, eorum opera in pace ſcribenda 543.

Feſtus. ei. loc. emendat. 60 g).

Galenus damnat Athleticam 16.

Georgius III. ſollennia ob recuperatam valetudinem 91 ſqq.

Gerraei Arabiae. quid ab Antiocho arma in ipſos vertente petierint 317 b).

Gracchus. Tib. Sempronius. eius rogationes 364. inde orta certamina Senatus et populi. ibid. cf. *Leges agrariae*.

Graeci ad certa principia regnum et libertatem reuocarunt 123. vnde mancipia petierint: v. *Mancipia* experti ſunt omne inſtituendae reip. genus 353. aliae e Graecis ciuitatibus fortunarum aequalitatem tutiſſimum libertatis munimentum putauerant, aliae in ipſa fortunarum inaequalitate iuris aequalitatem melius conſtituerunt 354. Graeci patria expulſi et per Italiam diſperſi a principibus ciuitatis ſuſcepti 427. Inter Graecos tentatae litterarum expulſiones 434 ſqq. vid. *Litterarum ſtudia*. Graeci habitu corporis inter barbaros conſpicui erant 14.

Digitized by Google

Γραφαὶ cauſſae publicae 79. varia earum genera 86. 87.
Gymnaſticae exercitationes varii erant generis. earum conſilium. noſtris temporibus optandae. cf. *Palaeſtra.* in artis formam redactae. quando et quo auctore. vtilitas. eam tuetur Lucianus. exercitationum gymnaſticarum enumeratio. Scriptores de re gymnaſtica; in his ii, qui eam reprehendunt. 14 *) ſqq.

Haſtings Warren. repetundarum reus factus. 49. 65.
Ἡγεμονία δικαστηρίου 86.
Heliaea. nobiliſſimum τῶν δικαστηρίων. 79. caedis commiſſae iudicia in ea facta occurrunt 87.
Herodicus auctor putatus rei gymnaſticae in artis formam redactae 14.
Herodoti locus de colloquio inter Perſam aliquem et Orchomenium 392.
Hiſtoria fructum ad hominum animos et iudicia nunquam habuit, quem habere debebat, et habere creditum eſt 333. Hiſtoria generis humani, quam adhuc habemus, inhumanitatis eſt hiſtoria 481. loc. Ciceronis de hiſtoria 484.
Hommel. eius iurisprudentia numismat. 228 i).
Homerus. apud eum exempla mancipiorum 127.
Homines inter res habiti 122.
Humanitatis ſenſus. ei. natura 444 ſqq.

India. de eius natura, opibus et commerciis, nauigationibusque in eam, quae expoſuit Bruce. 196–206.
Interdictio aqua et igni 278. ab initio non coniuncta cum vitae periculo ibid. atrocitas eius ſerioribus aetatibus. ibid. 279. cum proſcriptione coniuncta ibid. an in eius locum deportatio ſucceſſerit 282. 283.
Ἰσομοιρία — ἰσοτέλεια — ἰσοψηφία — ἰσοπολιτεία — ἰσονομία, 355 b).
Iudices. eorum numerus Athenis 79. in ſingulis cauſſis 80.
Iudicium animi cuique ſit liberum relictum in cauſſis opinabilibus 6.
Iudicia publica apud Athenienſes. eorum diuerſitas a diuerſa re 77. 79. Vnicuique e populo accuſare licebat 80. ad quem deferendum fuerit nomen. ib. quae cauſſae ſpectauerint ad iudicia populi 80–84. quid Solon in iis conſtituerit, et quid alii demagogi mutauerint 81 e). de modo conſtituendi iudicii populi 82. 83 ſqq. exemplum iudicii in Praetores 84. quae cauſſae ad Senatum ſpectauerint 84 ſqq. quae in iudiciis acta ſint 86. 87. cf.

Digitized by Google

cf. γραφαι. de forma iudiciorum 87. 88. falſis delationibus iniecta frena per leges 89. 90.

Iudicia publica. in crimina publica conſtituta apud Romanos 52. 66. origo 53. 67. iudicia ſub regibus 53. vnum perduellionis 54. cf. *Prouocatio.* Bruti 54 quis iudicia populi conſtituere potuerit 56. quomodo factum, vt Trib. pl. ipſi ad populum accuſarent 56. 57. iudicia populi in comitiis, etiam in tributis 57. ad quaenam crimina ſint inſtituta 58. 59. Nouae cauſſae, noua iudicia et quaeſtiones extraordinariae, vnde ortae ſint 60. perpetuae 61. 67. Senatus iudicia rerum capitalium memorata, quibusnam in cauſſis 61. quid Sulla mutauerit 62. iudicia publica et cauſſae, delicta et crimina, e noſtro iure criminali conſtitui nequeunt 65. vnicuique poteſtas fuit accuſandi, nec iudex ex officio inquirebat 66 – 71. iudiciorum in liberis ciuitatibus ratio et indoles 69. 70. Oratorum vtilitas et neceſſitas in iudiciis 71. cf. *Eloquentia.* iudicii ficti breuis expoſitio 74.

Iulianus iurisprudentiae lux appellatus 218. quis fuerit 229 k).

Iuriſconſulti. iis habiti honores ab impp. Rom. 214 ſqq. cauſſae 215. eorum auctoritas tempp. reip. liberae 215. 216. num iis in rep. libera praemia fuerint decreta 217. eorum auctoritas ſub impp. 215. 217. adhibiti conſiliarii ab impp. ad expediendas grauiores cauſſas 219. 225. Adrianus primus delegit conſilium ex iis perpetuum ac publicum 220. Ictorum opera in edictis et reſcriptis perſcribendis 222. eorum opera vſi ſunt Praefecti et vrbi et praetorio 222. 225. ita euenit, vt illi ad has dignitates ipſi adſpirarent 223. Quibus de cauſſis poſt Alexandrum Seuerum Ictorum dignitas exoleuerit, iurisque profeſſio obmutuerit 223 ſqq. Num ſub Conſtantino et ſequentibus Impp. ſplendor iis redditus ſit 226. Icti iure profitendo inclaruerunt, et apertae ſunt ſcholae, quarum Profeſſores ad aulam arceſſiti ſunt 227. multi et ſtatuis et picturis honorati 228.

Iuſtinus. loc. VII, 4, 1. ill. 166.

Legati ad pacem ſcribendam miſſi 541. 542.

Leges agrariae peſtiferae et execrabiles 350 – 373. lex agraria proprie eſt formula de numero, et de conditionibus colonorum deducendorum 353 ſq. quomodo ad leges agrarias res ſit deducta 355 – 358. ager publicus a pa-

a patribus conductus mox in bonis habitus 359. Lex Terentilla 360. Lex Licinii agraria 362. inde aliae LL. 363. earum neceſſitas et cauſſae ibid. Gracchorum leges agrariae, motus ciuiles et caedes 364. 366 ſqq. lex Thoria 369. Marcii Philippi 650. inde a Gracchorum rogationibus orta ſunt Senatus et populi certamina 364. lex Iulia 370. aliud LL. agrar. genus, quum veteribus poſſeſſoribus per vim eiectis nouis colonis agri diuiderentur 370. LL. agrariae de proſcriptis inter bella ciuilia 371. Lex agraria, qua fortunae omnium aequarentur, inter Romanos omnino exſtitit nulla 372. Alius generis ſunt, quae apud Cretes et Spartanos fuere 354.

Leges XII. tab. quo conſilio factae 361.

Lex regia. ei. vitia 343 d).

Liberi inter res habiti 125 et b).

Libertas populorum raro cum expectato ab iis fructu recuperatur 144 ſqq. eius notio diuerſa 144. de eius acceptionibus et interpretationibus falſis et fraudibus iam multa apud Graecos occurrunt 470 c). eius *recuperandae* modi diuerſi. in regnis 145 ſq. quare talia auſa parum proſperos ſucceſſus habuerint 147 ſq ignorata ratio libertatis recte conſtituendae ib. cur non niſi bellis ciuilibus ea recuperari ſoleat 150. quomodo populi ciuitatesque liberae eam recuperaſſe dicantur 153 ſqq. Rata et valida eſſe poteſt, etiamſi rex eiectus eam ratam habere noluerit 300.

Liberae ciuitates aliorum libertati maxime infeſtae 156 ſqq. Parant ſibi eam populi alios ſeruitute opprimendo 131 ſq.

Libertatis Athenienſium delineatio. vid. *Athenienſes.*

Libertas publice monendi et caſtigandi vtilitates habet; modo ea non a leuitate animi, inſcitia vel malitia proficiſcatur 310.

Litteraria res nunc ad quaeſtum deducta 141.

Litterarum bonarum ſtudia tanquam imperiis infeſta, perperam proſcripta 416-442. vnde opinio haec ſuſcepta ſit 417 ſq. eſt ea erronea 419. litterarum ſtudia abolendi conſilium prauo iudicio conceptum 420. 421. 441. ipſa res effectum habere nequit 421. quod docent hiſtoriae omnium temporum 423. earum praeſidium firmiſſimum poſitum in Religionis noſtrae ſanctioris indole 423. Senatus Romani de litteris Graecis ab Italia arcendis conſilia 424 ſqq. ſucceſſum non habuerunt

Digitized by Google

buerunt 430. Tentatae in ipſa Graecia litterarum eiectiones, per factionum turbas 434. Alexandria 438.
Litterae artesque in imperio Romano extinctae quibus de cauſſis 434.
Litterae Graecae per Italicam propagatae 427. 429.
Litterarum ſtudia animi iudicia a vulgi iudiciis retrahunt 377. ab innocentia et pietate celebrantur 378. earum fructus quatenus poſt mortem perdurant 234. earum noſtra aetate facies noua 288 ſq.
Lucianus vtilitatem exercitationum gymnaſticarum tuetur 15 *) ſq.
Lucta. eius varia genera 16 *).
Ludi Graecorum et Romanorum, quibus de cauſſis inſtituti ſint 104 ſqq.

Macrobii 206 n).
Macedonicum regnum. eius opum auctarum, attritarum et euerſarum cauſſae probabiles 161 ſqq. ſitus Macedoniae opportunitates 161. 169. primi incolae, et primae ſedes 162 ſq. e multis barbarorum populis paucisque Graecis colonis coaluere ib. regum ingenia litteris artibusque Graecorum expolita 162 ſqq. virtus barbarorum incurſationibus exercita 164. regni inſtituta 165. Macedonum ingenia et laudes 166. Reges ſeſe Perſarum imperio ſubmiſerunt 166 ſq. qui populi in Macedonia ab Herodoto memorantur 164 f). Contentiones cum Athenienſibus 167. regnum bellis ciuilibus attritum a Philippo reſtituitur 168. cf. *Philippus.* Macedones a maris vſu excluſi 167. 170. diu Graecis praeſidio erant 170. Philippus rebus Graeciae ipſis interuenit 171. Alexander quae a patre inchoata erant, perfecit 172. Macedonia ex Alexandri victoriis nihil lucrata eſt 173. Tandem bellis cum Romanis geſtis, innumeris cladibus eſt vexata et afflicta 174 ſqq.
Maieſtatem pop. R. comiter conſeruare, quid ſit 536.
Mancipia: Viciſſitudines locorum, e quibus illa adducta fuere 121 ſqq. cur potiſſimum ex Africa 122. e quibus terris in Graecorum et Romanorum fora aduecta 127 ſq. a ſeptentrione potiſſimum olim, nunc ex Africa 121. 128. eorum vſus primis temporibus 127. poſtea mercaturae genus conſtitutum 127 ſq. quibus locis maximus eorum prouentus fuerint 128. 135. fora venalitiorum 128. 134. eorum vſus inter Romanos 128 ſq.

 res

Digitized by Google

res mancipi 129. cur non prouiſum vt ſerui prolem procrearent 130. eorum vſus in muneribus edendis 130 ſq. Venalitiorum aduectio quaeſtus opiparus factus. quae mala inde exſtiterint 133. Mercede conducti operam praeſtiterunt mancipiorum 127. 128.

Marcianus vid. *Vlpianus.*

Meroë a Cushaeis condita 198.

Morbus ingenii humani, alios ad conſenſum in ſuas opiniones pertrahendi, inſanabilis et exitioſus 3 ſq. quibus temporibus aut periculoſior, aut mitior ſit 3 ſq. diſſenſus hominum in rebus opinabilibus 5. facile in inſaniam abire poteſt 6. ſigna eius manifeſta ib. diagnoſtica et prognoſtica occultiora 7. eius cauſſae 3. 9. ſingulare genus morbi eſt, ſibi perſuadere, alios in ſuam ſententiam conceſſiſſe, vel conceſſuros eſſe 10.

Multa victis impoſita per annuas penſiones ſoluenda 532. 533.

Muſarum otia ſine armis tranqnilla 374 ſqq.

Nero. quatenus exclamare potuerit: *Qualis artifex pereo* 234.

Nigritae, libertate donandi an ſint 120. 121.

Oaſes Aegypti, inter exilia remotiora 284.

Ὀνήϊςος 570 a).

Pacis decernendae ius apud Senatum erat 540. in pace ſancienda ſponſionibus et fideiuſſionibus Rom. non vſi ſunt 541. pacis formula ſimplex et plana 542.

Palaeſtra habita inter cauſſas et initia cultus vitae. eius auctor proditus Mercurius 14.

Παλλάδιον tribunal 77.

Parricidium. eius notio 59. 60.

Paſtores Hycſos 199. eorum dynaſtia 200. 205.

Patriae amor, olim ſummus, nunc interdum nullus 493.

Patronus adſcitus a prouincialibus 68.

Perduellio, quae fuerit 54. 58. 59. et 279. eius iudicium proprium eſt populi 60. 61.

Perfugae a Romanis conquiſiti 535.

Phanias 437 v).

Φάσις 80. 85. 88.

Philippus 168. Graeciae principatum affectare coepit 169. cur in bellis cum Athenienſibus geſtis non cogitauerit de nauibus faciendis 170. quae res ipſi viam in Graeciam patefecerint 171. conſilia cepit belli Perſis inferendi 171 ſq.

Philo-

Digitized by Google

Philoſophi fugati a Domitiano, quo abierint 433. Carneades, Diogenes et Critolaus legati Romam miſſi 427. philoſophi a Gellio conuocati non inter ſe conueniunt 4.
Phoenices mangonicum quaeſtum fecere 127.
Phoenix Colophonius 510 a).
Φόνος. φονικὰ 77. 78.
Φοβαττῶ 77.
Phryges ſerui, vnde tanta eorum multitudo 135.
Phut gens. quid Bruce de iis tradat 199. 205. 206 n).
Pindarus. ei. loc. Iſthm. 7, 12 ſqq. 95 *).
Plinius. ei. loc. de Macedonia ill. 164 g).
Poenae: earum et ſuppliciorum genera a vindictae cupiditate profecta, a barbaris inuenta et vſu frequentata ſunt 270. ſapientes multum de aliis poenis, poenae capitali ſubſtituendis, egerunt 271. genus emendandi vnum, ſed difficillimum 272 ſq. cf. *Deportatio, Relegatio, Exilium.*
Politia generalis. vid *Reſpublica.*
Pollux. fons rei iudiciariae apud Athenienſ. 78 ſq.
Pomponius. eius loc. de quaeſitoribus 60. loc. ill. 217 a).
Populi inter res dominorum habiti 122. 123.
Praefecti vrbis et praetorio, quae crimina ad eos delata ſint 70. Praefecti praetorio e lectis lecti 222 ſq.
Praetores quaeſtionum cauſſa conſtituti 61.
Principes Sereniſſ. *magnae Britanniae,* bona vota in eorum diſceſſu facta 242 ſqq.
Προβολή, eius notio 82. quibus in cauſſis locum habuerit 83.
Proſcriptio a Sulla inuenta 279. proſcriptionis Triumuirorum formula ib.
Prouocatio ad populum prima in cauſſa Horatii 54. tum regibus eiectis 55. quibusnam in cauſſis ib. quae nata ſint per eam iudicia publica 67.
Prudentia ciuilis ad malas artes deflexa 287.
Prudentia politica varios ſenſus habet 528. in bellis ſciſcendis, gerendis et finiendis 528. 529. Romanorum ea prudentia fuit 529. 530. inprimis in bellis finiendis 531. exemplis declaratur 532–534. ab ea illi receſſerunt magno cum ſuo malo 534. alia prudentia in perfugis et perturbatoribus pacis conquirendis 535. ſpecioſis nominibus in durioribus foederis conditionibus vtendo 536. in tempore iuſto pacis faciendae arripiendo, quod cum moderatione coniunctum eſt 537 et ſine mora et calliditate pacis conditiones dicendo 540. 541. exſequendo 543.

Ptole-

Digitized by Google

Ptolemaeus Auletes 294. Philometor: vterque reductus in regnum 293. Phyſcon 438.

Quaeſtiones extra ordinem 60. perpetuae 61. magiſtratibus mandatae 67. quaeſtio de iniuriis, eius natura ſingularis 70 f).

Reges, a ſuis fugati, eorum tentati reditus et reductiones 289 ſqq inter Romanos Tarquinii 290. cur tales conatus plerumque ſucceſſu careant 290. 298 ſq. reges reducti a Romanis, Aegyptiorum 293. 295. Parthorum 295. Reditus regum tentati inter Graecos 296. bellum Thebanum de Polynice reducendo 296. expeditio Perſarum in Graeciam de Hippia reducendo 297. Nullus in Graeciam reductus tyrannus; exules tamen vi externa reducti 297. Quo iure exteri regis cauſſam defendendam ſuſcipiat rex alius 296 ſq. noſtra aetas ſapit in praetexendis cauſſis inmiſcendi ſe in res aliorum populorum; fecere idem Lacedaemonii 299. 300.

Relegatio. in loca deſerta 274 ſq. apud Aegyptios 276. inter Romanos ſub Auguſto in vſum venit 280. quatenus maiori cum vtilitate patriae infligi poſſit 275. quatenus diuerſa fuit ab exilio et deportatione 281 ſq. et d). potuit Praeſes prouinciae relegare, non deportare 282.

Reſcribendi vſus in cauſſis iuris priuati ſub Impp. 273 ſq.

Respublica ſumma Romanorum apud nos *politiae generalis* nomine declaratur 67 c). de rerum publ. formis ſcriptores quidam commendati 117.

Romani, gens libertatis amore nobiliſſima, iniquiſſimi fuere aliis populis libertatem vindicantibus 155. 293. in cauſſis regum populorumque iuſti et aequi ratione ſuperſederunt 299. quibus de cauſſis reſtituerint Graecis aliisque per Aſiam populis libertatem 155 ſq. ipſi libertate ſua non melius quam barbari vſi ſunt 156 ſq. libertatem amiſſam aliquoties recuperauere 157. qualis eorum libertas fuerit, et qualis plebis conditio 355 ſqq.

Romanorum opera publica per ſeruos facta 132. prudentia in finiendis bellis 524. 528. 529. 530. ſermo imperatorius 542.

Romanum imperium, quae cauſſae effecerint, vt ſuccumberet barbaris 47.

Sacra.

Sacra. vnde repetenda eorum primordia 104.

Senatus Romanus. eius vani conatus reſtituendi libertatem reip. 335 - 351. eius imprudentia ſub ipſis ſuſcepti ab Octauiano imperii primordiis 337 ſqq. cauſſae huius incuriae 339 ſq. peccatum praecipue, quod de iure ſuccedendi in imperio nihil ſanxerat; itaque permiſſum Auguſto longa potentia valido, vt tanquam heredem familiae circumſpiceret 341. cauſſae eius rei 342. obtinuit tamen mos, vt in eum, qui ſucceſſerat, Scto honores Caeſaris transferrentur 343. intempeſtiua Senatus deliberatio poſt caedem Caii 343. 344. Sub Impp. ſeqq. eius poteſtas dubia et fluctuans 345 - 348. Neronem patriae hoſtem iudicauit 345. Domitiani memoriam aboleuit 346. Tacitum Imp. creat 346. 347. Probo caeſo, eius auctoritas in legendo principe prorſus euerſa 348. Scta inde ab Adriano rariora facta 220. Senatus iudicia in rebus capitalibus, quibus in cauſſis 61. mandat quaeſtiones 61. 67. 71.

Senatus conſultum a. 593. de philoſophis et rhetoribus, vti ne Romae eſſent 424. vid *Litterae.*

Seruitus. eius cauſſae in barbaris 122. in dominantium imperiis 123. in cultioribus populis 123 ſq. quibus modis conſtituta fuerit 125. ius vitae et necis in ſeruos, et vendendi mos, vnde nata ſint 120. quid eius genera et gradus auxerit ib. de ſeruitute inter Graecos ſcripſit Reitemeyer 126 c).

Sida, forum venalitiorum 134.

Sigonius fons omnium, qui de iudiciis Romanorum ſcripſere 65.

Sirii obſeruatio in Aegypto antiquiſſima 205 l).

Socii. ſocietas. ſpecioſum eius nomen apud Rom. 536. 541.

Solon 78. 80. 81 a).

Socrates. quot iudices in eius cauſſa iudicauerint 80. cuius criminis fuerit accuſatus 80.

Suetonius de cl Rhet. 1. emend. 425 d). eodem loco in temporum rationibus peccat 429 g).

Syracuſae 154.

Tabulae XII. quae in iis ad iudicia publica et priuata ſpectant 58 - 60.

Tacitus. de loco Ann. IV. 32. iudicium.

Temporum noſtrorum noua et mira euenta et caſus. 287.

Theophilus. ei. loc. ill. 283 g).

Thesmothetae 79. 81. 85 ſqq.

Thraces

Digitized by Google

Thraces aliquando late habitarunt 162. liberos ſuos vendidere 125 b).
Τίμησις et ἀντιτίμησις 89.
Tribunalia apud Athenienſes. vid. *Iudicia.*
Tribuni plebis ad populum accuſarunt reos 57.
Triumuiri capitales, quare conſtituti 71.
Tryphon 134.
Veſpaſianus. eius edictum de philoſophis Roma expellendis, cur minus celebratum ſit 432 l).
Vlpiani et Marciani loca inter ſe conciliata 281 d).
Vniuerſitates litterariae. iudiciorum de iis recognitio 302 ſqq. in votis habendum, vt acuti et graues viri in earum cauſſas, conſilia, naturas &c. inquirant 304. ex quibus aetatibus illae iuſtituta ſua, iura ac leges habeant 305. qui de iis ſcripſere 306. Diſputationum et latini ſermonis vſus neglectus quas noxas pepererit 306. difficultates in iis mutandis, quae per leges et iura ſemel ſunt conſtituta 307 ſq. varia ſunt academiarum genera et inſtitutiones 308. facilius eſt animaduertere mala, quam perſpicere eorum cauſſas ac remedia 309. libertas publice monendi et caſtigandi non a leuitate animi vel inſcitia vel malitia proficiſcatur 310. reprehenſionum de vniuerſitatibus litterariis genera diiudicata 311 ſq. in quo plerumque reprehenſores peccant, et ſiue malitiam, ſiue inſcitiam impudentiam malosque mores teſtatos faciunt 313.
Vopiſcus 346.

Ὕβρις 89.

INDEX

INDEX

RERVM ACADEMICARVM

IN QVATVOR HIS VOLVMINIBVS.

Anniuerſaria Ge. Aug. XXVI. in ann. 1763. Tom. I, pag. 76. — XXVII, 1764. I, 184. — XXVIII, 1765. I, 229. — XXIX, 1766. I, 268. — XXX, 1767. II, 24. — XXXI, 1768. I, 346. — XXXII, 1769. II, 86. — XXXIII, 1770. II, 112. — XXXIV, 1771. II, 145. — XXXV, 1772. II, 299. — XXXVI, 1773. II, 315. — XXXVII, 1774. II, 200. — XXXVIII, 1775. II, 214. — XXXIX, 1776. II, 233. — XL, 1777. II, 355. — XLI, 1778. II, 390. — XLII, 1779. III, 17. — XLIII, 1780. III, 55. — XLIV, 1781. III, 93. — XLV, 1782. III, 127. — XLVI, 1783. III, 162. — XLVII, 1784. III, 198. — XLVIII, 1785. III, 279. — XLIX, 1786. II, 278. — L, 1787. III, 398. — LI, 1788. IV, 49. — LII, 1789. IV, 140. — LIII, 1790. IV, 211. — LIV, 1791. IV, 286. — LV, 1792. IV, 331. — LVI, 1793. IV, 392. — LVII, 1794. IV, 460. — LVIII, 1795. IV, 524. —

Prorectores in ann. 1763. Jo. St. Pütter. I, 154. — 1764. Rud. Aug. Vogel. I, 154. Gottfr. Achenwall. I, 166. — 1765. P. Jac. Foertſch. I, 207. Chr. Fr. G. Meiſter. I, 221. — 1766. R. A. Vogel. I, 242. Abr. Gotth. Kaeſtner. I, 290. — 1767. Chr. G. Fr. Walch. I, 310. Ge. Henr. Ayrer. II, 12. — 1768. Ph. Ge. Schroeder. II, 74. Jo. Chph. Gatterer. I, 330. — 1769. P. J. Foertſch. I, 363. — 1770. Ge. Lud. Boehmer. II, 97. — 1771. Rud. Aug. Vogel. I, 401. Jo. Ph. Murray. II, 120. — 1772. Gottfr. Traug. Zachariae. I, 409. Jo. St. Pütter. II, 155. — 1773. Ge. Henr. Ayrer. II, 315. (et illo abdicante ſe magiſtratu: Jo. St. Pütter. II, 176.) — 1774. Jo. Petr. Miller. II, 176. — 1775. 1776. Chr. Fr. Ge. Meiſter. II, 332. — 1777. Ern. Gothofr. Baldinger. II, 252. — 1778. Lud. Kulenkamp. II, 371. — 1779. Godofr. Leſs. III, 1. — 1780. Chr. Fr. Ge. Meiſter.

Meiſter. III, 39. — 1781. Jo. Andr. Murray. III, 79. — 1782. Jo. C. Gatterer. III, 108. — 1783. Jo. Benj. Koppe. III, 144. — 1784. Jo. St. Pütter. III, 184. — 1785. Henr. Aug. Wrisberg. III, 255. — 1786. Lud. Kulenkamp. III, 291. Gottfr. Leſs. 328. — 1787. Jo. Nic. Möckert. III, 344. Aug. Gottl. Richter. 384. — 1788. Jo. Ge. Henr. Feder. IV, 1. Th. Jac. Planck. 32. — 1789. Juſt. Fr. Runde. IV, 63. Jo. Andr. Murray. 120. — 1790. Jo. Chph. Gatterer. IV, 159. Gottfr. Leſs. 194. — 1791. Jo. St. Pütter. 242. Henr. Aug. Wrisberg. 268. — 1792. Luid. Kulenkamp. 302. Th. Jac. Planck. 331. — 1793. Juſt. Fr. Runde. 350. Aug. Gottl. Richter. 392. — 1794. Jo. Ge. Henr. Feder. 416. Jo. Fr. Schleusner. 460. — 1795. Jo. Petr. Waldeck. 485. Jo. Fr. Gmelin. 524. —

Quaeſtiones conſtitutae. I. *ab ordine Theologorum:*

In ann. 1785. De Homicidio in ſemetipſo patrato, num iuſtum ſit ſecundum Chriſti praecepta et dogmata; an iniuſtum To. III, 229. 239. — 1786. Num et quatenus confirmari queat? conſtante numinis prouidentia id effici, vt genus humanum, vniuerſim ſpectatum, continua progreſſione ad meliorem conditionem aſſurgat. III, 252. 319. — 1787. De vera et certa Patrum, qui medio ſecundo, et ineunte tertio ſeculo praecipue floruerunt, ſententia, de ratione ſiue relatione Filii ſeu Verbi cum Patre. III, 323. 368. — 1788. De Luxu, num licitus ſit e legibus diuinis. III, 378. IV, 19. — 1789. De natura, ambitu et praeſtantia praecepti euangelici, de diligendis inimicis. IV, 27. 108. — 1790. De diſciplina arcani in coetibus chriſtianis a ſecundo ad quartum ſeculum, adhibita. IV, 115. 182. — 1791. De interpretatione codicis ſacri ad communia reliquos antiquitatis libros interpretandi principia reuocata. IV, 190. 253. — 1792. De vi ſymbolorum obligandi in veteri eccleſia. 263. 319. — 1793. Narratio critica de interpretatione locorum N.T. de extraordinariis Spir. S. donis. 328. 381. — 1794. De IV euangeliorum origine et canonica auctoritate. 388. 451. — 1795. De momento, quod habet hiſtoria Chriſti in vniuerſa religione. 456. 514. — 1796. De librorum ſymbolicorum vtilitate, et origine moris ſubſcriptionem eorum a doctoribus religionis exigendi. 520. —

II. ab

Digitized by Google

II. *ab Ordine Ictorum:*

1785. De fundamento ſucceſſionis ab inteſtato. III, 229. 241. — 1786. De fundamento ſucceſſionis Germanicae tam allodialis, quam feudalis. III, 252. 319. — 1787. Emigrationem ciuium prohibere vel circumſcribere, an, et quatenus fas ſit? III, 324. 379. — 1788. Vtrum ex moribus Germanorum, iure communi, legibusque Imp. fas ſit emigrare. III, 380. IV, 20. — 1789. De fundamentis genuinis iuris ſupremae poteſtatis circa adeſpota. IV, 27. 109. — 1790. De obligatione liberorum ad facta parentum praeſtanda. IV, 115. 184. — 1791. De differentia comitiorum imperii, durante interregno et viuo imperatore. IV, 191. 256. — 1792. De differentiis inter tutelam et curatelam aetatis. 263. 320. — 1793. De natura et indole dominii vtilis, eiusque veſtigiis, et vſu. 328. 383. — 1794. De hiſtoria, indole ac vi remediorum ſecuritatis. 388. 452. — 1795. De vnitate Perſonae iure Romano, inter patremfamilias et liberos. 457. 516. — 1796. De ambitu et limitibus iuris ſupremae inſpectionis. 521. —

III. *ab Ordine Medicorum:*

1785. De oleorum vnguinoſorum vſu. III, 229. 243. — 1786. De irritabilitate animali. III, 252. 320. — 1787. De regeneratione perditae ſubſtantiae oſſium et partium mollium. III, 324. 370. — 1788. De analyſi Vrinae, et origine Calculi ex eius vitiis. III, 380. IV, 22. — 1789. De effectibus Opii. IV, 28. 110. — 1790. De characteribus ſtirpium ex notis, quas acies ſani oculi manifeſtat, definiendis. IV, 115. 186. — 1791. De Temperamentis hominum. 191. 257. — 1792. De curatione Auditus difficilis. 264. 322. — 1793. De optima extracta parandi methodo. 328. 384. — 1794. De mortis hiſtoria, cauſſis et ſignis. 389. 453. — 1795. De commercio inter hepar, bilem et animi pathemata. 457. 518. — 1796. De natura febrium neruoſarum acutarum. 521. —

IV. *ab Ordine Philoſophorum:*

1785. De Calendario Palaeſtinae oeconomico. III, 230. 247. — 1786. De ortibus et occaſibus ſiderum poëticis. III, 253. 321. — 1787. De Geographia Homeri. III, 325. 374. — 1788. a) De Geographia Africae Herodotea. III, 381. IV, 23. b) De fabuloſa Argonautarum Geographia. III, 381. IV, 25. — 1789. Quibus rationibus ac momentis virtus nullo religionis praeſidio munita ſeſe tueri poſſit. IV, 28. 111. —

Digitized by Google

1790. Vt comparetur vna, vel altera reſp. noſtrae aetatis, cum vna vel altera rep. veteris Graeciae. IV, 116. Comparatae ſunt: reſp. Spartana cum rep. Coſaccorum Saporogorum; — Oligarchia Spartana cum Venetorum rep.; — reſp. Achaeorum cum democratia Abbatiscellana inter Heluetios. 187. — 1791. a) De Politia veteris vrbis Romae. 191. 259. b) De Geographia Africae Edriſiana. 192. 261. — 1792. a) De fundamentis calculi ab infinito. 264. 323. b) De Aegypti Calendario oeconomico. 265. 325. — 1793. De Aſiae Herodoteae difficilioribus explicandis. 329. 386. — 1794. a) De Aſiae Herodoteae difficilioribus explicandis. 389. 454. b) De Phoenicum in antiquiſſima Graecia veſtigiis. 390. 455. — 1795. De iure ſuffragii in ſocietate aequali. 457. 518. — 1796. Hiſtoriae vrbis agrique Gottingenſis breuiarium. 521. —

Praemia qui tulere:

a) Ab Ordine Theologorum.

1785. Gottfr. Ernſt Groddeck. III, 241. — 1786. Jo. H. Heinrichs. 203. — 1787. Jo. Ge. A. Oelrichs. 370. — 1788. Jo. H. Heinrichs. IV, 20. — 1790. Jo. Lud. Schedius. IV, 184. — 1791. Jo. Asboth. 256. — 1792. Jo. Ph. Kurzmann. 320. — 1793. Jo. Ph. Kurzmann. 383. — 1794. H. Guil. Halfeld. 451. — 1795. C. H. Albers. 516.

b) Ab Ordine Ictorum.

1785. Guſt. Hugo. III, 43. — 1786. Fr. Boutterweck. 320. — 1787. Fr. Hirſch. 371. — 1788. Jo. Ant. Lud. Seidenſticker. IV, 21. — 1789. Jo. Ant. Lud. Seidenſticker. IV, 110. — 1790. C. C. Henr. de Kamptz. 185. — 1791. Ge. Wieſe. 257. — 1792. Jo. Frid. de Meyer. 321. — 1793. C. H. Lang. 384. — 1794. Chr. Lud. Runde. 452. — 1795. Juſt. L. Fr. Brunſich. 517.

c) Ab Ordine Medicorum.

1785. Joach. Dietr. Brandis. III, 246. — 1787. Otto Huhn. 373. — 1788. H. Fr. Link. IV, 23. — 1789. Ge. Chph. Siebold. IV, 111. — 1791. Guil. Ant. Ficker. 528. — 1793. Car. Juſt. L. de Crell. 386. — 1794. Car. Himly. 453. — 1795. L. H. Chr. Niemeyer. 518.

d) Ab Ordine Philoſophorum.

1785. Jo. Ge. Buhle. III, 250. — 1786. Jo. Fr. Pfaff. 322. — 1787. C. Tr. Gottl. Schoenemann. 377. — 1788. a) Jo. Fr. Hennicke. IV,

Digitized by Google

IV, 25. b) C. Tr. Gottl. Schoenemann. 25. — 1789. Aug. Matthiae. 114. — 1790. Chr. Engel. 189. — 1791. C. C. Heubach. 261. — 1792. a) Jo. Wilh. Chriſtiani 325. b) Car. H. Chph. Nordmeyer 327. — 1793. Th. Chr. Breiger. 388. — 1794. a) Chr. Gottl. Henr. Froemmichen (Julius Billerbeck). 454. b) J. H. Meyerhoff. 456. — 1795. Chr. Schloezer. 520.

Qui acceſſiſſe proxime ad praemia pronuntiati ſunt:

a) Ab Ordine Theolog.

1785. Ge. Gu. Block. III, 241. — 1790. Jo. Remond; C. G. M. Hermann. IV, 184. — 1791. Gu. N. Freudenthal. 256. — 1793. Jo. Fr. Moeſer. 383. — 1794. Jo. G. B. Ruſswurm. 452. — 1795. J. G. Brüggemann. 516.

b) Ab Ordine Iſtorum.

1785. Jo. Schwarzkopf; Abr. Fr. de Mutach; H. G. Bergſträſſer. III, 243. — 1786. Jo. Schwarzkopf. 320. — 1787. Jo. D. de Hammerſtein; Jo. Fr. Gu. Schlegel. 372. — 1788. E. Leth; et E. H. Oelrichs. IV, 22. — 1790. Ge. Wieſe et Jo. C. C. Wackerhagen. 185. — 1791. Wackerhagen; Ern. de Oeynhauſen. 257. — 1792. Jo. C. Brandenburg, et H. A. Lehzen. 322. — 1793. Brandenburg. 384. — 1795. F. C. Witte. 517.

c) Ab Ord. Medicorum.

1785. J. Arnemann. III, 246. — 1787. A. Jo. Ge. Murray. 374. — 1788. C. H. de Olnhauſen. IV, 23. — 1793. S. Anſchel. 386.

d) Ab Ord. Philoſoph.

1785. Ge. Fr. Walchius. III. 250. — 1786. Jo. C. Schaubach. 322. — 1787. H. Schlichthorſt. 377. — 1788. C. Tr. Schoenemann. IV, 25. — 1789. C. G. M. Herrmann. 114. — 1790. Herrmann, et C. Engel. 189. — 1791. a) Jo. Binder 261. b) Jo. Ph. Kurzmann. 263. — 1792. Jo. Binder. 325. — 1795. C. Gu. Hoppenſtedt. 520.

ERRORES

Digitized by Google

ERRORES TYPOGRAPHICI.

p. 60. l. 13. *antiquitas* leg. antiquitus
p. 77. not. *) lin. vlt. leg. Nam inſtituta eſſe videntur non niſi a Dracone
p. 79. l. 12. δημοτιτῶν l. δημοτικῶν
p. 81. l. 8. *damnatut* l. damnatus
p. 82. l. 1. 72 l. 82
p. 99. l. 4. a fine *an* l. aut et l. 5. a fine, *aut* l. an
p. 154. l. 5. *cantaminarunt* l. contaminarunt
p. 168. l. 13. *rapetiit* l. repetiit
p. 183. l. 15. *neceſſartum* l. neceſſarium
p. 186. l. 15. *butanices* l. botanices
p. 242. l. 17. *Sereniſſimum Principorum* l. Sereniſſimorum Principum
p. 282. l. 2. *obium* l. obuium
p. 372. l. 19. *Epid.* l. Epod.
p. 413. l. 26. *inſtitiae* l. iuſtitiae
p. 432. l. 31. *Drmetrium* l. Demetrium
p. 442. l. 25. *anre* l. ante
p. 470. l. 10 a fine *epport.* l. opport.
p. 483. l. 10. *moderatice* l. moderatrice

Digitized by Google

00S801382

Digitized by Google

Dig[illegible]

Digitized by Google